This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



COMMENTARIUS CRITICUS

de

SCRIPTIS & SCRIPTORIBUS HISTORICIS,

TAM ANTIQUIS, QUAM NOVIS,

ad

FACILIOREM ET VERIOREM

HISTORIÆ QUA ECCLESIASTICÆ

QUA PROFANÆ

NOTITIAM CONCINNATUS,

atque

ANIMADVERSIONIBUS

AC

DISSERTATIONIBUS

ILLUSTRATUS

à

P. HENRICO SCHÜZ, Soc. JESU,

in

ALMA, CATHOLICA & ELECTORALI UNIVERSITATE INGOLSTADIENSI

HISTORIARUM

PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO.

CUM PRIVILEGIO.

INGOLSTADII, & MONACHII.

Sumptibus Joan. Franc. Xaverii Cräz, Bibliopolæ Academ. & Thomæ Summer, Bibliop. Augustani. Anno MDCCLXI.

258. h. 87.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

CUm D. Franciſcus Xaverius Cräz, Bibliopola Academicus Ingolſtadienſis, Typis vulgare deſideret Librum, cui Titulus: *Commentarius Criticus de Scriptis, & Scriptoribus Hiſtoricis &c.* à P. Henrico Schütz, Societatis JESU Sacerdote, idiomate Latino conſcriptum: Ego Mathias Stöttlinger, Ejusdem Societatis per Germaniam Superiorem Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta ab A. R. P. N. Laurentio Ricci, univerſæ Societatis JESU Præpoſito Generali, Eidem ad hanc primam duntaxat dicti Operis editionem facultatem impertio; ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quo Bibliopolis, atque Typographis aliis interdicitur, ne Librum illum à Noſtris ſcriptum citra conſenſum Superiorum recudere, aut intra fines Sacri Romani Imperii inferre præſumant. In rei fidem has Ei manu propria ſubſcriptas, & conſueto officii mei ſigillo munitas dedi. Euſtadii 3. Martii 1761.

L. S.

Mathias Stöttlinger.

ILLUSTRISSIMO
AC
EXCELLENTISSIMO
DOMINO, DOMINO
CAROLO JOSEPHO
S. R. I.
COMITI
DE
PALM,

LIBERO BARONI

IN

MÜHLHAUSEN

AD

NICCARUM,

STEINBACH,

BODELSHOFEN,

ET

BALTZHEIM:

DOMINO

IN

PRUNN, AD STEINFELD,

CARLSWALD, SCHRITTENTZ,

FRIEDENAU, SMILAU,

SLAPANITZ;

PFAFFENDORFF,

BERENAU, FREYHOLTZMÜHL,

PETERKAU, LINDEN,

BYSTRITZ, PETROWITZ

&c.

UTRIUSQUE

SACRÆ CÆSAREÆ

UTI ET

APOSTOLICÆ

REGIO-HUNGARICÆ

AC

BOHEMICÆ

MAJESTATIS

CONSILIARIO

INTIMO ACTUALI,

DOMINO

AC

MECÆNATI SUO

Perquam

GRATIOSO

VITAM,

AC

FELICITATEM!

IL-

ILLUSTRISSIME
AC
EXCELLENTISSIME
DOMINE, DOMINE
AC
PATRONE MIHI PERQUAM GRATIOSE;

SI ab omnibus retro Sæculis earum Urbium, Provinciarum, atque Regnorum miſeranda ſemper conditio fuit, in quibus triſtiſſimum literis exilium indictum, ferale literatis ſilentium imperatum, fœdiſſima in ſolio ignorantia eſt collocata: beatas viciſſim Urbes, felices Provincias, fortunatiſſima illa Regna compellari neceſſe eſt, in quibus ſola ad clavum ſedere permittitur Scientia, atque exercitata literatorum Auctoritas ſuos latè radios, ſua conſilia, ſua ſingulis jura quaquaverſum diſpenſat. Quemadmodum enim ſcientiâ exule, extorribus literîs, abſentibus literatîs, nulla honeſtatis incognitæ,

nulla ignoratæ juſtitiæ cura eſſe jam poteſt, remotáque proinde honeſtate, remotîs juſtitiæ placitîs, vaſtiſſima etiam Regna aliud non ſunt, niſi magna latrocinia, flagitiorum receptacula, & ferarum verius quàm hominum domicilia: ita è converſo non plurimùm effloreſcere, non ſuo in flore etiam deinceps conſervari eæ Respublicæ, ea Regna non poterunt, in quibus perpetuum ignorantiæ bellum indicitur, craſſa morum ingeniorúmque barbaries expungitur, Una recti honeſtíque ſuſpiratur cognitio, ſola primatum exerit ſanior Eruditio, ſoli denique ad reipublicæ ſubſellia literati quæruntur & admittuntur.

Tum verò maximè ea Regnorum gloria exurget in altum, atque ad ſummum felicitatis faſtigium eluctabitur ſubditorum ſalus, cùm tales ad Patriæ gubernacula admoveri, ab iis ſe dominatoribus regi intelligunt, in quibus Nobilitas cum Literis, Ingenii acies cum fortunæ bonis, congenitus Titulorum ſplendor cum adventitia Eruditionis vaſtiſſimæ laude, pulcherrimo inter ſe fœdere conjunguntur.

Quæ

Quæ ſanè conjunctio ubi rite contigerit, Aureum regimen, Aurea Sæcula jure merito dixeris: qualia quondam celebratiſſimi Terrarum Principes, & Literarum æquè ac Literatorum Mecænates Auguſtiſſimi, Octaviani Auguſti, Caroli Magni, ac Sigismundi, vehementiùs peroptârunt, & ſuo etiam cum ſolatio conſpexerunt. Quòd ſi enim ex ſcientiſſimi ſimul nobiliſſimique Aeneæ Sylvii effato *Literæ plebeiis argenti, Nobilibus Auri ſunt locò*, & ea inſuper Nobilitatis eſt præcellentia atque prærogativa, ut vel ſola per ſe ipſam ſat ſplendeat, & ſuâpte naturâ ingens apud ſubditos ſibi pretium creet: quantò luculentius ea Generis claritas æſtimationis ſuæ incrementum tum capiet, cùm omnigenæ Eruditionis præſtantia (quæ & ipſa de plebeiis ſuos ſæpe Nobiles efficit) ad nativæ Nobilitatis encomium acceſſerit, & duplicatæ proinde gloriæ pondus adjecerit, atque ita adjecerit, ut laudatiſſimo inter bonos omnes dubio locus eſſe jam poſſit, utrum in uno eodémque Viro præcellentiſſimo Nobilitati præ Eruditione, huic præ Nobilitate palma potior debeat adjudicari?

Felicem profectò me, cui Sors auſpicatiſſima tam benè voluit, ut mea hæc lucubratio ſub literatiſſimi illius Nobiliſſimique Nominis præſidio, ſub TUÆ, inquam, Illuſtriſſimæ Excellentiæ auſpiciis prodire jam poſſit, cujus ampliſſimos dignitatum ac fortunæ titulos non magìs, quàm rariſſimæ prorſus exquiſitiſſimæque Eruditionis decora, non una duntaxat Comitiorum Sedes atque Metropolis *Ratisbona*, ſed & *Auſtria*, *Bohemia*, *Germania* quoque Univerſa, pro TUO videlicet merito longè maximo, admirabunda hactenus ſuſpexit ac prædicavit! *Magnus* enimverò ut ſis, TUA & Excellentiſſima Dignitas, & Illuſtriſſima nomenclatio facit; *Major* ut fieres, incredibilis TUA peperit Eruditio; imò *Maximus* eſſe ut poſſis, utrique huic gloriæ conjunctiſſima Virtus ac Probitas luculentiſſima facit. Attamen tacebo hìc ſingula, quibus ad copiam uſque effulges, Virtutum Ornamenta, Chriſtianiſſimo ſanè Comite digna, à quibus non minùs ipſa Nobilitas, quàm hæ à Nobilitate aliàs ſolent illuſtrari. Timendum enim mihi, ne, quantuſcunque demum earundem

dem laudator eſſe percuperem, eas nihilominus infra mea vota, infra TUI meriti vires extollerem, atque ita præter propoſitum meum in ipſa laude peccarem. In ſolius potiùs, quâ ſuper omnem mortalium invidiam multùm aſſurgis, eruditionis ac literaturæ præconio mea mavult detineri Oratio, illámque citra ullum aſſentationis periculum impenſiùs admirari.

Me hercle! Si Scientia *Sol* eſt, *Solem* Te SCIENTIA facit, quâ literatum illuminas Orbem. Si *Mare* illa eſt, totum in Te iſtud complecteris, atque ita complecteris, ut in alios quoque beneficum iſtud Scientiæ mare redundet. Si Regnorum negotiorúmque *Anima* eſt Scientia, in TE illa quàm maximè vivit; & quas aliàs dotes ac laudes inter plurimos Ars aut Natura diviſit, in Te uno & Ingenii Uber-tas, & fœderatus ingenio labor, & nata inde conſiliorum promptitudo atque dexteritas feliciſſimè collegit ac cumulavit. Quæ verò par Oratio inveniri jam poſſit famigeratiſſimo illi, quo in Literatorum Opera ac Veterum Mo-

numenta ferri aſſoles, ſtudio propemodum inexhauſto, TUO itidem in Eruditos Amori prorſus eximio ac ſingulari? Certè quod *Lucullo* Romano quondam extitêre literati Quirites, idem Illuſtriſſimæ Excellentiæ TUÆ Eruditior quisque hodiedum eſſe conſuevit. Eodem Tu illos accessu, eadem alloquii gratiâ, iisdem benevolentiæ ſignîs illos TU beas: in eorum TU commoda perinde, atque idem Lucullus, aut purpurati mitratíve Eccleſiæ Principes, *Cynthii*, *Sirleti*, *Barberini*, *Othones Truchſeſſii*, *Henrici Knöringii*, abundantiſſimam librorum Supellectilem & BIBLIOTHECAM inſtructiſſimam condidiſti, cujus ſcilicet uſu, TUO ex beneficio, TUA cum venia ſanè liberaliſſima, nemo non perfici poſſit ac erudiri. Atque O qualem quantámque BIBLIOTHECAM hìc nomino, TUAM dum compello! ſive enim profuſos in illam ſumptus propè immenſos, ſive incredibilem Voluminum copiam, ſive exquiſitum in copia ſelectum, ſive denique argumentorum atque linguarum in iis varietatem & multiplicitatem contem-

ple-

plemur: adeò vetera cum recentibus, copia cum varietate, varietas cum ſelectu, pretium cum utilitate certare videntur, ut non minùs Antiquitas habeat, unde plurimùm glorietur, quàm recentior Critica, unde promptiſſimum in omnibus ſubſidium petat. BIBLIOTHECAM inter privatas oppidò REGIAM dixeris: quam ad ævi hujus prodigium quadraginta Voluminum millia implent, & ad ſeram poſteritatis memoriam nunquam intermorituram commendant ac commendabunt.

Sine verò, Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Mecænas, ut mea delucubratione, quam TUIS honoribus nuncupare ſum auſus, idem hìc mihi accinere liceat, quod de ſua quondam ex Ponto ad Brutum Romanum vates Tomitanus præmiſerat: *Si vacat, hoſpitio peregrinum* hunc, oro, *libellum excipe: dúmque aliquo, quolibet abde loco.* Sine, inquam, Illuſtriſſime Mecænas, ut & Liber hic meus, qui publica inter monumenta venire vix auſit, TUIS in ædibus, TUOS inter Libros, TUA in BIBLIOTHECA, vacuum ſibi locum

cum angulúmve reperiat. Erit hoc ipſum ſingularis illius, quâ literatos aliàs complecteris, benevolentiæ ſpecimen novum ſimul atque antiquum; TE verò omnium Eruditorum ſolatio, TUORUM ſubditorum ſaluti, communi Totius Germaniæ bono, in plurimas annorum decades pii Cœlites incolumem ſervent: id quod ardentiſſimè precor & confidentiſſimè ſpero. Ita námque vovere, ita ſperare me jubet ipſiſſima illa, quam cum incomparabili Scientia jungis & in Scuto etiam Gentilitio præfers, præſtantiſſima VIRTUS & FIDES, digniſſima ſanè utraque, ob quas JUSTUS UT PALMA floreat & SICUT CEDRUS LIBANI, vitam atque felicitatem multiplicet non modò in annos plurimos, ſed & in ævum ſempiternum. Dabam

Illuſtriſſimæ ac Excellentiſſimæ
Dominationis Tuæ

Ingolſtadii 10. *Martij*
1761.

humillimus & obſequentiſſimus
Henricus Schütz Soc. Jeſu Hiſt.
Prof. Publ. & Ordin.

PRÆFATIO

Ad

LECTOREM.

SI veriſſimè quondam Eloquentiæ Romanæ Princeps Marcus Tullius Hiſtoriam *veritatis lucem*, *vetuſtatis nuntiam*, & *temporum teſtem* pronuntiavit: in illud ſanè maximè, quisquis ſinceriori Hiſtoriæ ſitat, mentis aciem convertere oportebit, ut, quinam prætulerint facem, accenderint lucem, nuntiârint vetera, temporum denique teſtimonium tulerint, ipſos inquam Hiſtoricos penitius ſibi cognitos habeat atque perſpectos; ne alioquin, dum unam unicam veritatem intemeratam Lector affectat, minùs feliciter in avia raptus, pro luce tenebras, pro face caliginem captet, & dum cœco cœcus, imperito Lectori illegitimus Scriptor ducatum incognitum præſtat, in foveam ambo prolabantur. Nihil itaque rectiùs facturum me arbitrabar, quàm ſi Criticum de Scriptis Scriptoribúsque Hiſtoricis Commentarium præmitterem; priuſquam ipſam, quæ ſub prelo ſudare jam cœperat, Hiſtoriam Romano-Germanicam ad lucem publicam promoverem. Nam & illud primitus à me jam deſtinatum non diffiteor, ut unà cum hoc Commentario primam quoque ipſius Hiſtoriæ Partem ſimul emitterem, atque utrumque hoc Opus uno eodémque Volumine comprehenderetur. Verùm cùm urceolum duntaxat meditanti amphora ſub manu exiiſſet, & Commentarius, præter opinionem productior, juſti

Voluminis vicem jam ſolus expleret: alterum ab altero ſegregandum, & Commentarium quidem primæ, Hiſtoriam verò lucj alteri reſervandam exiſtimavi. Primo itaque loco hic Commentarius prodit; quem ſi probaverit Lector, næ mihi ſingulare humanitatis & benevolentiæ argumentum id erit; ſi minùs: communi Scriptoribus fatò me haud ægrè ſolabor, quorum nemo facilè ea hactenus ſorte gaudere potuit, ut ab omnibus in omnibus omne ferre punctum ſit viſus.

Et erunt fortaſſe non pauci, quibus ea, quam ex ipſis quorundam Acatholicorum Operibus hìc inſerui, propoſitionum aut veriùs ſcommatum & deliriorum recenſio multò videatur prolixior, quàm id neceſſaria ſeu Scriptoris orthodoxi prudentia atque cautela, ſeu orthodoxi Lectoris oculus animúsque permittat. Verùm ea nunc tempora vivimus, eos jam mores orthodoxa Germania noſtra videt, & dolet, ut ſuper aſtra non rarò etiam ii extollantur, quorum lucubrationes non lucem, ſed pyram: non hymnos & cantica, ſed cauterium & theta nigrum ſibi meritò poſtularent. Eò itaque mihi vel maximè fuerat reſpiciendum atque curandum, ut in enumerandis hujuscemodi calumniatorum heterodoxorum dicteriis aliquantò uberior eſſem, & per ipſam promiſcuorum ſcommatum ſeriem, quantò hæc copioſior atque ſonantior eſſet, tantò certiùs atque patentiùs indubitatà Novatorum audacia à quolibet, etiam heterodoxo (quisquis ſcilicet frontem non penitus exuit, neque omne rationis lumen extinxit) illico poſſet agnoſci atque palpari. Vereri aliàs certè non immeritò poteram, ne, ſi juſtò brevior eſſem & non niſi paucula licentiæ heterodoxæ ſpecimina coràm exponerem, hæc ipſa perfunctoria brevitas apud eos, quos heteroclita præjudicia jam faſcinârunt, contemptum veriùs quàm fructum accerſeret, & projectiſſimæ etiam proterviæ blatero, dummodo aliàs bonæ mercis ſit ferax, & aurum ſcoriæ, quisquiliis gemmas miſcuerit, ſuos nihilominus adoratores & admiratores etiam deinceps nanciſceretur. Quanquam quid de prolixitate hìc metuo? pauciſſima ſanè illa noſtra Excerpta ſunt, & ſi cum reliqua in iis abſonis Operibus ejusdem ſtigmatis mole conferantur, propemodum nulla. Illas profectò potuerat aut debuerat ſcribi, ſi vel per temporis pretium libuiſſet, vel per modeſtiæ limites licuiſſet.

Quòd

Quòd ſi verò jam occinat quisquam, cauſámve requirat, cur multoties in nuda duntaxat ac ſolitaria ejusmodi convitiorum enumeratione noſter hic calamus ſiſtat, neque in iisdem pariter refellendis ac confutandis, ad eximendum ſcilicet Lectoribus incautis errorem, aliquam ſaltem paginæ partem atque operam ponat: illud peropportunè hoc loco occurrit, quod in Libro de unico baptiſmo, capite XVI, Donatiſtis quondam reſponderat Divus Auguſtinus. Sacrilegum Marcellini Pontificis lapſum Catholicis exprobraverat Petilianus; & quid Auguſtinus? *Ipſe* (Sancti Doctoris verba ſunt) *ſceleratum & ſacrilegum fuiſſe dicit* Marcellinum: *ego innocentem fuiſſe reſpondeo. Quid laboro probare defenſionem meam, cùm ille* (Petilianus) *nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam?* Idem ſanè clypeus, eadem mihi Auguſtini ſententia ſervit. Cùm enim heterodoxi recentiores, quorum Opera, à me adferenda, calumniis vehementiùs turgent, in iisdem non niſi temerè effutiendis ſint toti, neque ullibi argumentis legitimis accuſationes ſuas ſuffulciant: neceſſum oppidò haud erat, ut in iisdem oppugnandis & tempus & chartam hìc inutiliùs perderem; præcipuè cùm & accuſationum impudentia primò facilè obtutu lectoribus orthodoxis ſeſe ultro jam prodat, & dudum antè à probatioris notæ ſcriptoribus ſeu hiſtoricis ſeu Polemicis eadem abunde defricta jam fuerit, & à me pariter in ipſa, quam meditamur, Hiſtoria ſuis in locis opportuniùs ſit confutanda.

Sed neque illud mihi vitio vertendum opinor, quòd in hos ipſos heterodoxos ſcriptores, imò non in hos modò, ſed & in alios, quibus eadem nobiſcum ara & Religionis communio eſt, liberaliore ſubin aut acriore criſi ſim uſus. Quòdſi enim, ut gnome tritiſſima utar, juxta Grammaticos interrogatio atque reſponſio ſibi conſentiant, atque idem, quod vox prima præcinuit, æmula quoque Echo reciprocet, & debitum denique Scriptoribus pretium non aliunde magis, quàm ex ipſa, quod lucubrârunt, Operis indole ſit metiendum: quid mirum, ſi per Criticæ leges, ubi res ipſa atque Operis meritum ita poposcerit, ad ſinceriorem Lectoris notitiam apertiore quadam (quæ non tam ex meo, quàm ex aliorum multò peritiorum calamo utplurimùm profluxerit) cenſurâ quorumpiam exerrantium nævos perſtrinxerim & ſcapham ſcapham, ficum ficum, ſuo ſcilicet ex nomine

compellàrim? Qua tamen in re, ſi quid offenſæ præter mentem labor hic noſter incurrerit, id ipſum emendaturus, quando licebit, ero; atque interim præſentem hunc Commentarium ſaniori quorumlibet Eruditorum trutinæ, cumprimis autem Sapientiſſimo ROMANÆ MATRIS ECCLESIÆ arbitrio judicióque penitus ſubijcio atque ſubſterno.

Tametſi & illud pro coronide à nonnullis forſitan mihi objectandum haud difficulter præſentio: plurimos ſcilicet quà orthodoxos quà heterodoxos Scriptores Hiſtoricos, in hoc Commentario noſtro penitus intactos, adhuc ſupereſſe, quorum certè mentio aut debuerit aut potuerit fieri, aliqui etiam eorum, quorum ſcripta non minori dicacitate laborant, atro pariter calculo atque carbone notari, & ex legitimorum ſcriptorum albo expungi. Sed nempe patens non uno excinditur ictu ſylva, nec à primo quondam Carthago ruebat ariete, nec Romam condidit una dies. Pedetentim promovendus eſt labor: neque nihil à me actum fuiſſe confido, cùm complures ſaltem Scriptorum Decades in Lectoris gratiam interim hìc expoſuero: unde ad Hiſtoriæ tam Eccleſiaſticæ quàm profanæ, præprimis autem Romano-Germanicæ, notitiam jam major aliqua facilitas accedere poſſit. Fiet fortaſſe, ut ſicubi lectori benevolo è re fore videbitur, coeptam porro telam pertexam, & præſenti huic Commentario ſuum quoque ſupplementum atque alteram Scriptorum Partem aliquando ſubjungam. Nunc ut ſingulorum, quæ hoc Opus complectitur, Scriptorum Nomina in ipſo mox limine intelligat Lector, ſyllabum eorundem ſubiicio.

Menda emenda.

Pag. 5. lin. 19. *ſolus:* lege *ſolius*
P. 42. lin. 2. *num.* 8. l. *num.* 7.
P. 67. lin. penult. *ſimilitet* l. *ſimiliter.*
P. 76. lin. 18. *Ebehardi.* l. *Eberhardi.*
P. 127. lin. ult. *denotat.* l. *detonat.*
P. 137. in fine. *annum octavum.* l. *Conſulatum octavum.*
P. 156. lin. 14. *reIata.* l. *relata.*
P. 495. lin. 19. 20. 21. *Stephani, Stephano, Stephanus.* l. *Hilari, Hilaro, Hilarus.*

Reliqua minutiora menda ipſe benevolus Lector facilè intelliget & emendabit.

SYL-

SYLLABUS SCRIPTORUM.

A.

DIATRIBA *Preliminaris de Annalibus Francicis, qui nunc* Eginhardi, *nunc Annales* Laurishemienſes, *à variis compellantur.*
Abbo.
Abdias.
Acta SS. Antverpienſia.
Adamus Bremenſis.
Adelmus & Ademarus.
Ademarus Cabannenſis.
S. Ado Vien.
Adrevaldus.
Adſo Dervenſis.
Adſo Luxovienſis.
Aeneas Sylvius.
Agnellus, qui & Andreas, Presbyt. Ravennat.
S. Agobardus.
Aimoinus.
Alanus de Rupe.
Albertus Argentin.
Albertus Stadenſis.
Alexander Natalis.
Allatius Leo.
Anaſtaſius Biblioth.
Andreas Ratisbon.
Annales Bertiniani.
Fuldenſes.
Hildeshem.
Lambeciani.
Laurishem.
Loiſeliani.
Maſciacenſes.
Metenſes.
Moiſſiacenſes.
Nazariani.
Petaviani.
Pithœani.
Ratisbonenſes.
Annaliſta vel Chronographus Saxo.
Annaliſta Saxo, Poëta.
Annales Tiliani.
Annius Viterbienſis.
Anonymus Biographus Ludovici Pij.
Anonymus Biographus S. Remberti.
S. Antoninus.
Ardo.
Arnoldus Lubec. & Helmoldus.
Arnulphus Mediolan.

Aventinus.
S. Augustinus.

B.

Bailletus.
Balæus.
Balsamon.
Baluzius.
Baronius.
Basnagius.
Becanus, seu de Bekka.
V. Beda.
Bellarminus.
Benno Pseudo-Cardinalis.
Bivarius.
Boehmerus.
Bonfinius.
Breviarium.
Bruschius.
Bucelinus.
Buchelius.
Burgundus.
Bzovius.

C.

Cæsarius Heisterbac.
Calvinus.
du Cangius.
Cantacuzenus.
Catalogus Pontificum.
Catalogus Archiep. Salisb.
Cavens.
Cedrenus.
du Chesne.
Chronicon Alexandrinum, sive Paschale & CPolitanum.
Beneventanum.
Bertoldi Constantiensis.
Casinense.
Casinense.
Centulense.
Conradi Ursperg.
S. Datii.
Eusebii & continuatorum.
Farfense.
Fontanellense.
Fredegarii & continuatorum.
S Galli.
Hermanni Contracti.
Hispanica.
Magnum Belgicum.
Mariani Scoti & continuatoris.
Martini Poloni.
Orientale.
Reginonis.
Sigeberti.
S. Vincentii.
Virdunense Hugonis Flavin.
Cicarellus.
Cigala.
Cinnamus.
Clericus.
Cointius.
Comnena Anna.
Conringius.
Crusius.
Curopalates.
Cuspinianus.

D.

Dacherius.
B. Damiani Petrus.
Dempsterus.
Ditmarus.
Dupinus.

E.

Echardus Jacobus.
ab Eckhart Georgius.
Eckhardus Uragiensis.
Eginhardus.
Egolismensis Monachus.
Ekkehardus San-Gallensis.
Erchambertus.
Erchempertus, Herembertus, Erempertus.
Ermoldus Nigellus.
Eusebius Cæsar.
Eutropius Romanus.
Eutropius Longobardus.

F.

Fleury Claudius.
Flodoardus.
Freherus.

G.

Georgii Fridericus.
Geſta Francorum.
Glaber.
Godefridus Viterb.
Goldaſtus.
Græci Scriptores.
Gratianus.
Graveſon.
S. Gregor. Turon.
Gundlingius.

H.

Hederich Beniamin.
Hepeſippus.
Hepidannus.
Herodotus.
Hiberni Scriptores.
Hovedenus.

I.

Idatius.
Joannes Metenſis.
Joſephus Flavius.
Iperius.
Iſidorus Mercator.
Ivo Carnot.

K.

Kalendarium.
Kham Corbin.
Köhlerus David.
Kranzius Albert.

L.

Lambertus Schaffnaburg.
Landulphus Senior.
Landulphus Junior.
Langlet du Frenoy.
Launoyus.
Lazius.
Lehmannus.
Luitprandus Ticinenſis.
Lupus Protoſpatha.

M.

Mabillonius.
Martenius.
Martyrologium.
Maymburgius.
Metaphraſtes.
Miſcella Hiſtoria.
de Monte Robertus.

N.

Nauclerus.
S. Nicephorus.
Nicephorus Calliſthus.
Nicetas Acominatus.
de Niem Theodoricus. DISQUISITIO *Critica de Niemo & Niemi Scriptis.*
Nithardus.
B. Notkerus Balbulus.

O.

Ordericus Vitalis.
Otho Friſing. & ejus Continuat.
Oudinus Caſimirus.

P.

P.

Pagius Anton.
Panegyriſta Berengarii.
Pariſius Matthæus.
S. Paſchaſius Ratbertus.
Paulus Warnefridus, vulgò Paulus Diaconus.
QUÆSTIO *Critica de incognito compilatore Freheriano, qui putatitio Pauli Diaconi ſupplemento Longobardico ſubjungitur.*
Petrus Diaconus.
Pfeffingerus.
Proſper.

Q.

Quercetanus. *Vide* du Cheſne lit. C.

R.

Radevicus.
Radulphus de Diceto.
Reineccius Reinerus.
DISSERTATIO *de Henrici IV. ad S. Annonem literis, à Reineccio vulgatis.*
Roſierius.
Roſwita.
Rüxnes.

S.

Sagittarius Caſparus.
Sarpi.
Saxo Grammaticus.
Schardius.
Schottus Andreas.
Schwarz Godofredus.
Sguropulus.
Sigonius.
Sleidanus.
Socrates.
Sozomenus.
Speculum Exemplorum.
Speculum Saxonicum.
Speculum Suevicum.
Struvius Burckhardus.
Surius.

T.

Tamayus.
Theganus.
Theodoretus.
S. Theophanes.
Thomas Cantiprat.
Thuanus.
Tillemontius. COMMENTATIUNCULA *Critica de Tillemontii Monumentis Eccleſiaſticis.*
Turpinus.

V.

Victor Tunnunenſis.
QUÆSTIO *Critica de Vigilii Pont. literis Eutychianis, quæ apud Victorem leguntr.*
S. Victor Vitenſis.
Vincentius Bellovac.
de Vitriaco Jacobus.
de Voragine Jacobus.

W.

Walafridus Strabo.
Walthramus.
Wilhelmus Apulus.
Wilhelmus Malmesburienſis.
Wilhelmus Neubrigenſis.
Wilhelmus Tyrius.
Wippo.
Witikindus.

Z.

Zonaras.
Zoſimus.

NB. Quando per Commentarii hujus decurſum aliquoties hæc verba occurrent: *in hoc Opere noſtro: Opus noſtrum*: aut τὸ *Diſſertatio* vel *Diſputatio* (ad quas ſcilicet Commentarius iſte ſe refert) v. g. p. 41. lin. 4. p. 50. lin. 11. p. 184. lin. 8. p. 241. lin. 14. p. 509. lin. 3. & 4. ſubintelligenda in hiſce locis erit *Hiſtoria Romano-Germanica*: quam pariter ANNOTATIONIBUS, Diſſertationibus ac Diſputationibus ſuis illuſtratam, una cum hoc ipſo Commentario Critico conjungere ſimúlque publicare decreveram: prout in ipſa Præfatione paulò antè jam indicatum, & mutati hujus propoſiti cauſa eſt aſſignata.

DIATRIBA
PRÆLIMINARIS
DE
ANNALIBUS FRANCICIS
QUI NUNC EGINHARDI, NUNC LAURISHEMIENSES ANNALES,
A VARIIS VARIE COMPELLANTUR.

Annales Laurisbemienſes ab Anno 741 ad 828, (quorum *primam* Editionem debemus Nuenario Comiti An. 1521. Coloniæ, & An. 1616. Lipſiæ: *alteram* Juſto Reubero An. 1584. Francofordiæ inter Scrip. Rerum Germ. *tertiam* Frehero, qui tamen ſub erroneo Adelmi vel Ademari nomine in Corpore Hiſt. Franc. Veteris & ſinceræ eoſdem divulgavit: *Quartam* denique Du-Cheſnio T. II. Script. Franc.) inde dicti ſunt Laurishemienſes, quòd Cointius in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum ad An. 773. n. 127. & ſeq. Annales illos Monacho cuidam Laurishemienſi adſcribat. Aſt diſſentiunt alii, qui eoſdem pro Eginhardi Annalibus colunt, & ab inſigni hoc Caroli M. biographo ſimiliter ſcriptos contendunt. Quinam verò hac in re argumentis aut conjecturis prævaleant, peculiaris Diatriba diſquiret, Labbei noſtri exemplo, qui & ipſe T. II. de Script. Eccleſ. à pag. 829. ſingularem *Diatribam* ſive *Judicium* de Aimoino inſtituit.

§. I.

QUemadmodum autem in præſenti negotio neutri parti, ſive affirmantium, ſive negantium, argumenta ſua, ſubinde non levia, deſunt: ita rite facturum me arbitror, ſi claritatis ergò ſingulorum momenta ex ordine promam, & quæ cuique parti reſponſa in promptu fuerint, illico ſubjungam. Lector dein ipſe, ubi argumenta cum argumentis, reſponſa cum reſponſis bene contulerit, æquum pro rei conditione arbitrium feret, & ad alterutram, quæ rectior videbitur, ſemitam ultro accedet. Itaque

2. Inter Argumenta, quibus dicti Annales Eginhardo aſſeri ab ejuſdem Patronis communiter ſolent, primum facilè eſt illud, quòd Odilo Monachus Sueſſionenſis ad S. Medardum in Hiſtoria Translationis S. Sebaſtiani M. & S. Gregorii Papæ, quam Mabillonio teſte Sæc. IV. Benedict. P. I. Ingoranno ejuſdem Medardini Cœnobii Decano ſub initia Seculi X. inſcripſerat, eoſdem Annales Eginhardo luculenter adſcribat. Nam in Præfatione ad Ingorannum ait: " *Sed Age-*
" *nardus cognomento Sapiens, ea qui tempeſtate habebatur inſignis, bu-*
" *jus reverentiſſimi cœlicolæ mentionem in geſtis Cæſarum Caroli Magni,*
" *& filii ipſius Hludovici verba faciens, inter alia, quæ annotino cur-*
" *ſu dictabat, non operoſum duxit, mortalia acta immortali adſtipula-*
" *tione robarare, ita dicens:* Dum hæc aguntur, Hilduinus Ab-
" bas beati Dionyſii monaſterii, Romam monachos petitionis
" ſuæ bajulos, ad Eugenium Sanctæ Sedis Romanæ miſit Præ-
" ſulem: flagitans, oſſa beatiſſimi Sebaſtiani Martyris ſibi trans-
" mitti. Cujus deſiderio Dominus Apoſtolicus ſatisfaciens, per
" prædictos miſſos Sacratiſſimi Martyris miſit exuvias: quæ religio-
" ſiſſimè à prædicto Viro exceptæ V. Idus Decembres, atque inte-
" rim cum loculo vectatorio, ut allatæ ſunt, apud Sueſſonam Civi-
" tatem juxta corpus beati Medardi ſunt poſitæ. Quibus ibi con-
" ſiſtentibus, tanta ſignorum ac prodigiorum multitudo claruit, tan-
" ta virtutum vis in omni genere ſanitatum, per divinam gratiam
" in nomine ejuſdem beatiſſimi Martyris enituit, ut à nullo morta-
" lium eorundem miraculorum aut numerus comprehendi, aut va-
" rietas verbis valeat enuntiari. Quorum quædam tanti ſtuporis eſſe
" narrantur, ut humanæ imbecillitatis fidem excederent, niſi certum
" eſſet, Dominum noſtrum JEſum Chriſtum (pro quo idem beatiſ-
" ſimus Martyr paſſus eſſe dignoſcitur) omnia, quæ vult, facere poſ-
" ſe per divinam Omnipotentiam: in qua illi omnis creatura in cœ-

" lo

„ lo & in terra ſubjecta eſt. „ *De his Agenardus ita.* Atque hæc ipſiſſima verba: *Dum hæc aguntur* &c. uſque ad: *ſubjecta eſt*: in his Annalibus, de quibus agimus, extare certiſſimum eſt; Agenardo itaque ſive Eginhardo hi Annales debentur. Unde licèt Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad An. 774. exiſtimârit, ſententiam eorum, qui Annales hoſce Eginhardo tribuerent, *invictiſſimis argumentis* à Cointio fuiſſe confutatam, nihilominus, inſpecto hoc Odilonis teſtimonio poſtmodum ad An. 826. in iiſdem Annalibus priſtinam opinionem deſeruit, & argumentum ab Odilone *ſive ab ſubæquali auctore profectum conjecturis Caroli Cointii prævalere debere* fatetur.

3. Sed expeditè reſpondet Eckhartus T. 2. Comment. de rebus Franc. Orient. p. 212. 213, non modò Odilonem, ſed & Marianum Scotum in fine libri II. poſt Annum 741, Gobelinum Perſonam Coſmodromii Ætate VI cap. 37 & cap. 41., item Trithemium de operibus Eginhardi (nam & hi Eginhardo Annales hos vindicant) veteribus Codicibus fuiſſe deceptos; in quibus cùm ferme ſemper Caroli vitæ, ab Eginhardo conſcriptæ, hi Annales ob materiæ connexionem & ſimilitudinem reperiantur ſubnexi, ipſi quoque Eginhardum pro Annalium Auctore habuerint, licèt re ipſa à diverſo ſcriptore fuiſſent profecti. Neque Odilonis teſtimonium magni momenti poſſe cenſeri, ait Eckhartus: utpote qui centum integris annis poſt Eginhardum vixerit: nec ſatis apparere, quo pacto Mabillonius Odilonem pro *ſubæquali* Auctore habere potuerit, qui partim ex proprio ipſius teſtimonio, partim ex dicti Operis dedicatione ad Ingoramnum decimo demum ſeculo vixiſſe probetur.

4. Verùm enimverò ſi nullum aliud argumentum contra prætenſos Eginhardi Annales & Odilonis teſtimonium poſſit afferri, nihil ſanè ſive contra Odilonem ſive contra Mabillonium rite poteſt evinci. Nam ſi ipſomet fatente Eckharto Odilo jam ante ſæculi X. annum trigeſimum ſecundum ſcripſit, & juxta Mabillonium ſub ejusdem ſeculi initium floruit (nam idem Ingorannus Decanus juxta Flodoardum contemporaneum in Hiſt. Remenſi jam Anno 932. ad Laudunenſem Epiſcopatum fuerat promotus) ſi præterea Odilo tum, cùm Opus hoc ſuum ſtylo ſatis gravi ac ſerio concinnaret, triginta circiter aut quadraginta etiam annorum ætatem jam explêſſe non *improbabiliter* dicatur: quomodo integris centum annis poſt Eginhardum vixiſſe potuit Odilo, quando juxta ipſummet Eckhartum Eginhardus Anno ſeculi IX. trigeſimo nono è vivis primùm exceſſit, ipſe verò Odilo eodem adhuc ſeculo IX. ſaltem inter vivos jam

egit? Quid quòd iisdem, quibus Odilo adhuc junior vixerat, temporibus septuagenario etiam aut octogenario majores Viri superesse potuerint, atque etiam verosimiliùs superfuerint, qui ficut Eginhardo adhuc fuêre Synchroni, ita etiam ex iisdem Odiloni rescire licuit, num iidem Annales celebratissimi, & jam Anonymo Ludovici Pii biographo notissimi, de quibus hìc quæritur, ad Eginhardum potiùs quàm ad alium Anonymum essent referendi? Neque enim suo solùm ex genio aut conjectura Odilonem prædictos Annales Eginhardo tam affirmatè tribuere ausum, ullo solido argumento poterit commonstrari. Rectè igitur *subæqualem* saltem Auctorem, cui fides jure possit impendi, Odilonem Mabillonius dixit, & nisi aliud obstet, etiam unius hujus scriptoris, propè Synchroni, testimonio stari optimè potest. Profectò Bollandus noster T. II. Januarii in Comment. præv. ad Acta S. Sebastiani §. VII. p. 261. 262. n. 37. Monachum hunc Sueffionensem, sive Odilonem (quanquam Bollandus loc. c. n. 39. determinare non audet, num Odilo, qui pariter Epistolam scripsit ad Ingorannum Abbatem de Translatione SS. Marcellini, Petri & Tiburtii, idem sit cum Auctore Translatoris S. Sebastiani: ùtùt ego haud dubitem) auctoris *coævi* nomine compellare non dubitavit; eo quòd nimirum prædecessores adhuc viderit, qui ea sibi retulerint, quæ jam ante illam Translationem sive ante annum 826. Sueffione contigerunt. Sic dum apud Bollandum l. c. cap. 18. n. 84. pag. 292 Odilo describit nocturna terriculamenta, & exitii minas, quæ Sueffionensibus quidem intentatæ, ast S. Sebastiani ope fuerant depulsæ, ita inquit: *Vidimus quosdam nec spernendæ probitatis Viros, qui Sueffæ Civitatis venturam, quam formidamus, ruinam ab his, qui audiere, se protestantur percepisse. . . Quam rem à multis, qui nostris superfuêre temporibus, sine suspicione falsi consono relatu audivi.* Et n. 85. *Et hæc idem ipsi Patres & prædecessores nostri, qui nobis ista narrabant, meritis & interventui hujus nostri piissimi protectoris deputabant, quòd nequaquam hoc sua tempestate impletum videbant.* Quòd si igitur ex Eginhardi coætaneis intelligere potuit Odilo, quid anno 826. vel jam antè Sueffione contigerit, etiam ex coævis potuit comperire, quisnam horum Annalium, de quibus disceptatur, genuinus Auctor, quænam ceterorum de hoc Auctore sententia fuerit. Optimè igitur aut coævi aut certè subæqualis Auctoris titulum merebitur Odilo, tantóque validius ejus testimonium erit, quantò minùs nobis cognitum habemus, quòd primus ipse & solus ex contemporaneis suis Annales hos Eginhardo vendicârit.

§. II.

§. II.

1. Alterum pro Eginhardi Annalibus argumentum adducit Quercetanus ſive Ducheſnius, & ait, horum Annalium ſtylum cum Vita Caroli M. *tam genuinè congruere, ut utrumque librum ab uno eodémque Auctore, ſcilicet Eginhardo, conſcriptum, quivis poſſit agnoſcere.* Verùm diſſentit Eckhartus, & utriuſque ſtyli, proin & Auctorum diverſitatem vel primo intuitu pateſcere putat. Demus tamen interim eam diverſitatem; quis literatorum aut Grammaticorum ignorat, aliam ſcriptionis methodum uſurpari in Chronicis & Annalibus, aliam in ordinata vitæ ſerie & elaborata quodammodo Panegyri contexenda? aliam, quando quis Summi Principis atque Herois, qualis Carolus fuit, geſta ſingularia ex inſtituto ornatiùs pertractanda ſelegit: & rurſus aliam, quando non niſi curſim ac velut per otium ſimplicem duntaxat Geſtorum epitomen vel ipſus annotat Auctor, vel alteri ad calamum dictat? id quod unicè juxta Odilonem præſtitiſſe Eginhardus videtur, cùm de illo affirmet, quòd *annotino* ſeu *annotativo curſu* temporum geſta *dictârit*, ſuo veroſimiliùs Ratleico, quem Eginhardus ipſe in Translationis SS. Marcellini & Petri Hiſtoria à ſe conſcripta cap. 1. num 3. 4. & 7. *ſuum* fuiſſe *Notarium* teſtatur. Vid. *Acta SS. T. I. Junii.* Enimverò ſi per ſolus ſtyli diſcrimen controverſia præſens ſit dirimenda, tale profectò tantùmque non eſt, ut Viri alii eruditiſſimi Eckharto quamprimùm ſubſcribant: atque ut ceteros taceam, Labbæus, Scriptor ſi quis alius exercitatiſſimus (qui utique tam Caroli Vitam, & Hiſtoriam Translationis ab Eginhardo compoſitam, quàm Laurishemienſes Annales ſibi perſpectiſſimos habuit) hos ipſos ſub Eginhardi nomine multoties recitavit.

Aut quiſnam hodie eruditorum erit, qui ipſam Caroli vitam & translationis SS. Marcellini & Petri Hiſtoriam ab uno eodémque Eginhardo provenire addubitet? & tamen in utraque hac ſcriptione nox ſtyli diverſitas cuilibet rerum perito ſub oculos cadet; nam prior lucubratio aliquantò altiùs aſſurgit, & nitidius incedit, poſterior verò ſtylum equidem terſum, at facilem potiùs, planum, ac ſimplicem ſapit. Nempe ſi ex unius ſtyli calamíque conditione opus quoddam controverſum Auctori cuipiam abjudicare quantocyus velis aut adjudicare, criterion iſtud à linea ſæpiùs aberret neceſſe eſt, cùm nemo, niſi qui in ſcriptionum palæſtra omnino eſt hoſpes, ignorare facilè poſſit, pro ipſomet ſcriptionis argumento ac varietate varium quoque ſcriptionis genus ſubinde expoſci? imò & pro ipſa, quâ quis

ſcribit, hominis ætate ſtylum non ràrò poſſe variari, eundémque, qui placuit juniori, à ſene non ampliùs adoptari? denique non idem ſemper animi robur, non eandem calami alacritatem atque induſtriam (præcipuè cùm de diſcrepantibus inter ſe rerum ſcribendarum argumentis, nunc facilioribus, nunc difficilioribus, nunc gratis, nunc ingratis agitur) pro familiari humanæ mentis infirmitate ab uno eodémque ſcriptore ſolere aut etiam poſſe adferri, vel poſtulari.

7. Tametſi ſi de ſolius ſtyli ratione ſit ſermo, & poſteriorem Annalium Laurishemienſium partem ſive cum Caroli Vita, ſive cum Translationis memoratæ Hiſtoria rite comparaveris (ùt non obiter comparavi) nihil ſanè diſſonum aut ab Eginhardi manu alienum, imò potiùs consonum deprehendere fas eſt. Eſto autem (id quod minùs gravatè conceſſerim. *Vid.* infrà *Annal. Loiſel.* lit. A.) priorem aut potiſſimam Annalium partem Eginhardum non ubique redolere, neque huic ſuffragari: amplius tamen inde non extunditur, quàm quòd Eginhardus Annalium partem jam aliunde acceperit, & ad ſua fortè tempora deductam ipſe deinceps laboris ſui acceſſione adauxerit & continuârit; unde poſtmodum iidem Annales ſive per Eginhardum ſive per Ratleicum, Eginhardi Notarium, eadem characteris conſtantia ex integrò rurſum deſcripti continuatique ſub communi Eginhardi nomine ab Odilone & Odilonis Majoribus potuerint allegari. Ipſe profectò Eckhartus pluribus in locis confidenter enunciat, Veteres Francorum Annales, ùtùt à Notariis Regum (qualis haud dubiè etiam Eginhardus ſub Carolo M extiterat) potiſſimùm videantur confecti, neutiquam tamen ab uno eodémque Auctore, ſed à diverſis ſenſim Scripteribus atque Notariis eſſe conſcriptos & continuatos: in quorum numero Eckhartus nominatim collocat Annales Laurishemienſes, quos à Durando Diacono & Hirminmare adornatos ipſe quidem non ſibi modò, ſed & aliis perſuadere conatur. Nam dum Cointius ad A. 774 Annales hos Monacho Laurishemienſi eo ex capite tribuit, quòd ille Scriptor ad c. Annum affirmet: *Karlus translationem Corporis ipſius* (S. Nazarii) *in monaſterio noſtro Laureshem celebravit*: Cointio è veſtigio reſpondet Eckhartus l. c. T. II. p. 211. n. 242, inde ſolummodo ſequi, quòd priorem illam Annalium partem Monachus Laurishemienſis conſcripſerit, partem verò alteram nemo alius potuerit proſequi, niſi qui ipſius in Palatio degeret, aut certè de negotiis publicis quàm inſtructiſſimus eſſet: qualis utique tum ex Caroli Vita, tum ex allegatæ Translationis Hiſtoria & perpetuis ad Palatium itineribus, tum ex propriis Epiſtolis ſuis Eginhardus ad extremam

tremam usque ætatem fuisse probatur, & Eckhartus ipse diffiteri non potuit: etsi alia longè ex causa adduci se passus sit, ut Annales hos Eginhardo abjudicaret.

§. III.

8. Tertium denique pro Eginhardi Annalibus argumentum, seu veriùs conjecturam suppeditat Lambecius T. II. Bibl. Cæsar. l. 2. c. 5. cùm ait: eidem vetustissimo Codici Cæsareo post Caroli M. Vitam, ab Eginhardo editam, mox Annales prædictos absque ullius novi tituli inscriptione subjungi; unde pronum sit ominari, quòd jam illo tempore, quo Codex hic vetustissimus est exaratus, tam Caroli Vitam quàm Annales hos Francicos ab eodem auctore Eginhardo profluxisse, Codicis Scriptor sit arbitratus, proindéque novum Annalibus titulum præfigere (cùm Carolinæ Vitæ Auctor cognitus jam esset) consultò prætermiserit. Ast minùs firma hæc conjectura videtur, rectéque respondent Pagius & Eckhartus, ille quidem T. III Crit. ad A. 772. n. 3. quòd in uno eodémque Codice diversorum Auctorum Scripta persæpe reperiantur: alter verò T. II. p. 212, quòd ob materiæ affinitatem & nexum id à Veteri collectore quàm optimè potuerit fieri, & hi Annales cum vita Caroli jungi. A novo verò titulo ideo forsan Collector abstinuit, eoquòd verus Annalium Auctor illum latuerit, & vel solus illorum aspectus, sermonisque initium, progressus & finis jam abunde totius Operis contenta, sive Regum Francicorum gesta & annos, primò intuentibus legentibúsque jam abunde manifestaret.

§. IV.

9. Nunc ad alterius partis argumenta delabimur, quibûs Eginhardi hos Annales haud esse, opinatiùs nonnulli contendunt. Et Cointius quidem l. c. ad A. 774 ex eo, quòd *Translationem S. Natarii à Karlo in monasterio* NOSTRO *Laurisbemiensi celebratam* Annalista asseruerit, non pro Eginhardo, sed pro anonymo Monacho Laurisbemiensi tanquam Annalium conditore pronuntiandum esse existimat. Verùm, ùt jam antè num. 7. ex Eckharto monuimus, sic prior duntaxat Annalium pars ad alium, quàm ad Eginhardum pertineret, de altera verò parte etiamnum disceptari, eorúmque continuator Eginhardus posset existimari. Deinde observandum vel maximè, quòd

in

in Annalibus Laurishemienſibus, quos præ manibus habuêre Pagius ad A. 774 n. 17 & Freherus in editione Adelmi ad c. a. ne quidem ea Cointii verba de Translatione Nazariana legantur; nam poſt illas voces: *reverſus eſt Karlus*: in utriusque, tam Pagii quàm Freheri, Annalibus ſolummodo ſubditur: *Et celebravit præfatus glorioſus Rex Natalem Domini, in villa, quæ dicitur Cariſiacus;* quæ verba ſimiliter leguntur in Annalibus Loiſelianis apud Henricum Caniſium T. III Antiq. Lect. Quare cùm in Cointianis Annalibus hæc poſteriora verba penitus abſint, in eorum verò locum alia ſubſtituta cernantur, quæ in pluribus aliis eorundem Annalium, vulgò Laurishemienſium, editionibus minimè extant: à poſterioris ævi tranſcriptore illud additamentum in Cointianos Annales intruſum meritò ſuſpicaberis, haud ſecus atque à Monacho San-Germanenſi certiſſimè factum, qui Adelmum (quem Freherus edidit) ſeu veriùs ſub Adelmi nomine hos ipſos Annales Laurishemienſes ſuis pariter appendicibus & additiunculis auxit.

10. Meminêre quidem ad c. a. 774 Translationis Nazarianæ Annales Lambeciani, qui ab A. 714 ad Annum usque 817 pertingunt, & tam à Pagio quàm ab Eckharto allegantur (Vid. PAGIUS T. 3. Crit ad a. 774 n. 18. ECKHART. T. I. p. 633. 634. n. 146.) ſed nec iisdem penitus verbis utuntur, quibus Cointiani; ita enim inquiunt: *Karlus ab Italia regrediens..... Translationem Corporis ipſius in Monaſterio Laureshem celebrat anno Incarnationis Dominicæ DCCLXXIV die Kalendarum Septembrium.* Unde rurſum non immeritò concluditur, quòd ſequioris primùm ætatis Monachus, cùm Annales noſtros, de quibus ſit ſermo, in ſuos aliorumque uſus aliunde exſcriberet, non modò iſtud additamentum ex aliis (fortè Lambecianis) Annalibus aſſumpſerit, ſed & particulam: *noſtro:* quæ in Lambecianis omittitur, ſua deinde ex penu immiſcuerit; Atque hæc ipſa particula in eam quoque Editionem irrepſit, quam Lipſiæ A. 1616. typis Groſſianis curatam penes me habeo.

11. Nihilominus licèt in primigenio Annalium iſtorum autographo eundem, quem in ſuis Cointius legerat, textum integrum unà cum particula: *noſtro*: jam extitiſſe permitteremus: neutiquam tamen Laurishemienſis Monachus, tanquam illorum verosimillimus Auctor, inde poterit extorqueri. Dummodo enim, qui Annales tranſcripſit, Benedictinum Ordinem fuerit profeſſus, etiam Laurishemienſe Monaſterium ipſe veriſſimè *noſtrum*, ſive *noſtri Ordinis* potuit compellare; quandoquidem id locutionis genus Religioſorum Ordinum

dinum Alumnis de Familiæ ſuæ Aſceteriis hodiedum uſitatiſſimum eſſe nemo ignorat, ùtùt ſub alieno cœlo ſolóque inter Monachos agant: quod ipſum in ſimili cauſa jam animadvertit Cuperus noſter T. V. Julii in vita S. Bernhardi Ep. Hildesh. p. 104. n. 17. Nullo itaque, vel certè exiguo loco primum hocce Cointii argumentum erit habendum.

§. V.

12. Sed neque ſolidius eſt alterum, quod ex pugnantibus inter ſe ſententiis petitur, & in Annalibus hiſce, cum Caroli Vita collatis, affatim ſe detexiſſe Cointius arbitratur. Ait enim ad An. 772 n. 7. falli Eginhardum, cùm in Caroli Vita bellum Saxonicum, *biennio ante Italicum*, ſuſceptum ſcribit; certum námque eſſe, quòd bellum Italicum non ad Annum 774 ſed jam ad 773 ſpectet: id quod etiam Annales Laurishemienſes teſtentur, qui ad A. 772 bellum Saxonicum, mox verò ad A. 773 bellum Italicum referunt, ceteris etiam Annaliſtis uno ore id affirmantibus: unde unus idémque tam Annalium, quàm Vitæ Caroli Auctor eſſe haud poſſit. Aſt ritè Cointio jam reſpondit Pagius ad A. 772. n. 3. non advertiſſe Virum, aliàs doctiſſimum, quòd ab Hiſtoricis *biennii* nomine duo anni Juliani ſæpe intelligantur, & res, tribus poſterioribus anni menſibus inchoata, & prioribus inſequentis anni menſibus abſoluta, intra biennium aut duos annos confecta non rarò dicatur. Ita Pagius. Tametſi, ſi etiam in Caroli vitâ & belli Italici Epocha Eginhardum aberrâſſe concederem, necdum idcirco cauſam evicit Cointius; quotusquisque enim Scriptorum, etiam præſtantiſſimorum, eſt, cui non error aliquis ſubinde præ ipſa Scriptionum copia obrepat, & qui in uno loco geſtorum Epocham rite ſignavit, in alio à veritate nunquam deflectat? Eam certè erroris immunitatem nec in Baronio, nec in Mabillonio, Pagióve licebit deprehendere, ùt ſuis in locis dicetur: neque ſimile errandi periculum à ſe alienum exiſtimant Hagiographi noſtri Antverpienſes in Actis SS. T. VI. Julii p. 84. n. 180. & alibi ſæpiùs, ùt ſuo loco jam diximus, cùm de Actis SS. à nobis mentio facta. Quidquid igitur ſive ad Annum 772 ſive ad 774 de pugnantibus inter ſe ſententiis ex his Annalibus, cum vita Caroli comparatis, congerat Cointius: vel illæ adeo pugnantes non ſunt, ut non ſenſui legitimo facilè poſſint adaptari & conciliari (mihi certè nihil adeò repugnans eſt viſum) vel Eginhardus, perinde ùt alii, tam ſuo quàm noſtro tempore potuit hallucinari: vel ipſe ſua menda quodammodo

retractavit: vel denique ſola prior Annalium Pars in ejus fortaſſe calamum non erit rejicienda.

§. VI.

13. ALiud itaque argumentum, ut Annales hos Eginhardo eripiat, aſſumit Pagius ad A. 826 n. 12. Dicitur in iisdem ad An. 827. *Ipſo tempore Heinardus ſui temporis prudentiſſimus Virorum, ſanctæ devotionis incitatus ardore, Romam miſit: & corpora Sanctorum Marcellini & Petri, annuente Papa, in Franciam fecit transvehi: & valde decenter in proprio territorio, propriisque ſumptibus recondidit. Quorum meritis hactenus ibi Dominus multa operatur virtutum miracula.* Atqui, ſubjungit Pagius, incredibile omnino, tam magnificè in Annalibus de ſe Eginhardum ſenſiſſe, qui in (hujus) Translationis à ſe deſcriptæ hiſtoria tam demiſsè de ſe loquebatur, & in Hiſtoriæ prologo non niſi *Einhardi peccatoris* nomine ſe compellârat. Verùm cùm eadem omnino verba in Vita Ludovici Pii, ab Anonymo ſcripta, reperiantur, rectè quidem reſpondet Eckhartus T. 2. p. 213, totam illam Periodum ex vita Ludovici à poſteriore quodam librario ſeu antigrapheo in eosdem fuiſſe intruſam; aſt rationem ſuæ aſſertionis ibidem non addit Eckhartus, quæ tamen ſe facilè prodit. Nam in eorundem Annalium editione, tum quâ ipſe Eckhartus ad A. 827 mox ab initio numeri XXV, tum & ego fuimus uſi, multò aliter res iſthæc ſe habet, quàm Pagius recitârit. Ita enim in hiſce legitur ad A. 827: *Corpora beatiſſimorum Martyrum Marcellini & Petri de Roma ſublata, & Octobri menſe in Franciam allata, ubi multis ſignis atque virtutibus clarificata ſunt.* Atqui hæc verba multùm ſanè differunt ab iis, quæ ex Pagio intelleximus. Editio quippe, quâ uſus eſt Pagius, meminit non ſolùm Eginhardi *prudentiſſimi*, ſed & *conſenſus* à Pontifice dati: noſtra verò Editio nec de annutu Pontificis, nec de Eginhardo quidpiam addit: imò *corpora de Roma ſublata*, ſeu clanculum ſubducta, inſcio utique Pontifice, veriſſimè teſtatur. Quare cùm nemo ſit, qui Annalium Laurishemienſium Auctorem ſaltem poſterioribus annorum geſtis coævum fuiſſe addubitet, ex ipſa verò Translationis Hiſtoria, furtum illud Romanum etiam aliis ea ætate notiſſimum, imò & ab ipſomet Eginhardo in eadem Hiſtoria publicis etiam literis fuiſſe proditum conſtet, jure merito infertur, quòd qui Annales Laurishemienſes à Pagio allegatos deſcripſit, eosdem minùs ſincerè reddiderit, & quia furtum fortè diſplicuit, potiùs ex Ludovici pii biographo (qui tamen non ante

Cæſaris

Cæſaris obitum ſed poſt annum 840 ſcripſit) textu magis honorifico annales hosce infarſerit. Unde cùm in illis pariter Annalibus Laurishemienſibus, quos ſub Adelmi nomine Freherus publicavit, eadem penitus, quæ apud Pagium, de hac translatione legantur, non parùm veroſimile ſit, quòd idem Monachus San-Germanenſis, qui mox ad anni præcedentis ſeu 826ti finem per addititiam de ſuo Cœnobio narrationem eosdem Annales interpolavit, hìc quoque ſive ad A. 827mi ſimiliter finem eandem ſibi mutuandi, mutandive licentiam arrogârit.

14. Præterea vel Annalium Editio Pagiana legitima eſt, vel noſtra? ſi noſtra: ergo Pagii argumentum, ex corrupta tranſcriptione depromptum, legitimis Eginhardi Annalibus nihil admodum officere poteſt. Si Pagiana: multò itaque rectiùs feciſſet Pagius, ſi hosce Annales non tam ex magnificis de Eginhardi prudentia verbis, quàm ex aperta Annalium circa rem ipſam falſitate Eginhardo abjudicâſſet. Luculenta námque falſitas eſt, quòd *Pontifice annuente* ea Corporum ſit translatio facta; utpote cui ipſe Eginhardus, Translationis Scriptor indubitatus, manifeſtè contradicit, & inconſulto penitus Pontifice clanculum ſurrepta corpora, nec niſi inter ſummos aſportantium angores in Franciam denique translata fuiſſe uberrimè indicat. Atque hoc ſanè argumentum multò validius in rem Pagii videri debuerat, quàm illud, quod ex nota Eginhardi Scriptoris humilitate arripitur; multò quippe faciliùs fieri potuit, ut paucula illa verba, de ſe quidem veriſſima: *Virorum ſui temporis prudentiſſimus*: ab aliquo recentiore graphione in Eginhardi laudem textui inſererentur, quàm ut totus omnino textus in præpoſterum ſenſum perverteretur, & præcipua translationis adjuncta adulterarentur. Jam verò quòd Pagiana Annalium Editio præhabenda ſit noſtræ, quô id argumentô evictum dabitur? Nullô ſanè. Malit enim quilibet illam amplecti, quæ non modò contemporaneum Auctorem loquitur, ſed & cum veritate, jam olim pluribus notiſſima, ex aſſe congruit, quàm illam, quæ apertè falſum pronuntiat, ideóque juniorem amanuenſem non parùm redolere videtur; præcipuè cùm de iisdem Annalibus jam ſuprà n. 9 & 10 contra Cointium oſtenderimus, quòd & ipſe ad A. 774 ex illis additamentum quoddam adduxerit, quod in aliis Codicibus minimè reperitur.

15. Accedit, quòd in hisce Annalibus tam apud Pagium, quàm apud Freherum ad A. 826 perperam ſcribatur *Heinardus*; nam non modò in Hiſtoria Translationis, ſed & in omnibus Epiſtolis ſuis ſi-

ve ad Lupum Abbatem Ferrarienſem ſivè ad alios, Eginhardus ipſe ubique *Einhardum* ſe ſcribit, neque in Cæſareo Donationis Diplomate, quò Michelſtadium & Müllenhemium Ludovicus Pius Eginhardo donaverat, alio quàm *Einhardi* nomine indigitatur. Imò iidem Laurisheimienſes Annales tum apud Pagium ad A. 806 n. 4. tum apud Freherum ad e. A. (ubi de Caroli M. teſtamento per Eginhardum ad Pontificem delato fit mentio) genuino *Einhardi* nomine Cæſarei hujus Teſtamenti bajulus nuncupatur. Quare non temerè arbitrabimur, ſi ea, quæ de *Heinardi* nomine & laudibus poſtmodum ad An. 826. iisdem immixta leguntur, ab alio poſtmodum depravatore ex Vita Ludovici ibidem fuiſſe ſuppoſita dicamus; in hac enim Vita tam *Heinardi* nomenclatura, quàm totus reliquus, qui ſive ad Eginhardi encomium, ſive ad Pontificis conſenſum attinet, textus cum dictis Annalibus per ſingula omnino verba conſpirat. Emendatior proin noſtra Annalium editio cenſeri debebit, quàm Pagiana; præcipuè cùm ipſe Pagius ad An. 826. n. VI. fateatur, quòd varia ſit Annalium Laurisheimienſium editio, & una alterâ melior; nam qui in ſuo Codice ad An. 826. legerat *circa Kalendas Julias*, ex aliis dein Editionibus emendavit errorem, & *Junias* ſubſtituendum eſſe ſignificavit.

§. VII.

16. MUltò validiori ariete, & argumento, ſua quidem opinione peremptorio, utitur Eckhartus, ut Annales hos Francicos ab Eginhardo compoſitos inficias eat. Ait enim T. 2. p. 213. n. 242. ex Hiſtoria Translationis SS. Marcellini & Petri, cujus Auctorem Eginhardum omnes agnoſcunt, manifeſtum fieri, Sanctos hos non Anno 827, ùt hi Annales affirmant, ſed Anno demum 828. in Germaniam eſſe translatos: id quod & Annales Fuldenſes teſtentur, & aliàs facilè poſſit oſtendi; Eginhardum verò, ſi prædictorum eſſet Annalium parens, in menſe (ſeu veriùs in *Anno*) adventûs reliquiarum ſuarum annotando errâſſe, haud eſſe ſuſpicandum. Quòd autem hac in re erraverit Annalium Auctor, mox *clarè* à ſe *demonſtrandum* pollicetur Eckhartus. Aſſerit itaque l. c. p. 216. n. 249, 1mò. Quòd poſtquam Anno 827. Eugenius II. menſe Auguſto, eodémque adhuc anno, Menſe Septembri Valentinus Eugenii Succeſſor è Vita deceſſerant, Oratores Romani, qui in Franciam mittebantur, menſe demum Novembri approbationem Electionis Gregorii IV. à Cæſare potuerint impetrare. Subdit 2dò. pag. 217. 218. n. 250. tum Annalium Laurishe-

sishemienſium, tum Fuldenſium verba, quorum priores adventum SS. Corporum in Francia cum Anni 827. menſe Octobri illigant (ut ſuprà diximus) poſteriores verò in ejusdem Anni menſem Nobembrem hiſce verbis reijciunt: *Corpora beatorum Chriſti Martyrum Marcellini & Petri menſe Novembri in Franciam allata ſunt.* Ad annum verò 828. iidem Fuldenſes inquiunt: *Reliquiæ Sancti Marcellini Martyris poſt Paſcha ad Aquis Palatium delatæ, & per eas ibi multa ſigna facta ſunt.* 3tiò. Ex Hiſtoria Translationis deſcribitur Ratleici abitus (quem Eginhardus pro aſportandis Reliquiis Romam deſtinaverat) ejusdem, ex reditu ſuo, in urbe Papia mora: legatorum Romanorum illac prætereuntium & ad Cæſarem proficiſcentium iter: ſubſecuta Ratleici per Burgundiam & Alſatiam profectio: ejusdem denique ad Michlenſtadium cum Reliquiis Sanctorum adventus. His jam prænarratis illico ſubijcit Eckhartus. " 4tò. Cùm jam certum ſit, conſideratis probè iis, " quæ antea (num. 49.) diximus, Legatos Romanos eos fuiſſe, qui " Electionem Gregorii Papæ Ludovico Imperatori intimârunt, hóſque non priùs quàm menſe Octobri jam adulto Compendium ad " Imperatorem venire potuiſſe: Ratleicum autem cum Sanctis Corporibus non antè Papiâ diſceſſiſſe, quàm reſciverit, Legatos ejusdem Franciæ limites tranſiiſſe: ſexta die ad S. Mauritium veniſſe, " ibíque feretro conficiendo & neceſſariis, ad iter pedibus proſequendum, comparandis aliquot etiam dies inſumpſiſſe, indéque Sancta " Corpora palàm & apertè Michelſtadium uſque humeris impoſita portari feciſſe dicatur: impoſſibile eſt, ut menſe Octobri eò venire " potuerit. Falſò igitur ab Annalibus Laurishemienſibus traditur, " illa corpora menſe Octobri in Franciam veniſſe: & vel hinc patet, " eorum Auctorem non eſſe Eginhardum. Is enim accuratiùs in re " tanti momenti locutus fuiſſet. Et Fuldenſes ceteríque Annales, " reliquiarum adventum in Franciam in menſe Novembrem reijcientes majorem fidem merentur. „ Pergit 5tò. Eckhartus l. c. & ab eodem deſcribitur tam Eginhardi ad Baſilicam Michlenſtadienſem feſtinatio, quàm Reliquiarum ad locum Müllenhemienſem translatio; verba verò, quæ ipſe Eginhardus de translationis hujus tempore in Hiſtoria ſua diſertè notavit: *Facta ſunt hæc decimo ſexto Kalendas Februarias*: Eckhartus de anno 828. interpretatur num. 251. Ad extremum adducit cetera, quæ eodem Anno 828. contigêre: ſcilicet Comitia Aquiſgranenſia, menſe Februario habita: Eginhardi ad eadem acceſſus: hujus cum Hilduino Abbate & Archi-Capellano Colloquium: hauſta exinde de furtivis Sanctorum ſuorum, in Gallia

etiamnum Sueſſione retentis, quibusdam reliquiis notitia: harum ex Galliis per Hilduinum facta reſtitutio, earúmque primò Aquiſgranum, inde verò (poſt quampiam illarum partem Gregorio Presbytero & Valencenenſibus priùs ab Eginhardo donatam) ad eandem pariter Müllenhemienſem Aedem publica transportatio. E quibus omnibus tandem infert Eckhartus l. c. p. 220. n. 251. *manifeſtum* eſſe, quòd pro Anno Ludovici *quarto decimo* (quem ſcilicet in ſuo Miraculorum libro idem Gregorius Presbyter annotârat, & per id ipſum, reliquiarum quoque ſibi ab Eginhardo traditarum tempus, ſive Annum Chriſti 827. luculenter expreſſerat) Annus *quintus decimus*, ſeu Chriſti 828. in Gregorii textu ſit reſtituendus; *Nam menſe*, inquit, *Julio* (de quo menſe loquitur Gregorius) *Anni* 827. *reliquiæ hæ nondum Italiâ erant exportatæ.* Ita pro placito ſuo Eckhartus, & ſpeciosè magis, quàm verè aut ſolidè.

17. Nam in hocce Viri Clariſſimi ratiocinio complura ſanè occurrunt, quæ non modò nihil demonſtrationis prætenſæ, ſed & apertæ vel contradictionis vel hallucinationis non modicum habent. Nam 1ò. ait pag. 213, ex Hiſtoria Translationis ab Eginhardo conſcripta manifeſtum fieri, quòd Translatio *in Germaniam* non Anno 827. ſed 828. contigerit, idque ex Annalibus Fuldenſibus confirmari. Et tamen pag. 217. 218. 219. 220. tria ſanè, huic aſſertioni ſuæ repugnantia, ex ejuſdem Hiſtoriæ auctoritate admittit. Primum: quòd Sanctorum corpora delata ſint Michelſtadium. Alterum, quòd ibidem eouſque fuerint depoſita, dum Eginhardus de re certior fieret, atque ipſe illuc excurreret. Erat autem tum temporis Eginhardus in Civitate Gandavenſi, ùt ex Translationis Hiſtoria liquet: Gandavum verò (ùt Papebrochius notat T. I. Junii p. 187. lit. c.) centum viginti leucis Michelſtadiô diſtat. Tertium, quòd etiam poſt Eginhardi adventum Sacræ Exuviæ aliquanto adhuc tempore eodem in loco perſtiterint, dum tandem cœleſti monito Müllenhemium Anno (juxta Eckhartum) 828. 17. Januarii (quam diem Translationis Hiſtoria docet) publicè ſint deportatæ. Jam verò quiſquis itineris & temporis ſpatium, quô Eginhardus partim de adventu reliquiarum commonitus, partim poſt perceptum nuntium Gandavo Michelſtadium anno jam inclinante diéque decreſcente iter longinquum eſt proſecutus: moram item, quâ Michelſtadii ſacrum Depoſitum etiam poſt Eginhardi adventum conquieverat, antequam 17. Januarii Müllenhemii, undecim circiter leucis Michelſtadiô diſſiti, rite appulerit: quiſquis, inquam, hæc exactiùs inter ſe comparaverit, aliter profe-

&tò ſecundum ipſius Eckharti aſſertiones præmiſſas ſtatuere non poteſt, quàm quòd Translatio illa *in Germaniam* (nam & Michelſtadium in Germania utique ſitum) non anno primùm 828, ſed priore ſaltem Anno 827. neceſſariò jam contigerit. Quòd ſi tamen de poſtrema ſolummodo ac veluti decretoria in Germaniam, ſive Müllenhemium Translatione ſit ſermo, nulla equidem in Eckharti verbis ſit contradictio; aſt malè ad Annales Fuldenſes is provocat. Nam hi ad An. 828. de iis ſolummodo reliquiis, vel potiùs earum parte agunt, quæ per Hilduini Presbyterum ex reliquo Sanctorum MM. Corpore furto ſubleætæ, ad S. Medardum Sueſſione aliquamdiu detentæ, poſtea primùm *Aquiſgranum* delatæ, & Eginhardo ab Hilduino ſunt reſtitutæ: non verò de iis, quæ Aquiſgranum nunquam pervenêre, ſed per Alſatiam rectà Michlenſtadium ab Ratleico, Eginhardi Notario, inde verò ab Eginhardo Müllenhemium jam 17. Januarii ſolenniter ſunt devectæ, toto ſcilicet trimeſtri aut bimeſtri citiùs, quàm ille Gallicani Presbyteri furtum ex ipſomet Hilduino Aquiſgrani comperiſſet: ùt ex Translationis Hiſtoria certum. Unde ex Annalibus Fuldenſibus nihil pro hac Translatione Germanica in Annum primùm 828. reijcienda eruitur. Imò iidem Fuldenſes, uti & Laurishemienſes ad annum 827 reliquias *in Franciam* delatas exertè commemorant, niſi quòd Fuldenſes menſem Novembrem pro tempore adventûs determinent. Quoniam verò duplex jam tum Francia cenſebatur, *Orientalis* nimirum & *Occidentalis* (Vid. Annal. Fuld. ad An 837. & 839.) Scriptor autem Fuldenſis *Occidentalem* ſive *Galliam* hoc loco non exprimit; imò ubi de Francia occidentali loquitur, eam non niſi *Gallie* nomine compellare conſuevit (Vid. Annal. Fuld. ad A. 841. 842.) multò veroſimiliùs de Francia *Orientali* (ad quam Michelſtadium pertinet) intelligendus eſt Scriptor Fuldenſis, uti & Laurishemienſis: præterquam, quòd uterque ab omnibus pro Scriptore habeatur Franco-Germano, & inſuper multò notior in Germania fuerit publica illa SS. Corporum Michelſtadium translatio luculentáque miracula, quàm furtivus ille reliquiarum, inde decerptarum, in Galliis detentus, quem vel Eginhardus ſat longo tempore ſe ignorâſſe fatetur. Quare Annales Fuldenſes, ſi penitius expendantur, Eckharto potiùs obſunt, quàm proſunt.

18. Sed & 2dò. vehementer fallitur Annaliſta Fuldenſis, & cum eo Eckhartus, dum Annô primùm 828 Reliquias Aquiſgranum è Gallia miſſas prætendunt; nam major omnino fides habenda Gregorio Preſbytero, qui ſexaginta circiter Annis hunc Annaliſtam præceſſit,

&

& jam Anno Imperii Ludovici *quarto decimo*, ſive Chriſti 827 eárundem, quæ recentiſſimè ex Galliis Aquiſgrani advenerant, reliquiarum partem ibidem ab Eginhardo dono ſe accepiſſe in ſuomet Miraculorum libello ad eundem Eginhardum manifeſtè teſtatur. Aut quo tandem vel in ſpeciem probabili argumento doceri poterit, corruptum fuiſſe Gregorii textum, & pro anno decimo quarto ſubſtituendum eſſe decimum quintum, ùt confidentiùs aſſerebat Eckhartus? Certè tam Editio Suriana, quàm Codex M S. Reginæ Sueciæ, quem cum Suriana Papebrochius contulit, annum utrinque quartum decimum exhibent. Multò itaque rectiùs ex coævi Gregorii in re propria teſtimonio, quàm ex poſterioris Annaliſtæ Fuldenſis aliena narratione Translationis Epocham oportet decerni. Quod ſi obſervâſſet Eckhartus,

19. Non in errorem 3tium. ac veluti ceterorum caput is impegiſſet, dum per Romani Pontificis legatos, ob quorum adventum Raleicus aliquamdiu Papiæ ſubſtitiſſe ab Eginhardo in Hiſt. Translat. narratur, ipſe nullo veteri Auctore ſuffultus Gregorii IV. Oratores, Anno haud dubiè 827. menſe primùm Septembri aut Octobri in Galliam miſſos, intelligit; nam per hos ab Eginhardo non Gregorii IV, ſed Eugenii II legatos, qui jam Anno 826. in Germaniam Ingelhemium venerint, denotari, ipſa Translationis Hiſtoria, & multò ordinatior rerum ſeries pandit.

§. VIII.

20. QUod ut eò faciliùs intelligatur, quæpiam ex ipſis Annalibus Laurishemienſibus (de quibus præſens quæſtio orta eſt) hoc loco ſunt præmittenda. Conſtat ex iis primò, quòd Imperator Ludovicus Pius ſub anni 826. initium in hybernis egerit Aquiſgrani. 2dò. Quòd circa Kalendas Februarias ejuſdem anni illuc ex Aquitania ad Patrem venerit Pippinus filius, & medio demum menſe Majo Aquiſgrano digreſſus Imperator circa Kalendas Junias Ingelhemium venerit, ubi numeroſiſſima Comitia ſint celebrata, & diverſarum Gentium terrarúmque legati ſint auditi. 3tiò. Quòd inter hos ipſos extiterint Romani Pontificis, Eugenii II, Oratores, Leo Centumcellenſis Epiſcopus, & Theophylactus Nomenclator. 4tò. Quòd poſt completa ſolenniter Comitia Ingelhemienſia, indictúmque ad medium Octobris eandémque ſtationem iterarum ſuorum Generalem Conventum, Imperator trans Rhenum ad villam Selz cum comitatu ſuo abiê-

abiêrit, autumnali verò venatione transacta Ingelhemium medio Octobri ad Comitia rursus peragenda rediêrit. 5tò. Quòd post absoluta hæc ipsa Comitia Aquisgranum hyematurus discesserit Imperator, ibique etiam insequente Anno 827 eousque sit commoratus, dum geminus pro more Conventus, unus scilicet Noviomagensis, alter Compendiensis aliò Principem evocârit. Quandonam verò primus, de quo antè, Ingelhemiensis Conventus, qui scilicet circa Kalendas Junias suum initium sumpsit, finem suum acceperit, exactè quidem ex Annalibus hisce haud constat, nisi quòd ante Selzense iter &, quæ subsecuta est, Autumnalem Venationem ea finita jam fuerint; illud tamen ex ipsius Ludovici Imperatoris Diplomate ad e. a. Carisiaci dato colligitur, quòd saltem ante mensem Augustum Conventus ille solutus jam fuerit. Diploma enim istud, quod etiam Eckhartus T. 2. p. 207. 208. n. 234. ex Mabillonii Annalibus Benedictinis recitat, datum est Kalendis Augusti. Quo tempore legati pariter Romani in Italiam jam potuêre reverti, postquam iidem mense Junio, aut certè Julio (nam ob ipsam negotiorum legatorúmque frequentiam Comitia verosimiliùs eousque fuêre extracta) Ingelhemium ad Imperatorem pervenêre: prout Annales Laurishemienses affirmant.

21. Quòd si autem legati Romani ex Italia, Junio aut certè Julio mense, Ingelhemium assequi jam potuêre, quid nî etiam Ratleicus cum socio, qui sub idipsum temporis jam in reditu suo Papiam tenuerat, saltem Octobri mense unà cum pia sarcina seu Sanctorum exuviis in Germania jam adventârit, quemadmodum Annales Laurishemienses testantur? ùtùt ipsus aliàs in Translationis *Anno* ab iisdem reipsa dissentiam, id quod infrà magis clarescet. Neque efficax suppetit ratio, cur Annales Fuldenses (qui Mensem Novembrem) præhabendi sint antiquioribus Annalibus Laurishemiensibus, qui Mensem Octobrem definiunt. Imò eùm tempus omne, quo cum Reliquiis in & per Germaniam est peragratum, uno utique die à Ratleico confectum haud sit, evenire profectò potuit, ut partim Octobri exeunte, partim ineunte Novembri totum iter Germanicum absolveretur. Unde nec Laurishemienses, nec Fuldenses Annales sibi invicem contradixisse censendi sunt, quòd hi ad Novembrem, illi ad Octobrem, Reliquiarum in Franciam, sive Franco-Germaniam adventum alligârint. Certè & Fuldenses Annales ad A. 826. ajunt, quòd primus Ingelhemiensis Conventus habitus sit *Mense Majo*; ast Laurishemienses inquiunt, factum idesse *circa Kalendas Junias.* Num idcirco Scriptorum contradictionem inde mox argues? Loquitur nimirum unus

de Majo jam inclinante, quo ſcilicet tempore plures jam advenerint, antequam Cæſar ipſe adventaret: loquitur verò alter vel ſimiliter de Majo jam finiente, vel de ipſis Junii initiis, tanquam veriore Comitiorum exordio, utpote quæ frequentiore Procerum numero & ipſius Cæſaris præſentiâ nobilitata jam eſſent. His itaque præliba-tis, ita ſeſe Translationis hiſtoria habet.

§. IX.

22. *Primò.* Miſerat An. 826. Eginhardus Ratleicum, Notarium ſuum, cum DEUS-dona, Presbytero Romano, & Huno, Hilduini Abbatis Clerico, Romam, ut promiſſas ſibi à DEUS-dona Reliquias inde ſecum in Germaniam ferret. Mulis itaque vecti, primo labentis Anni trimeſtri Aquiſgrano diſcedunt (nam ibi Cæſar tunc hyemaverat, & ibidem in Curia Eginhardus pro more degebat) atque ut Hiſtoria Translationis c. 1. n. 3. teſtatur, *Romam, quanta potuerunt, celeritate perrexerunt. Secundò.* Sacris oſſibus furtim potitus Ratleicus, unà cum Sociis Papiam contendit: indè verò Hunus per Gallias præmittitur, qui tamen Ratleico inſcio partem reliquiarum ſurripuit, ſurreptámque ad S. Medardum Sueſſione depoſuit; Ratleicus contrà per unam alterámve hebdomadem cum reliquo theſauro adhuc Papiæ hæſit, dum Oratores Pontificis (Eugenii II.) illac prætereuntes, Alpes Francicas attigiſſent, ad Cæſarem ſcilicet profecturi, qui circa Kalendas Junias Comitia Ingelhemienſia celebrare decreverat, eadémque poſtmodum ante Auguſtum menſem abſolverat, præſentibus, quos diximus, Eugenii legatis, ut ex Annalibus Laurishemienſibus notum. Poſtquam igitur Italiæ finibus exceſſerant legati, ſuum quoque iter proſecutus eſt Ratleicus, & aliâ viâ per Burgundiam & Alemanniam uſus, Michlenſtadium cum exuviis petiit, illúcque Octobri menſe devenit. *Tertiò.* Monitus ea de re Eginhardus, qui tum Gandavi in Monaſterio ſuo diverterat, confecto centum & viginti leucarum itinere, Decembri circiter menſe, Michlenſtadium magna cum feſtinatione contendit, quantam ſcilicet maxima dierum tum decreſcentium brevitas, & ipſe tempeſtatis jam frigidiuſculæ rigor permittebat. *Quartò.* Subſtitêre Michlenſtadii, etiam poſt Eginhardi adventum, Sanctorum reliquiæ aliquanto tempore; nam in Hiſtoria Translationis cap. 2. n. 15. deſcribit Eginhardus: quid *triduo poſt adventum noſtrum exacto* puer Ratleici viderit; aſt Visô hoc neglectô, *interim*, dum aliud certiúsque ſignum ederetur, *ſacros cineres ſericis ac novis*

novis pulvinis insui fecit Eginhardus. Postea (n. 16.) emendari is desideraverat loculum, meliorémque substitui; sed *quadam die* post Completorium novum editur signum, & *continuos septem dies* sacra lintea sanguinem fundunt. Nihilominus (n. 17.) adhuc dubitaverat Eginhardus transferre Corpora; sed re DEO & SS. commendata, factum est, ut *per continuos dies nulla nox preteriret*, in qua uni vel duobus non revelatum, Corpora transferri oportere. *Ad extremum* autem cuidam Presbytero revelatio facta impulit Eginhardum, ut mox altero die se cum Exuviis ad iter accingeret, & Müllenhemium bidui spatiô delatus, postera luce seu 17 Jannuarii Anni 827. Translationem ibidem solennius celebraret. *Quintò* reconditis *postridie* sive 18. Januarii reliquiis, & ordinatis ibidem Clericis, qui divinis laudibus, assiduisque excubiis operam darent, Eginhardus *non solùm sua sponte, sed etiam regali diplomate, quod in viâ sibi obviam venerat, evocatus... ad Palatium cum magnâ exultatione est regressus*: ut in *Hist. Transl.* c. 2. n. 21. ipse fatetur. Intelligitur autem hoc loco Palatium Aquisgranense; ibi enim etiamnum morabatur Imperator usque ad Conventûs Noviomagensis initia, prout ex Annalibus Laurisham. compertum, qui Cæsarem egredientè Anno 826. Aquisgranum ad hyberna profectum commemorant. *Sextò.* Ad Palatium dum Eginhardus se confert, ex itinere rumorem intelligit (*Vid. Hist. Transl. c. 3. n. 24.*) se circa Sanctorum reliquias ab Hilduini Presbytero fuisse deceptum; Aquisgranum verò ubi pervenit, paucis post diebus ex ipsomet Hilduino Abbate de reliquiarum spolio docetur, atque ut sibi ab Hilduino redderentur, evincit. Vehêre illæ ex Galliis ipsâ hebdomadâ sanctâ, atque ab Hilduino post expletam Paschatis Octavam Eginhardo restituuntur. *Vid. Hist. Transl.* c. 3. n. 22. 26. 27. *Septimò.* Hæ ipsæ reliquiæ, ex Galliis allatæ, cùm Aquisgrani primùm in privato Eginhardi *Oratorio*, dein in ipsa Deiparæ *Basilica* palam fuissent expositæ, mox variorum beneficiorum ac famâ miraculorum vicinium Aquisgranensem implevêre, ipso Cæsare plurimùm exultante, & in Sanctos continuò liberalitatem suam contestante. *Vid. Hist. Transl.* n. 26. 27. 28. 29. & à n. 60 ad 68. *Octavò.* ex his verò reliquiis *primus omnium* Gregorius Presbyter Venetus, & Valencennensis in Hannonia Abbas, à Cæsare recèns creatus, ab Organi constructione notissimus, Aquisgrani partem quampiam ab Eginhardo receperat. *Vid. Hist. Transl.* n. 68. 69: & quidem eodem Anno 827, seu 14to *Ludovici Imperii Anno*, ut patet ex ipsomet Gregorii libello & Hist. Translat. n. 69. *Nonò.* Hæ reliquiæ, Valencennas confestim à Gregorio per Diaconum Theodar-

dum transmiſſæ, partim in ipſo itinere, partim in deſtinato conditorii loco Menſibus Junio & Julio luculentis in ægrotos beneficiis inclaruêre. *Vid. Hiſt. Transl.* n. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. *Decimò.* Poſtquam Eginhardus ex Aquisgranenſi Baſilica Sanctorum Evergetum ſuorum Exuvias, ab Imperatore jam lautè honorificéque dictas, rurſus ad locum priſtinum, ſive privatum ſuum Aquisgranenſe Sacellum referri curaverat, eásque per alios inſuper quadraginta & ampliùs dies ibidem aſſervârat, Imperatore tandem ad venationem pro more digreſſo, ipſe pariter cum Sacro Depoſito Müllenhemium abiît. *Vid. Hiſt. Transl.* n. 29. 30. 31. *Undecimò.* Cùm poſt ſedecim dierum iter Müllenhemium pertigiſſet Eginhardus, easdem *in gemmata capſa* eousque à ceteris, quæ jam antè per Ratleicum fuerant allatæ, ſeparatas recondidit, donec *Menſe Novembri ad Comitatum* (ſive Curiam Aquisgranenſem) proficiſci jam parans, cœleſti priùs moneretur oſtentô, ut easdem cum cetera reliquiarum, jam ſub initium anni eò translatarum, parte conjungeret. Quô factô, *Novembri menſe ad Comitatum ibidem hyematurus perrexit.* Vid. *Hiſt. Transl.* n. 31. 33. 44. 46. Et n. quidem 46 ita inquit Eginhardus: *Igitur inde digreſſus* (Müllenhemiô) *ſicut ſuperiùs dixi* (ſcilicet *menſe Novembri*: juxta n. 44. 33. 31) *ad Comitatum perrexi; nam Imperator Ludovicus eo tempore* AQUISGRANI *Palatio conſtitus, conventum Procerum ibi fieri* MEDIA FERÈ HYEME *præceperat: ubi & ego inter ceteros adeſſe juſſus, quia de vicinia beatorum Martyrum abeſſe cogebar, parùm jucundas in Palatio moras faciebam.* Dein ſubjungit, quòd *poſt multum ab adventu ſuo menſem exactum* Aquisgranô Müllenhemium remiſerit è ſuis Ellenhardum, quid ibi ageretur, exploraturum: numero autem 47. 48. quòd *non multò* pòſt Ratleicus Aquisgrani advenerit cum libello, capitula continente, juſſa Archangeli ſcripta. Num. 49. quòd ſub idem ferè tempus, quo Ratleicus Müllenhemium rediît, allatus ſibi fuerit alter libellus, qui annotaverat dicta dæmonis ex perſona obſeſſa. Ex num. demum 54 manifeſtum evadit, quòd jam Menſe Majo ipſe Eginhardus Müllenhemium remeârit; nam Natalitia BB. Martyrum die, quæ fuit 2. Junii, ipſus ibidem miraculum ſe vidiſſe deſcribit. Itaque Conventus ille Procerum, cui juxta num. 46 intereſſe debuit Eginhardus, alius re ipſa non fuit, quàm quem Papebrochius T. 1. Junii p. 197 lit. a. atque etiam Eckhartus, ex Annalibus Laurishemienſibus deſignant. Ita enim ad A. 828 Annales hi referunt: *Conventus* AQUISGRANI MENSE FEBRUARIO *factus eſt, in quo cùm de multis aliis cauſis, tum præcipuè de his, quæ in Marcha Hiſpanica contigerant, ratio*

tio *habita &c.* *Duodecimò.* In hac altera demum Aquiſgranenſi ſtatione rogatus à Gandavenſibus S. Bavonis Monachis Eginhardus, etiam ſacrarum reliquiarum quidpiam ad eoſdem Gandavum miſit An. 828. prout alius libellus miraculorum ab illis Monachis ad Eginhardum ſimiliter ſcriptus affirmat. *Vid. Hiſt. Tradslat.* n. 76.

23. Jam verò ex ſolis hiſce Eginhardi itineribus, ab ipſomet fideliſſimè ſecundum ordinem deſcriptis, & attentiùs conſideratis, quis non illico agnoſcit, *primum* reliquiarum adventum in Germaniam cum Anno 826: earum verò Translationem, quæ Michlenſtadio Müllenhemium ſuſcepta, cum Anni 827. menſe Januario: illarum denique, quæ ex Galliis Aquiſgranum, & inde rurſus Müllenhemium facta, deportationem cum ejuſdem Anni 827. menſe Martio, Aprili & Junio eſſe connectendam? Multum itaque à linea diſceſſit Eckhartus, cùm Reliquiarum translationem in Germaniam in annum primùm 828. rejiciendam, Annalibus item Fuldenſibus præ Laurishemienſibus inhærendum, atque hos ipſos ex dicto capite neutiquam Eginhardo vendicandos eſſe, firmiter judicavit. Nam ut telam omnem hîc paucis repetam, retrogrado ordine itinera Eginhardi retexo, & à poſterioribus exordium duco. *Anno* 828. *Februario menſe*, ſeu media ferè hyeme Comitia celebrata ſunt Aquiſgrani. Aquiſgranum verò tum ad hyberna, tum ad ipſa ventura Comitia Februa jam antè acceſſerat Eginhardus *Menſe Novembri* Anni ſuperioris 827. Ante hunc ipſum menſem Novembrem Anni 827. quadrimeſtre circiter tranſegerat Eginhardus *Müllenhemii.* Müllenhemium verò tum primùm Aquiſgranò is rediit, cùm & Reliquiæ furtivæ ex Galliis illi *Aquiſgrani* eſſent redditæ, & Cæſar ad venationem fuiſſet profectus. Redditæ ſunt reliquiæ poſt Octavam Paſchatis Anni 827. Aquiſgranum autem (quò ſcilicet intra unius Anni 827. ſpatium bis fuerat proficiſcendum) mox poſt 18. *Januarii* ex Cæſaris juſſu primum iter inſtituit Eginhardus, poſteaquam Romana Sanctorum lipſana paulò antè ſive 17ma. *Januarii Müllenhemium* tranſtulerat. Denique priuſquam hæc ipſa Lipſana, quibuſcum Ratleicus in Germaniam advenerat, Müllenhemium transvehi poſſent, *Michlenſtadii* eadem tamdiu quievêre, dum & nuntius, *Gandavum* uſque ad Eginhardum, & hic cum nuntio Michlenſtadium adulto Anni tempore reverterentur, atque ita cum itu & reditu *ducentæ quadraginta leucæ* conficerentur, iter utique ſatis *longinquum*, ſi dierum tunc maturatiſſimas noctes rite expenderis. His adde *hebdomades aliquot*, quibus etiam poſt Eginhardi adventum eædem reliquiæ Michlenſtadii permanere ſunt juſſæ; & planiſſimum,

ni fallor, ex Translationis Hiſtoria erit, primum Reliquiarum in Germaniam adventum ad An. 826. omnino pertinere.

24. Neque hìc obijcias, quòd in Hiſtoria Translationis cap. 1. n. 2. Eginhardus ipſe teſtetur, ſe cum DEUS-Dona, Presbytero Romano, Aquiſgrani *de Translatione Corporis S. Sebaſtiani & neglectis Martyrum Sepulchris, quorum Romæ ingens copia eſſet*, ſermonem jam inſtituiſſe, priusquam Ratleicum pro reliquiis in Germaniam deportandis Romam deſtinâſſet. Cùm itaque hæc S. Sebaſtiani in Gallias Translatio primùm contigerit 9. Decembris Anni 826., fieri ſanè haud poteſt, ut Ratleici iter Romanum, ejusdémque cum Lipſanis in Germaniam reditus cum eodem adhuc anno 826. conjungantur, cùm pluribus ſaltem menſibus ad hæc omnia perficienda opus fuiſſe, ex ipſa Translationis Hiſtoria Eginhardus oſtendat. Verùm reſpondeo cum Papebrochio noſtro T. I. Junii p. 179. n. 11. Sermonem ibi fuiſſe non de Translatione jam *facta*, ſed primùm *facienda*; nam pro eo negotio ad Eugenium Pontificem legationem publicam Aquiſgranô miſerat Hilduinus Abbas & Cæſaris Archi-Capellanus. Ipſe etiam Ludovicus Pius eum in finem ſuas cum precibus addiderat commendatitias, quæ negotium promoverent: utut difficilem ſatis diu ſe præbuerit Eugenius, dum tandem petitis annueret. *Vid. Acta SS. T. II. Januarii* p. 81. 82. à n. 14. Quæ res cùm in Aula Cæſaris notiſſima fuerit, eodémque in loco degeret Eginhardus, mirum non eſt, quòd & ipſe cum DEUS-Dona eadem de re colloqueretur.

§. X.

25. TAmetſi verò ex iis, quæ hactenus diſputavimus, ſatis intellexerimus, quòd nec Comtii, nec Pagii, nec Eckharti argumenta ſufficiant, ut Annales Laurishemienſes Eginhardo negemus: in alium tamen nodum incidimus, prima fronte difficilem, atque unde impugnavimus Eckhartum, inde quoque Annales hos Francicos ipſimet impugnare atque adverſus Eginhardum prònunciare videmur. Ita námque licebit argumentari: Juxta Translationis Hiſtoriam contigit 1ma. Translatio ſive Michlenſtadienſis Anno 826. circa menſem Octobrem, altera ſeu Müllenhemienſis An. 827. 17. Januarii: Juxta prædictos Annales translata ſunt Corpora An. 827. menſe Octobri. Vel igitur Annalium Auctor loquitur de Translatione in Franciam Occidentalem vel Orientalem? Si 1um. erravit in *Anno*; nam eodem anno 826., quo Ratleicus venit in Germaniam, etiam Hunus, Hilduini

duini Clericus, cum reliquiis iter jam prævertit in Galliam. Si 2dum vel loquitur Annaliſta de primo Corporum adventu, ſeu Michlenſtadienſi: vel de ſecundo, ſeu Müllenhemienſi: vel denique de tertio, quo Reliquiæ ex Galliis primò Aquiſgranum, dein Müllenhemium ſimiliter ſunt perlatæ? ſi de primo: ergo erratur in *Anno*; Si de ſecundo: ergo fallitur in *menſe*; ſi de tertio: ergo rurſum in *menſe* fit ſphalma; craſſiùs verò hallucinatur Annaliſta Fuldenſis, qui reliquias ex Galliis Aquiſgranum adductas cum anno primùm 828. conjungit. Aliud itaque vix ſupereſſe credideris, quàm ut Annales Laurishemienſes ab Eginhardo haud provenire dicamus, quandoquidem qui in Translationis Hiſtoria exactam temporum ac pene dierum notitiam dedit, in Annalibus ſuis ſibi tam aperte non contradixiſſet. Imò ſuſpicari forſitan non nemo poterit, quòd Annaliſta id, quod de ipſa Translatione commemorat, non aliunde, quàm ex ipſa Eginhardi Hiſtoria mutuaverit atque in Annales ſuos intulerit. Eginhardus enim Cap. 2. n. 12. ait, quòd Ratleicus poſt ſurreptum jam theſaurum adhuc per ſeptimanam Romæ permanſerit, *opperiens atque auſcultans, ſi de ſublatis Sanctorum Corporibus aliquid ad notitiam civium perveniſſet.* Cap. verò IV. n. 34. ait: *poſtquam eorum ſacratiſſima Corpora de Roma in Franciam delata ſunt &c.* Et Cap. VI. n. 60. *In relatione ſignorum atque virtutum, quas me in hoc libello ſcribere velle propoſui &c. &c.* Annaliſta verò, de quo quærimus, ita ad an. 827. ſuccinctiſſimè ait: *Corpora beatiſſimorum Martyrum Marcellini & Petri de Roma ſublata & Octobri menſe in Franciam translata, ibi multis ſignis atque virtutibus clarificata ſunt.* Quæ verba ſi rite cum Eginhardi Hiſtoria & prope verbis contuleris, quid aliud inde primo intuitu concludes, quàm quòd Annaliſta, brevitatis amantior & ſingula ſummatim conſtringens, Eginhardi pene verba in unum eundemque Annalium textum compegerit? Quoniam verò Eginhardus ipſum Annum 826, quô Michelſtadii Sanctorum Corpora appulêre, explicatiùs non nominavit: inde ſanè fieri potuit, ut Annaliſta, etſi menſem Octobrem veriſſimè determinârit, in ipſo tamen Translationis Anno ceſpitârit, quia videlicet nec totam Translationis Hiſtoriam, nec ſingula Eginhardi itinera inter ſe attentiùs comparavit: quemadmodum ſimilem ob cauſam tam Annaliſta Fuldenſis, quàm Eckhartus aliique RR. poſtmodum in errorem fuêre prolapſi. Ceterùm cum Eginhardus per Reliquiarum in Franciam Translationem Franciam utique intellexerit Orientalem, ſive Germaniam, de hac pariter intelligendi

erunt

erunt Annales Laurishemienſes, qui Eginhardi Hiſtoriam paucis hìc exſcripſiſſe videntur. Num verò Annaliſta Fuldenſis ſuam de hac Translatione mentionem ad eundem Annum 827 (ſolum menſem ſi excipias) viciſſim ex Annaliſta Laurishemienſi excerpſerit, equidem haud certò liquet; aliunde tamen illud haud temerè conjici poteſt; nam ad Annum mox præcedentem ſive 826, quidquid Annaliſta Fuldenſis de Translatione S. Sebaſtiani ad S. Medardum recenſet, per ſingulos ferme apices jam antiquior Annaliſta Laurishemienſis notavit. Imò dubitari vix poteſt, quin Scriptor Fuldenſis Hiſtoriam Translationis SS. Marcellini & Petri, ab Eginhardo editam, ipſe quoque præ oculis habuerit. Quidquid enim Fuldenſis ad A. 874 de Gabrielis Archangeli monitis, Cæſari ab Eginhardo porrectis, ſed à Cæſare neglectis meminit, vix aliunde haurire is potuit, quàm ex dicta Translationis Hiſtoria, in qua prolixiùs ea deſcribuntur. Unde pariter proclive eſt arbitrari, quòd cùm Scriptor Fuldenſis ſingulos Eginhardi ad Curiam itus ac reditus in eadem Hiſtoria minus exactè examinâſſet, miracula verò Gandavenſia Anno 828 patrata, diſtinctiùs ibi expoſita inveniſſet, etiam Aquisgranenſia eodem anno contigiſſe falsò exiſtimârit, & Annum 14tum Ludovici, de quo Gregorius Presbyter, de eodem Anno 828 intellexerit, non attendens videlicet, quo Anni tempore Ludovicus cœperit imperare.

26. Veruntamen ut dubium illud, quod numero mox præcedente ex Annalium cum Translationis Hiſtoria contradictione ſuggeſſimus, paulò magìs illuſtremus aut reſolvamus: obſervandum eſt inſuper, quòd dictus Annalium locus ad A. 827. *Corpora* &c. *de Roma ſublata & Octobri menſe in Franciam tranſlata, ibi multis ſignis atque virtutibus clarificata ſunt*: duplici modo intelligi poſſit. *Primò* enim ita accipi poſſunt, ut tam Translationis menſis, ſive October, quàm Translatorum Corporum ſigna de uno eodémque anno 827 exponantur. Verùm ſic erroneus primæ translationis annus adſtruitur, ùt ex Eginhardi Hiſtoria ſæpiùs monuimus; de prima verò Translatione ſermonem hìc fieri perſpicuum eſt, quia certiſſimum, quòd nec 1ma Müllenhemienſis, nec Aquisgranenſis, nec altera Müllenhemienſis (reliquiarum ſcilicet ex Galliis Aquisgranum delatarum) translatio Octobri menſe contigerit. Accedit, quòd eodem mox Anno, quo Miehlenſtadii Sanctorum Corpora advenêre, nullis eo in loco *virtutibus* adhuc inclaruerint hæ reliquiæ; neque enim ullius beneficii in ægrotos ibidem collati Eginhardus in Hiſtoria meminit: ſed harum virtutum ſive beneficiorum tum primùm initium factum, cum anno

ſequente

sequente Müllenhemium illæ transferrentur : prout uberiùs Eginhardus enarrat. *Secundò.* Annalium verba ita possunt intelligi, ut Mensis October, seu tempus translationis reipsa ad Annum præcedentem, sive 826; signa verò atque virtutes ad eum, quo verissimè contigêre, Annum 827 referantur. Sensus proin Annalium foret: *Corpora, quæ de Roma sublata & Octobri mense* (subintellige prioris Anni 826) *in Franciam translata fuerant, ibi multis signis atque virtutibus clarificata sunt* hoc anno, scilicet 827. Eginhardus nimirum, quemadmodum ad A. 826 in Annalibus Laurishemiensibus Translationem ossium S. Sebastiani in Gallias ad S. Medardum aliquantò copiosiùs commemoravit, ita etiam celebratissimam SS. Marcellini & Petri in Franciam sive Germaniam translationem suis in Annalibus minimè prætermisisse videtur, maxima tamen brevitate usus, eoquòd longior jam fuerat, aut certè posthæc futurus erat in peculiari Translationis libello, vel jam conscripto, vel conscribendo. Ne tamen in gemino Annalium loco Reliquiarum suorum meminisse cogeretur Eginhardus, earundem mentionem in eum solummodo annum rejecit, quo miracula maximè percrebuêre. Hic verò non alius fuit, quàm Annus 827; nam de postremis Anni 826 mensibus nulla, in Eginhardi Historia, miracula extant. Quòd si igitur hæc altera Annalium textúsque, ex iisdem relati, explanatio admittatur, omnis profectò, quæ ex Annalibus & Translationis Historia peti poterat, contradictio facillimè corruit, & Eginhardo sui Annales sarti tectíque manebunt.

§. XI.

27. QUid jam in re ancipiti statuendum, ipse Lector dijudicet. Mihi, post varia ultro citróque expensa, verosimilior ea videtur opinio, quæ Eginhardum Auctorem Annalium, vulgò Laurishemiensium, facit. Nam imò à Notariis Regum, utpote rerum publicarum peritissimis, & individuis Palatii Sociis, Annales Francicos (saltem quospiam) fuisse conscriptos, & multùm probabile est, & ipse pluribus in locis probare contendit Eckhartus. Fuit autem Eginhardus & Caroli M. Notarius, & in Ludovici Pii Cæsaris Aula pene domesticus ac familiaris, ùt ex Historia Translationis & continuatis ad Cæsarem itineribus ad oculum patet. Annales verò Laurishemienses non nisi à rerum Aulicarum scientissimo fuisse digestos nemo dubitabit, qui eosdem curatiùs evolverit, ùt fatetur Eckhartus. Imò illa ipsa verba Annalium, quæ de dicta Corporum Trans-

latione cum Hiſtoria Translationis quàm plùrimùm conſonant, conjectare nos fortiùs jubent, quòd utriusque Operis unus idémque ſit auctor, quàm quòd ſint duo diſtincti & quidem ex aſſe contemporanei, quorum videlicet unus alterum jam eodem tempore exſcripſerit; nam de Eginhardo conſtat, quòd eo tempore vixerit & ſcripſerit, non item de altero. 2dò cùm Odilo Sueſſionenſis ea ætate floruerit, quâ partim ex recentis adhuc memoriæ fama vulgatiſſima, partim ex Viris grandævis & Eginhardo Synchronis de vero Annalium Auctore certiora diſcere potuerit, ejus profectò teſtimonium, tam indubitanter pro Eginhardo prolatum, repudiari minimè poteſt; neque præ illius teſtimonio antiquiſſimo firmiores cenſeri debent quævis Recentiorum argutiæ. Nam 3tiò pleraque argumenta contraria vel diſſoluta jam ſunt, vel triplici hocce reſponſo poſſunt diſſolvi.

28. *Primum* eſt, quòd Menſis *October*, de quo Annales, referri poſſint ad a. 826, miracula verò, de quibus in SSorum honorem ſit præcipuè mentio, ad A. 827. Neque dicas, quòd Annalium Auctor Anni 827 geſta ex Ordine menſium exactè recenſeat, atque in harum denique Reliquiarum Translatione ſeu Menſe Octobri eundem Annum concludat. Sic primò refert, quæ in *hybernis* Aquisgranenſibus negotia à Cæſare ſuſcepta: ſubjiciuntur dein Conventus Noviomagenſis & Compendienſis, qui partim in *æſtate*, partim in *Autumno* ſunt habiti: memoratur Eugenii II obitus menſe *Auguſto*, & Valentini ac Gregorii IV Electio: ſubjungitur legati Conſtantinopolitani adventus menſe *Septembri*: denique reliquiæ SS. Marcellini & Petri *Octobri menſe* in Franciam allatæ & virtutibus clarificatæ totam hujus anni Periodum claudunt. Quare cùm ex Ordine menſium ſingula referantur, & tam menſis *Auguſtus*, quàm *September* de Anno utique 827 ſint intelligendi, conſequens videtur, quòd etiam menſis *October*, qui menſibus illis continuò ſubnectitur, ad eundem Annum 827 ſit reſtringendus. Verùm ſi juxta Odilonem Eginhardus ſit Annalium Auctor, & totus, prout nunc editus eſt, anni 827 textus ſit genuinus, alia ſanè, quàm qualem jam dedimus, verborum expoſitio haud poteſt admitti, & Eginhardus, ne duplici in loco de reliquiis mentionem faceret, in eum ſolummodo Annum hanc diſtulit, quô prodigia maximè ac beneficia per easdem contigêre. Nihilominus

29. *Alterum* reſponſum eſt, quòd ſi menſis *October* de A. 827 intelligi debeat, ea, quæ hodie in Eginhardi Annalibus de dicta Translatione leguntur, minimè quoad ſingulos apices ab Eginhardo proveniant;

veniant; ſed ab alio poſteriori graphione ex Hiſtoria Eginhardi, malè lecta & intellecta, ſaltem aliquæ voces ad Anni 827 calcem fuerint intruſæ; partim quòd ex dictis jam liqueat, hos ipſos Annales, quos tum Pagius vidit, tum Freherus ſub nomine Adelmi vulgavit, hujusmodi interpolamentis fuiſſe infectos, & nominatim ad hunc Annum 827, ubi de memorata Translatione fit ſermo: partim quòd hujuscemodi addititiæ merces plerumque ad Annorum coronides in primigenios Veterum Annales à junioribus librariis affui conſueverint, prout eorundem Annalium Laurishemienſium Codex Pagianus & Freherianus clarè commonſtrat. Memoriam porro hìc ſubit, quod Cuperus noſter in peculiari Diſſertatione de Guzmannica S. Dominici ſtirpe n. 95 & 96 Eruditos Bononienſes admonuit, docere nimirum an dignarentur, an illud Calendarium Bononienſe " (in quo Guzmannicæ ſtirpis fieret mentio) primigenio charactere " exaratum ſit, & adhuc autographum Bononiæ conſervetur: dein, " utrum diverſa Scriptorum ſibi invicem ſuccedentium manus in illo " appareat, cùm iſtud per tot annos à variis ſcribis auctum vel con- " tinuatum eſſe oporteat. Equidem ſcio moris eſſe, *pergit Cupe-* " *rus*, ut hujusmodi Calendaria vel Chronica eodem calamo ſubin- " de ab elegantiore ſcriba poſtmodum renoventur, ne tota rerum " geſtarum notitia poſteros lateat, ſi forſitan autographum caſu " improviſo periret. At tunc etiam non rarò contingit, ut hoc " primigenium exemplar aut prototypon in apographo corrumpatur " ab infidelibus Amanuenſibus, qui vulgares Patriæ traditiones & " ſuas aut amicorum glorioſas utilitates per fas & nefas tueri volunt. " Oculati teſtes, & in antiquis inſtrumentis dignoſcendis diu verſa- " ti, ſimilia veritatis aut falſitatis indicia facilè deprehendent. Ita Cuperus de apographorum fide non rarò ſuſpectiſſima. Num verò Eginhardi Annalium apographum (ipſum námque autographum è Germania in Gallias dimiſſum vix credo) quô uſus eſt Odilo, eadem verba ſingula, jam continuerint, quæ in hodiernis quibusdam editionibus ad A. 827 leguntur, nos quidem hactenus latet. Quòd ſi tamen res ita ſe habuiſſet, & nihilominus ex Odilonis aſſertione Eginhardus tanquam legitimus illorum Annalium Parens ea ætate eſt creditus, meritò ſtatuitur, quòd illud pariter Odilonis apographum jam ab alio transſcriptore hac in parte fuerit interpolatum.

30. *Tertium* denique Reſponſum eſt, quòd, cùm ſingula fermè Annalium verba circa dictam Reliquiarum Translationem cum Eginhardi Hiſtoria concordent (ùt n. 25. retulimus) *ſolus* potiùs Menſis

October (ſi tamen hic de A. 827 neceſſariò intelligi debeat: id quod probatu difficile) à poſteriore manu in textum reliquum fuerit inſertus, quàm totus omnino textus ab alio ſuppoſitus. Nam 1mò cetera omnia, demptô Octobri, ſibi rite conſtabunt, ùt ex num. 26 intelleximus. 2dò minùs veroſimile videtur, Eginhardum, qui Translationem S. Sebaſtiani ad S. Medardum in Galliis ad A. 826 prolixiùs in his Annalibus explicaverat, SS. Marcellini & Petri Translationem, ſuo Cœnobio peculiarem, penitus in illis fuiſſe prætermiſſurum. 3tiò Tam Annales Laurisheimienſes, cujuscunque illi editionis fuerint, quàm Annales Fuldenſes ipſius Translationis meminêre; Aſt circa Menſem ſeu tempus adventûs intercedit diverſitas; nam Annalium Laurisheimienſium Codex Freherianus & Pagianus, uti & Vita Ludovici Pii, ab Anonymo contemporaneo ſcripta (ex qua veroſimiliùs in Codicem Freherianum & Pagianum textus fuit translatus) nullum omnino menſem aſſignant, ùt ſuprà n. 13 monuimus: Annales verò Fuldenſes non Octobrem, ſed Novembrem definiunt; Annales denique Laurisheimienſes, qui Eckharto, mihíque ad manum fuêre, Menſem Octobrem nominant. Proniſſimum itaque eſt ſuſpicari, quòd in primigenio Annalium Laurisheimienſium autographo, aut coæquali etiam ſinceriore apographo, ipſius quidem Translationis (quæ tam Michlenſtadio, quàm Aquisgranô intra eundem Annum 827 Mullenhemium diverſiſſimis Anni menſibus facta eſt) nulla tamen definiti menſis ſit mentio facta, ſed alii poſtmodum horum Annalium, utpote celebratiſſimorum, transſcriptores varii pro variè intellecta Translationis Hiſtoria (quæ vel ob ſolius Scriptoris Eginhardi auctoritatem in plurium graphionum manus pervenerat) non modò diverſum Translationis menſem ſtatuerint, ſed & eundem mox cum illo ipſo, quô in Annalibus clarificatæ dicebantur, Anno 827 minus rite conjunxerint: unde poſtmodum omne de his Annalibus dubium inter Scriptores eruditos emerſit. Odilonis itaque teſtimonio ſtandum, & Annales hi Eginhardo ſunt aſſerendi; meliora tamen certioráque in contrariam partem quisquis ſuggeſſerit, pro merito ſuo Eruditos omnes ſibi reddet devinctos.

§. XII.

Illud pro coronide addo, in duplicem eúmque ſat pinguem errorem prolapſum fuiſſe Gundlingium, cùm in ſuo (prout vocat) Diſcurſu ad Hiſtoriæ Imperialis Syſtema Periodo I pag. 162. 163 §. 209, non

non ſolùm Annales Laurisheimienſes cum Annalibus Fuldenſibus ſive Pithœanis, ſive Freherianis, ſed & Odilonem Sueſſionenſem cum S. Odilone Abbate Cluniacenſi, qui tempore Othonis Magni vixerit, peſſimè confudiſſet. Nam Annales Fuldenſes à Laurisheimienſibus *toto* cœlo diſcrepant, niſi quòd ſubinde ſcriptor Fuldenſis ex Laurisheimienſibus v. g. ad A. 822. 826. quæpiam expilârit. Unde Gundlingius tum quidem, cùm iſta ſcriberet vel diceret, neutros attentiùs legiſſe probatur. S. verò Odilo Cluniacenſis ad hujus Abbatiæ regimen acceſſit Anno 994, cùm Otho M. jam anno 973 è vivis fuiſſet ereptus; viciſſim Ingorannus, cui etiamnum Decano & deincepſ Abbati lucubrationes ſuas dicaverat Odilo Sueſſionenſis, jam An. 932 ad Epiſcopatum Laudunenſem fuerat evectus, cùm nec Otho M. Imperatorem jam ageret, nec Cluniacenſis Odilo vitæ ſuæ primordia accepiſſet. Etſi verò pag. 224. §. 122. primum ſuum errorem emendet Gundlingius, & Fuldenſes Annales à Laurisheimienſibus diſtinguendos moneat, in alium tamen lapidem offendit, dum §. 121. ejuſdem pag. Annales Laurisheimienſes tam cum Nazarianis quàm cum Annalibus Aſtronomi, ſeu potiùs cum Vita Ludovici, ab Anonymo Aſtronomo ſcripta, penitus congruere, eandémque prorſus rem diverſis ſolummodo Annalium nominibus circumferri pronuntiat, cum monito, *notanda eſſe diverſa hæc nomina, uni libro impoſita*; quandoquidem & ſibi diu iſtud incompertum fuiſſet, neque in promptu cuilibet ſemper occaſio foret, ut libri inter ſe poſſent conferri. Verùm ad Gundlingium vel Gundlingii Editorem apertiſſimi erroris convincendum, re alia opus non erit, quàm ut in uno eodémque Freheri volumine, ſive in Corpore Hiſt. Franc. ſinceræ & Veteris à pag. 86. Annales Nazariani: à pag. 381. Annales Laurisheimienſes, ſub Adelmi nomine editi: à p. 445. Annales Aſtronomi ſeu Vita Ludovici Pii ab Anonymo ſcripta, inter ſe rite conferantur; nam & Annorum numero, & rerum narrandarum copia, dictione, ac ordine immaniter inter ſe differre, ex primo mox obtutu clareſcet. Unde Gundlingius aut Gundlingianus interpres ſuam vel ignorantiam, vel neglectæ collationis ſocordiam prodit. Nunc ad Auctores ceteros, quorum Syllabum jam antè dedimus, ex ordine progredimur.

A.

ABBO. ABBO, Seculi IX. Poëta, & Monachus S. Germani de Pratis ad Muros Lutetiæ Pariſiorum, Tres Libros heroico Carmine edidit de Pariſina per Normannos obſidione cui Anno 886. & 887. idem Abbo ſe interfuiſſe commemorat. Magiſtrum in politiore literatura (prout in Dactilicis ad eundem verſiculis, operi ſuo præmiſſis, ipſe fatetur) habuit Aimoinum ejuſdem Cœnobii Monachum, Virum id temporis pereruditum; Carmen verò ſuum inſcripſit Gozlino, Germano ſuo & conlevitæ, ejusdem forſitan Aſceterii San-Germanenſis Alumno. Quanquam autem *tres* libros à ſe editos in ſuamet ad Gozlinum præfatione Abbo teſtetur, duo tamen duntaxat lucem hactenus aſpexêre, & tertius in membranis etiamnum deliteſcit, ùt Labbeus affirmat. Extat hoc Abbonis Poëma, tum apud Jacobum Brevlium, qui An. 1602. Pariſiis Abbonem cum Aimoino & Chronico Caſſinenſi Leonis Oſtienſis ſimul edidit, tum apud Du-Cheſnium T. II. Script. Franc. à p. 499. tum apud Pithoeum inter XII. Scriptores Francicos coætaneos primò Pariſiis An. 1588, dein Francofordiæ A. 1594, excuſos atque recuſos. Diſtinguendus autem eſt hic Abbo Poëta à S. Abbone, Floriacenſi Abbate & Martyre, quos videlicet Miræus & Sauſſoyus perperam in unum confudêre. Nam S. Abbo Martyr diem extremum obiêrat An. 1004, ut liquidò conſtat ex ejusdem Vita, quam Aimoinus Floriacenſis, Scriptor Synchronus, Sancti comes atque diſcipulus, elucubrârat. Quare ne quidem initia vitæ tum adhuc hauſerat Abbo Floriacenſis, cùm eandem diu antè jam finiiſſet Abbo San-Germanenſis. *Vid.* Labbeus *de Script. Eccleſ. T. I. in Digreſſiuncula de Aimoino & duobus Abbonibus, pag. mihi* 22. 23. 24. Nat. Alex. *T. VI. Hiſt. Eccleſ. Sæc. IX. Cap. III. Art. XXX.* Graveſonius *P. I. Hiſt. Eccleſ. T. III. Colloq. V. p. m.* 189. *Edit. Venetæ*, Ceterum quiſquis ipſum Abbonis Opus accuratiùs inſpexerit, facilè pervidebit, tam Labbeum l. c. quàm Moreryum in Gallico ſuo Dictionario Hiſtorico, & Iſelinum in Lexico Baſileenſi in errorem fuiſſe prolapſos, cùm ſcriberent, quòd Abbo lucubrationem ſuam Gozlino Pariſino Antiſtiti, & S. Germani Pratenſis Abbati nuncupârit. Nam imò. ùt rectè ex ipſomet Abbone advertit Eckhartus T. 2. Comment. de rebus Franciæ Orient. p. 684. 85. 86. num. 332, duo erant Pariſiis Monaſteria ſeu Baſilicæ S. Germani, unum *S. Germani Teretis*

ſive

ſive Rotundi (qui nunc *Antiſſiodorenſis* vocatur, prout etiam obſervat Pithœus in prænotationibus ad Abbonis Poëma p. m. 528.) alterum *S. Germani de Pratis*, ſeu vulgò *Pratenſis* & *Pariſienſis*, ac ſuburbanum. Tempore autem obſidionis Normannicæ (ùt ex Aimoini l. V. apud Freherum diſcimus) Gozlinus non modò Pariſinus Epiſcopus, ſed & S. Dionyſii ſimul atque S. Germani Antiſſiodorenſis Abbas extiterat: Monaſterium verò Pratenſe regebat *Ebbolus*, qui ab ipſomet Abbone l. I. p. 536 apud Pitœum vocatur Gauzlini *Pontificis nepos & fortiſſimus Abbas*. Gauzlino dein ſub ipſa obſidione defuncto, in Epiſcopatu non minùs, quàm in Abbatia Antiſſiodorenſi ſucceſſit Anſcherius: Monaſterio verò San-Dionyſiano idem præfectus eſt Ebbolus, duplicis Abbatiæ jam Rector. Longè igitur alius fuit Gauzlinus Epiſcopus ab eo, cui laborem ſuum Abbo dicavit. Nam 1mò. Poëma ſuum (ùt vel ex ſola præfatione jam liquet) Gauzlino ſive Gozlino tum primùm Abbo inſcripſit, cùm & Obſidio Normannica finem, & regia Odonis dignitas ſuum jam accepiſſet initium; inſuper eidem Gauzlino utriuſque vitæ, præſentis videlicet atque futuræ jucunditatem precatur, atque ut lucubratio ſua à Gauzlino *ſagaci luſtretur arbitrio*, rogat. Jam verò lib. 2. verſu 70. & 71. p. m. 556. deſcribit Abbo Gozlini Epiſcopi obitum, cùm adhuc ferveret obſidio; quomodo igitur demortuo Præſuli ſuum ſacrare laborem potuit Abbo, qui viventem alloquitur? quomodo poſt obſidionem alloqui Gauzlinum tanquam ſuperſtitem, qui jam antè fatis conceſſerat? quomodo utriuſque vitæ jucunditatem precari, qui præſentem jam *finiêrat*? num denique à mortuo Poëmatis ſui judicium expectaverit Abbo? 2dò. Sæpiùs Poëta Gauzlinum per narrationis decurſum *Præſulis* ac *Pontificis* nomenclatione diſertè diſtinguit; aſt tam in fronte Præfationis, quàm in ipſa Præfatione Gauzlinum, cui opus ſuum inſcribit, abſque ulla, Epiſcopi, Abbatis, aut Præſulis mentione ſolummodo *fratrem venerandum* compellat, ſe ipſum verò ibidem, & l. 1. v. 7. Ejuſdem Gauzlini *conlevitam* atque *collegam* nominat. Quis verò de ſcriptore Diacono aut Sacerdote ſibi facilè perſuaſerit, quòd ab Epiſcopi vel Abbatis, quem honoraturus alloquitur, titulo ac dignitate penitus abſtinere, nudo fratris titulo compellare, ſe verò ejusdem *conlevitam* atque *collegam* præter omnium ſeculorum morem venditare præſumpſerit, quando vel ipſa Ordinis, dignitatisque diſparitas maxima majorem longè reverentiam imperavit? Multò itaque certius exiſtimandum, Gauzlinum, cui calamum ſuum devoverat Abbo, nec Epiſcopum, nec Abbatem, ſed ejuſdem, cujus Abbo, levitici ordinis Clericum aut Monachum, imò ipſius Abbonis fratrem

ex-

extitiſſe Germanum; nam ùt Præfatio luculentiſſimè loquitur, non modò *fratrem*, ſed & *Germanum ſuum* Abbo ſæpiùs vocitavit; quam vocem ea pariter ætate de fratre ſecundum carnem jam fuiſſe acceptam, ex medii ævi ſcriptoribus conſtat. Quare cùm in toto deinceps Poëmate Gauzlinum Antiſtitem nec fratris, nec Germani nomine impertiêrit Abbo, etiam cùm illius obitum deſcripſit: duos omnino Gauzlinos diverſiſſimos eodem tempore vixiſſe, nemo inficias ibit. Vid. etiam Pagius *T.* 3. *Crit. ad an.* 887. *n.* 2. quem in eandem mecum ſententiam iviſſe comperi, poſtquam iſta jam ſcriptitâram.

ABDIAS. ABDIAS, non ille, cujus Scriptura inter XII. Prophetas minores meminit, ſed alius, qui Babyloniæ Epiſcopus, Apoſtolorum diſcipulus, & eorundem biographus, tum à Jacobo Archiepiſcopo Genuenſi in libro Annuarum ſolennitatum, tum à Petro Epiſcopo Equilino l. IX. Catalogi Sanctorum, aliiſque, ùt Perrionio, & Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ &c. perperam fuit exiſtimatus. Primus quidem fuit Wolffgangus Lazius, Philoſophus ac Medicus Viennenſis, Ferdinandi I. Imperatoris Hiſtoriographus, qui Baſileenſibus Joannis Oporini typis An. 1551. ſub Abdiæ Babylonii nomine vulgaverit Hiſtoriam Certaminis Apoſtolici, ſive Vitas Apoſtolorum, libris X. comprehenſas: quas primò Eutropius quidam, Abdiæ diſcipulus, ex Hebraico in Græcum, Julius verò Africanus ex Græco in Latinum idioma tranſtulerit. Ante Lazium tamen hæc ſcripta ſibi cognita jam habuêre, quos ſuprà nominavimus, Jacobus Genuenſis & Petrus Equilinus. Poſt Lazianam Editionem plures dein aliæ prodiêre, ùt Coloniæ & Pariſiis. Laurentius quoque Barræus (Labbeo teſte *T.* 1. *Script. Eccleſ. p.* 2. & 3.) hæc Pſeudo-Babylonii Acta tranſtulit in ingentem Tomum Hiſtoriæ SS. PP., qui Pariſiis an. 1583. eſt editus: & neque alii Bibliothecæ Veterum PP. compilatores hunc pariter centonem inſerere dubitâsunt. Henſchenius noſter *T.* 1. *Maij. in vita S. Philippi Apoſtoli pag.* 7. *n.* 3. & *pag.* 8. *n.* 5. de hiſce Actis teſtatur 1mò. Quod extracta ſint ex pervetuſto Codice Monaſterii Weiſſenburgenſis, Codex verò ipſe quadratis literarum ductibus & diſcrimine diphtongorum atque vocalium exactè ſervato ſit exaratus. 2dò. Quòd hæc Acta longè aliter (quàm in ipſo Codice legantur) poſtea primùm ſint variè aucta, & Abdiæ nomen illis adſcitum. Baronius (probat l. c. advertit Henſchenius) de his Actis ait: *licèt apocrypha hæc cenſeantur ſub nomine Abdiæ, vera tamen nonnulla ibi eſſe, mihi facilè perſuadeo;* maximè, quando aliunde ea Acta probantur, ùt

ſub-

ſubdit Henſchenius, qui l. c. n. 3. 4. 5. uberiorem de iis, quàm quivis fortè alius, notitiam præbet. LABBEUS *T.* 1. *de Script. Eccleſ.* p. 2. & 3. & 677 ita de his Actis pronuntiat: hasce quisquilias ab " otioſo fabulatore, qui merito jure Pſeudo-Abdias dicitur, con- " fictas interpolatásve, nullius fidei atque auctoritatis eſſe apud " Eruditos, docuerunt jam pridem Catholici Tractatores, Sixtus " Senenſis, Joannes Heſſelius, Joannes Molanus, Card. Baronius, " Poſſevinus, Salmeron, Miræus, aliique: ut ſileam Voſſium, Co- " cum, Rivetum, Ivellum, Vergerum, ſimilesque heterodoxos " Criticos in alienis ab Eccleſia Catholica caſtris militantes, atque ex " Catholicorum duntaxat Scriptis & obſervationibus ſuffarcinatos. " Mentitur enim pro more Rivetus, qui l. 1. c. 6. effutire auſus eſt, " oculatiores Pontificios ex ſuorum, hoc eſt, hæreticorum homi- " num animadverſionibus edoctos, nugas & mendacia illius Operis " (Pſeudo-Abdiani) deprehendiſſe, ita ut eos tam putidi commen- " ti pudeat. Sed amabò, quis Calvini catulus hoc commentum ſub- " odoratus eſt ante Heſſelium, Molanum, Sixtum, ipſumque adeò " Paulum IV Rom. Pontificem, qui inter Scripta à ſe damnata reje- " cit? Ita Labbeus. Similiter Bellarminus l. de Script. Eccleſ. verbô: *Abdias*: ait: *Vitæ Apoſtolorum, quæ ſub nomine ejus circumferuntur, fabulis ſimiliores ſunt, quàm veræ narrationi. Sed neque ejus Abdiæ, aut libri ejus ullam in Veteribus mentionem invenio.* Nullius certè fidei Acta hæc eſſe, & neque Auctorem illorum, vel interpolatorem, Apoſtolorum diſcipulum fuiſſe, ſatis luculenter oſtendunt fabulæ illæ, quæ de SS. Thoma, Matthæo, ceteriſque intruſæ leguntur; has enim tum S. Auguſtinus c. 38 libri de Fide adverſus Manichæos, cap. 17 libri contra Adimantum, cap. 20 libri 1mi contra Adverſarium Legis & Prophetarum: tum verò alii poſt Auguſtinum affirmant, à Manichæis fuiſſe confictas; qui anno demum Chriſti 277 ſub Probo Imperatore cum Manete Anteſignano ſuo prodierunt. Nihilominus, ùtùt à noſtro pariter Stiltingo *T. V. Aug. p.* 28. *n.* 90. hic Pſeudo-Abdias *fabulator ineptiſſimus* dicatur, antiquus tamen eſt Auctor, utpote qui graves tam antiquiores quàm recentiores Sectatores habuit v. g. Florum & Rabanum in Martyrologiis ſuis: Vincentium Bellovacenſem in Speculo l. 9. c. 83 ſeq. Clementem Galanum Surrentinum, Apoſtolicæ Sedis ad Armenos Miſſionarium T. I. Conciliationis Armenicæ cum Eccleſia Romana, qui Superiore Seculo ſcripſit. Eundem Abdiam vel Abdiæ ſequaces etiam ſecutum eſt Martyrologium ac Breviarium Romanum v. g. in Actis S. Bartholomæi circa Aſtyagen. *Vid. Acta SS. T. V. Aug. in Actis S. Bartholomæi p.*

28. *n.* 88. 89. 90. 91. item p. 32. n. 104. 105. 106. 107: ubi Stiltingus ex Sixto Senenſi, Bellarmino, Remigio Ceilierio Tomo I Hiſtoriæ Generalis Auctorum Sacrorum l. 3. c. 2. art. 3. p. 489: Tillemontio T. I. Monumentorum p. 596 Nota Tertia in Jacobum Majorem: Heſſelio in Hiſtoriarum cenſura poſt Molani Martyrologium impreſſa cap. 8. fabuloſa eſſe Abdiæ Acta commonſtrat. Unde eodem *T. V. Aug. p.* 158 *n.* 17. in Comment. prævio ad Vitam S. Severi Abbatis à noſtro pariter Joanne Pinio hic *Pſeudo-Abdias*, *Epiſcopus Babyloniæ*, vocatur *infamis impoſtor*, *ac notiſſimus nugarum ac fabularum collector*. Natalis Alex. *T.* 3. *Hiſt. Eccl. Sæc. I. c.* 12. *Art. VII p.* 43 tam perſonatum Abdiam, quàm Abdiæ Acta ita paucis refellit: " Quamvis eloquentiſſimum ſit Veterum hac in cauſa ſilentium, id altiùs clamant mendacia & nugæ, quibus refertum eſt iſtud Opus. Citat namque Clementem, Hegeſippum, & Julium Africanum: & nihilominus ſe Chriſtum in carne vidiſſe gloriatur. 2dò Septuaginta quinque Eccleſias una in Provincia extructas mentitur: cùm nec Apoſtolicis temporibus, nec multò pòſt, ſævientibus Ethnicorum Imperatorum in Religionem Chriſtianam perſecutionibus ulla templa fuerint à Chriſtianis extructa: ſed ſacri Conventus ab iis, privatis in ædibus, & ſubterraneis plerumque locis celebrarentur. Multa alia mendacia vel abſurda notârunt Viri Criticæ periti. " Ceterùm fallitur Moreryus, dum in Dictionario Hiſtorico ſcribit, quòd Gelaſius Pontifex hoc Abdiæ opus rejecerit; non enim Gelaſius, ſed Paulus IV id egit, ut contra Moreryum obſervat Bayle, & ante Baylium multò antè teſtatus eſt Sixtus Senenſis l. 2. Biblioth. Neque Gelaſii tempore Abdiam hunc Babylonium, aut ejus Acta cognita fuiſſe, unanime Veterum omnium Silentium probat.

ACTA SS. ACTA SS. quæ jam ab anno prioris Seculi 1643 usque ad a. 1757 continuato labore ex Typographeo Antverpienſi hactenus prodiêre, & ad 24 Sept. diem perducta, 45 Tomos jam implent, complures è Societate noſtra Scriptores, & Presbyteri Theologi collegerunt, & illuſtrârunt: nimirum Heribertus Rosweydus, Joannes Bollandus, Godefridus Henſchenius, Daniel Papebrochius, Daniel Cardonus, Franciſcus Baërtius, Conradus Janningus, Nicolaus Rayus, Franciſcus Verhoevenius, Joan. Bapt. Sollerius, Joannes Pinius, Guilielmus Cuperus, Petrus Boſchius, Joannes Stiltingus, Joannes Limpenus, Urbanus Styckerus, Petrus Dolmanſius, Joannes Veldius, Conſtantinus Suyſckenus, Joannes Perierus, Jacobus Trentecamp, Joannes Cleus. Quodnam verò de Actis hisce judicium tule-

tulerint tum Pontifices Summi, tum Cardinales Eminentiſſimi, alii- ACTA SS.
que Summi nominis Viri, opus haud eſt, ut pluribus hoc loco recenſeam. Satis illa Encomia ſe produnt in Elogiis PP. Bollandi, Henſchenii, & Papebrochii, quorum primum Tomo I Martii, alterum Tomo ultimo Maji, tertium Parti I. Supplementi ad menſem Junium præmittitur. Quænam verò, noſtra etiam ætate, Benedicti XIV ſuper Actis hisce ſententia, atque in Hagiographos illos propenſio fuerit, abunde loquitur tum ejusdem Sanctiſſimi Epiſtola A. 1751 III Nonas Apriles ad laudatos Patres inſcripta, & T. IV Septembris ſub initium Operis paginâ ſecundâ relata, tum Breve Apoſtolicum, quod is ipſe Pontifex A. 1752 2. Febr. de publico S. Imperatricis Pulcheriæ cultu edidit, & ſub ejusdem Tomi IV Sept. coronidem pag. 778 Hagiographi noſtri attexuêre. Quanquam haud neſcio, neutiquam defuiſſe, qui primis præcipuè tam operoſi laboris temporibus Scriptorum illorum induſtriam & ſinceritatem allatrarent. Verùm quisquis aut Papebrochii reſponſiones, contra errorum ſibi impactorum exhibitionem A. 1697 Antverpiæ editas & tribus Voluminibus comprehenſas: aut omnium Hagiographorum Proteſtationem in cujusque Tomi fronte præfixam: aut Opus ipſum, & Operis Scopum attentiùs diutiúsque inſpexerit, judicia fortè præconcepta haud gravatè ſeponet, & ſuum labori maximo pretium, nempe ſimiliter maximum, ſtatuet: præcipuè ubi junctam cum ſedulitate crisique modeſtiam (niſi ubi acriorem quandoque calamum ipſa adverſarii aut calumniatoris impudentia ſibi fortè popoſcerit) atque in retractando, ſicubi erratum, facilitatem non uno duntaxat in loco deprehenderit. Atque ut de ſolo Papebrochio, qui omnium diutiſſimè labori ferreo inſudavit, mentionem hìc faciam, luculentum de illius demiſſione & retractandi promptitudine teſtimonium occurret T. 1. Junii p. 489. n. 7 & 10 in Analectis Bonifacianis: T. 11 Junii p. 734 in Annot. lit. d. T. V. Junii p. 250 col. 1. in fine. T. VI Junii à p 209. Dein in Propyleo Maji p. 102. n. 4: T. IV. Julii p. 13. n. 29. T. 1. Aug. p. 127 & 450 lit. d. e. f. P. II Reſponſionum contra P. F. Sebaſtianum à S. Paulo Art. 15. §. 31. à p. 237 ad 241: item Art. 23 §. V. VI. n. 19. 20. 23. 26. §. X. n. 55. & pag. ult. poſt Indicem, ubi *Admonitio de corrigendis & addendis.* Sed neque difficiles ſunt Hagiographi poſteriores, ut *Majorum* ſuorum errata diſpungant atque emendent. Sic v. g. Bollandus corrigitur à Cupero T. 1. Aug. in Hiſt. Chronologica Patriarcharum C P. p. 88. lit. d. Sic Papebrochius ab eodem Cupero T. 1. Aug. in vita S. Dominici p. 443: 563, 484 lit. b. c. & à Suyskeno T. III Sept. p. 750 à n. 81. ſeqq. Ejusdem Papebrochii errorem fa-

ACTASS. tetur Stiltingus T. II. Sept. in Diſſert. prælim. p. XXV n. 106. 107. dum ille Schiſmaticum quendam (quem nempe Catholicum perperam exiſtimavit,) Sancti nomine compellavit Sic denique Anteceſſores Sollerii noſtri ab ipſomet Sollerio T. VI. Junii in Præfatione ad Martyrologium Uſuardi p. XXII. n. 78. ubi rectè monet, majores ſuos præpoſtera ſuppoſitione laborâſſe, cùm Adonem in Martyrologio ſua ex Uſuardo mutuatum exiſtimarent. Juvat verò hìc ipſum " audire Papebrochium, qui Parte II. Reſponſ. Art. XXIII. n. 50. Ad- " verſario ſuo ita reſpondet: Bollandi in Acta labores non minoris, " quàm Henſchenius facio; ſed cum eodem cenſeo, non potuiſſe ab " eo omnia tam perfecta dari, quin ſubinde locum reliquerit correc- " ctioni & additioni; in aliquibus etiam recipiendis, velut fide di- " gnis, quæ talia non eſſe nunc deprehenduntur, erraverit aliquan- " do; quod etiam mihi ipſi eveniſſe in aliquibus, omnino credo; " neque ægrè feram, ſi ſucceſſores id obſervent & emendent, pro- " ficientes exemplo meo, & ultra atque ultra connitentes ad vera " diſcernenda à falſis: imò puto, quòd quantumcunque id ſæpè fiat, " nunquam deſinet abundare materia eorum, quæ corrigenda & ca- " ſtiganda ſuperſint. *In multa ſapientia, multa eſt indignatio*, inquit Ec- " cleſiaſtes. Cùm enim ſapientia (dicam ego, ſcientia hiſtorica) " verſetur in multa prætenſarum rerum inveſtigatione, longè à præ- " ſentis temporis uſu oculisque remotarum; mens veri ſtudioſa, " quotidie aut fallaci relatu Auctorum, vulgi famam temerè ſecu- " torum, vel certo conſilio mentientium, hallucinatur, aut inani " verosimilitudinis umbra deluditur; deprehenſis autem poſtliminio " erroribus indignatur, quòd videat in hiſtoriis humanis tantum in- " eſſe caliginis: nec partem ullam capere quietis poteſt, donec ſive " in ſe ſive in aliis agnitam falſitatem, quocunque meliori poteſt " modo, correxerit. „ Quantum verò, & quàm laudabiliter alii de Papebrochii candore & in revocandis erratis ſinceritate ſenſerint, ceterorum loco ſufficient tum Eruditiſſimi Mabillonii, tum P. M. Franciſci Janſſens Elingæ, PP. Prædicatorum in Belgio Provincialis, teſtimonia, quæ literis ſuis palàm fecêre, ùt videre eſt apud Papebrochium P. II. reſponſ. Art. XV. §. 31. n. 389.: & Art. 13. §. 14. n. 176. ſeq. item apud Anonymum Apologetam in Apologia II. pro Hagiographis Antverpienſibus edita Coloniæ An. 1735., & apud Vincentium Thuillierium Benedictinum inter Opera poſthuma Mabillonii T. I. p. 460. & ſeq.

Præterire tamen vix poſſum ſingularem Graveſonii opinionem, quam in Hiſt. Eccleſ. P. III. Tomo VIII. Colloq. V. de Scriptoribus Societatis p. m. 207. 208. Edit. Venet. de Actis SS. hiſce verbis

bis expressit: " Hoc opus immensum & incredibili labore nec me- ACTASS.
" diocri doctrinæ apparatu in plura Volumnia tributum, ut liberè
" dicam, in majorem, quàm par esset, molem excrevit, tótque nunc
" ingentia comprehendit Volumina, ut iis legendis vix hominis vita
" sufficere possit; si quis tamen tædium istud devorare velit, offen-
" det in hoc opere Dissertationes, quæ Historiæ ac Disciplinæ Eccle-
" siasticæ, Critices ac Chronologiæ studiosis haud parùm inservire
" poterunt, & ad vindicanda contra hæreticos Acta Sanctorum, præ-
" clara ac certa monumenta suppeditabunt. Quo fit, ut meritò im-
" probari debeat præposterum judicium, quod Guilielmus Cave, hæ-
" reticus Anglus, protulit in sua Præfatione Partis alterius Scripto-
" rum Ecclesiasticorum Historiæ literariæ, dum infrunito ore ait,
" omnia hujusce stupendi Operis Volumina censeri ab emunctæ na-
ris Viris *stultum laborem ineptiarum*, nec non *fabularum & nugarum plaustra*. Ita Gravesonius, qui licèt heterodoxum Caveum jure perstringat, & opus ipsum tum à labore tum à doctrina dilaudet, operis tamen molem ac vastitatem non eadem laude dignatur. Verùm quisquis ita cum Gravesonio sentit, atque Opus hoc multò contractius optat, unum certè alterúmve ex quadruplici postulato admittat necesse est; nimirum, ut vel tanta non sit Sanctorum copia, quantam oportet describi: vel ut singulorum vitæ non reddantur integræ, sed mancæ ac mutilæ: vel ut absque notis, Dissertationibus aut Commentariis nudæ potissimùm crudæque edantur: vel denique, ut Acta fabulosa non inserantur, præcipuè cùm legitima authenticáque jam adferuntur. Ast optare primum, dedecet hominèm Orthodoxum: alterum dedecet Hagiographum sincerum: tertium hoc ævo dedecet Scriptorem eruditum ac criticum: quartum denique non ratò prohibet ipsa veritatis falsitatisve palpandæ necessitas, cùm contraria juxta se posita clariùs eluceścant, & falsitas, diu credita atque defensa, sæpe simpliculis aut pervicacibus non eximatur, nisi Acta legitima cum spuriis sub uno eodémque lectoris conspectu sint collocata, prout tum alibi sæpiùs Hagiographi nostri, tum etiam Limpenus noster T. I. Septembris in Comment. prævio ad Acta S. Mansueti p. 619. n. 13 disertè inculcant. Num verò tot Voluminibus evolvendis vita hominis sufficere possit, parùm profectò aut nihil ad *Tanti* Operis laudem referre censebit, quisquis scriptionis propositum, & sive Sanctorum gloriam, sive veritatis à falsitate purgandæ studium exactè perpenderit: imò etiam lectioni amplissimæ humana vita par erit, ubi animus & lectitandi voluntas non deerit. Sufficiet interim, omnium nationum & temporum Sanctos in his Actis referi,

ACTASS. ri, adeò, ut, ſi quem ſingula lectitare piguerit, ſuorum ſaltem popularium, aut celebriorum Divorum geſtis ſeſe paſcere poſſit. Nam, ut ſua quemque delectant, & unus quidem in hujus, alter in illius Sancti honores afficitur (prout ipſa quæſtionis fors emergentis opportunitas poſcit) ita pariter hic in iſtius, alius in alterius Sancti geſtis evolvendis poterit delectari, neque ulla natio aut hominum genus rite conqueri, quòd debita Sanctorum ſuorum mentio ab Hagiographis noſtris aut penitus prætermiſſa, aut perfunctorio duntaxat calamo ſit recenſita.

Denique nihil eximii hujus operis laudibus demere poterit Cenſura Hiſpanica, anno 1695 25 Octobris in XIV. Tomos Papebrochii lata; Cenſuræ enim hujus originem, & legitimam viciſſim Actorum defenſionem ab Hagiographis noſtris ſuſceptam, quiſquis inter ſe rite comparaverit, ſuam & Scriptori Papebrochio integritatem & illius Tomis Auctoritatem ſinceritatémque ſartam tectámque manſiſſe quivis illico Lector, non præoccupatus, agnoſcet. Quam in rem vide ſis 1mò. Apologiam præliminarem, prolixam non magìs quàm ſolidam, noſtri Conradi Janningi, quam Tomo I. Junii præfixit an. 1695. 2dò. Papebrochii non modò libellum ſupplicem, Dedicationem & Præfationem ad Partem I. Reſponſionum contra P.F. Sebaſtianum à S. Paulo, ſed & ipſa Ejuſdem reſponſa per Tres Voluminis Partes deducta, & An. 1697. & 98. Antverpiæ juris publici facta: ubi Parte III (quæ *Elucidatio Hiſtorica* &c. inſcribitur) à p. 137. occurrunt Epiſtolæ tum Epiſcoporum, tum Leopoldi Cæſaris, pro XIV. Papebrochii Tomis ad Pontificem datæ. 3tiò. Apologiam Xaramilii noſtri pro veritate, & Papebrochii tam fama quàm libris, quæ Antverpiæ prælo data eſt An. 1698, & non ſolùm ab eodem Papebrochio P. II Reſponſ. Art. XXV. p. 486. à n. 10. ad 25, ſed ab ipſamet etiam Inquiſitione Hiſpanica, cujus approbatio prædictæ Apologiæ præfigitur, plurimùm commendatur. 4tò. Ipſiſſimum Hiſpanicæ Inquiſitionis Decretum publicum, quô ſub Annum 1715. 20. Decembris poſt perſpectum reliqui Orbis judicium laudatiſſimum, hauſtámque altiùs totius Bollandiani Operis veritatísque cognitionem priſtina cenſura Hiſpanica ſolenniter ſublata fuit & abrogata. Decretum hoc extat in ipſis Actis SS. T. VII. Junii p. 34. Quidnam verò ipſe Romanus Pontifex Innocentius XII. de illo Decreto Hiſpanico, antehac contra Tomos Papebrochii lato, cenſuerit, & ad ipſummet Sollerium noſtrum coràm exclamaverit, vide eundem T. VII Junii paginâ, quæ Proteſtationi Auctoris mox ab initio ſubjungitur, & *Synopſeos* titulum præfert, columnâ I. 5tò. Demum Papebrochii Elogium

poſt-

poſthumum, quod T. VI. Junii ab initio Operis à pag. 1. ad 21. tum Conradus Janningus tum Joannes Pinius Eidem concinnârunt; ubi plura de Papebrochii fatis, vindiciis, laboribus, virtutibus, atque Eruditorum de illo judiciis honoratiſſimis commemorantur. Equibus omnibus manifeſtum cuilibet fiet, quàm meritò contemnenda ſit audaciſſima ſimul & mendaciſſima criſis, quâ Anno adhuc 1727. Emmanuel Souſa T. I. Expeditionis Hiſpanicæ S. Jacobi Majoris pag. 878 Papebrochii auctoritatem hiſce verbîs à ſe repellere auſus eſt: *Movere nos non debet Papebrochius, qui in Hiſpania nullius eſt auctoritatis, cùm à ſupremis ſanctæ Inquiſitionis Tribunalibus ſint prohibita ea, quæ ſcripſit in Actis Sanctorum, non ſolùm in noſtra Luſitania, ſed in tota Hiſpania.* Paucis enim crudiſſimæ & rudiſſimæ huic cavillationi mox occurrit Stiltingus noſter T. V. Aug. in Actis S. Bartholomæi p. 78. n. 137. *Atqui Opera Papebrochii in Luſitania nunquam damnata ſunt: deinde ignorare non poterat* (Souſa) *Cenſuram contra Opera Papebrochii An.* 1695. *latam in Hiſpania, æquiſſimo judicio relaxatam fuiſſe An.* 1715. *ab eadem Inquiſitione Generali, Decreto de hac re edito, quod videri poteſt Tomo VII Junii p.* 34. *Quæ ergo æquitate ſeu veritate* (Souſa) *ſcribit An.* 1727., *Opera Papebrochii de Actis SS. in Hiſpania & Luſitania eſſe prohibita?* Pro coronide illud addere juvat, quòd ipſe etiam Acatholicus Scriptor, Chriſtianus Buderus, in Bibliotheca ſcriptorum rerum Germanicarum (quam Struvius ſuo Corpori Hiſtoriæ Germanicæ præfixit) §. 28. p. 48. Acta Sanctorum Antverpienſia non ſolùm *ſumtuoſiſſima*, ſed & *ſplendida inſignia quæ Volumina* compellârit, *quæ à ſtudioſiſſimis Hiſtoriæ Germanicæ cultoribus, cumprimis Habnio, laboriosè perquiſita non ſolùm integros tractus & libros ad Hiſtoriam patriam pertutiles ſervant; ſed ſingulares quoque circumſtantias promunt, memorandarum rerum de perſonis illuſtribus, horúmque genere & fatis, inque ordinanda chronologia obſervationes dederunt, dabuntque impoſterum.* ACTA SS

ADAMUS, Bremenſis Eccleſiæ Canonicus, ſive, ùt ipſe loquitur, *Matricularius*, ab Adalberto Archiepiſcopo Bremenſi An. 1077. creatus, ſcripſit, junior adhuc, Hiſtoriam Eccleſiaſticam de Religione Catholica per Diœceſes Bremenſem & Hamburgenſem à Carolo M. uſque ad Henricum IV. propagata; quod Opus nuncupavit Liemaro Archiepiſcopo Bremenſi ſubjunxítque Tractatum de Daniæ Situ & reliquarum, quæ trans Daniam ſunt, Regionum Natura, moribus & Religione. Laudatur illius maxima in ſcribendo ſinceritas ac diligentia tum ab Helmoldo in Chronico Slavorum, tum à Nat. Alex. T. VI. Hiſt. Eccl. C. V. Art. V. p. 505. & à Graveſonio P. I. Tomo IV Colloq. V. p. m. 107. Similiter à Baronio ad A. 980 n. 11. & ad A. 983 ADAMUS BREMENS.

983 n. 17. *fincerus & probatæ fidei chronographus* appellatur. Variæ ſunt illius Editiones; Prima æque ſincerior, quam Lugdunenſibus in Batavia typis commiſit Erpoldus Lindenbrogius A. 1595: altera, quam idem Lindenbrogius auctiori labore curavit Hamburgi A. 1610: rurſum alia, quæ Helmſtadii cum notis vulgata eſt A. 1670, & cujus Graveſonius meminit.

ADELMUS & ADEMARUS

ADELMUS. Edidit Superioris Seculi Anno XIII Hanoviæ Literis Wechelianis Marquardus Freherus Corpus Hiſtoriæ Francicæ Veteris & ſinceræ, eidémque pag. 331 poſt Aimoini librum IV Annales quospiam ſub hocce titulo inſeruit: *Adelmi Benedictini, vel ſecundum alios Ademari Monachi Annales Francorum Regum. Pippini, Caroli M. Ludovici Pii, per annos continuos LXXXVII*, ſive ab Anno 741 ad 828. Sed rectè contra Frehervm jam advertit Eckhartus T. II Comment. de Rebus Franc. Orient. p. 211, Adelmum ea Regum Francorum ætate vixiſſe neminem; neque enim in ullo uſpiam Antiquitatis monumento Adelmi cujuspiam Francici, qui Seculo IX vixerit & ſcripſerit, facta mentio legitur. *Ademarus* verò Monachus Annales nuntiquam ſcripſit, ſed Anonymo Ludovici Pii biographo nuda ſolùm narratione recenſuit, quæ Ludovicus jam ante Imperium in ſolius potiſſimùm Aquitaniæ Regno geſſiſſet. Ait enim biographus: *Quæ ſcripſi usque ad tempora Imperii*, ADHEMARI *nobiliſſimi & devotiſſimi Monachi* RELATIONE *didici, qui ei coævus & conmiles eſt. Poſteriora autem, quia ego interfui rebus Palatinis, quæ vidi & comperire potui, ſtylo contradidi.* Quis verò *relationis* vocabulum, quo biographus utitur, illico ad Scriptionem publicam detorqueat, & non potiùs ad vivæ vocis privatæque narrationis notionem reſtringendum intelligat? Certè & Monachus San-Gallenſis, Notkerus Balbulus, EX RELATIONIBUS *Adalberti Militis, qui Hunnico, Saxonicóque & Slavico Caroli* (M) *bello interfuit, ejusque filii Werinberti Sacerdotis*, Vitam Caroli M. ſe conſcripſiſſe fatetur; nemo tamen hactenus fuit, qui eas Adalberti & Werinberti *Relationes* de lucubrata per eosdem Caroli vita interpretari ſit auſus. Errârunt itaque cum Frehero tam Papyrius Maſſonus, qui Adelmum: quàm Pithæus, qui Adhemarum, Annalium illorum à Frehero publicatorum conditores fuiſſe ſunt ſuſpicati: prout jam notavit Labbeus T. 2. de Script. Eccleſ. in Diatriba de Aimoino p. m. 873 §. IV. n. 15. Sed neque hunc Ademarum, de quo Ludovici Pii biographus, cum alio Ademaro, ſcilicet Cabannenſi, & Chronici cujusdam Scriptore, oportet confundi; nam hic priore multò poſterior eſt, quandoquidem Cabannenſis duorum prope Seculorum

culorum intervallo poſt Ludovici Pii & Ademari huic coætanei tempora ſcripſit, déque reſerato per Othonem III. Caroli M. ſepulchro, imò etiam de S. Stephani, Regis Hungariæ, geſtis mentionem ingeſſit.

Nihilominus in hoc Opere noſtro, ſeu potiùs in ſubjectis cuilibet Paragrapho Notis atque Auctorum recenſione multoties Adelmi nomen recurret, eo videlicet fine, ut quibus forſitan Annales hi Francici, ſeparatim tam à Comite Nuenario quàm aliàs editi, ad manum non fuerint, ſed ſolius Freheriani Hiſtoriæ Francicæ Corporis Editio perſpecta habetur, ii apud eundem Freherum ſaltem ſub Adelmi nomine genuinos ſynchronóſque Annales Nuenarianos, qui vulgò Laurishemienſes nunc audiunt, faciliùs reperire, ſimul verò eorum, quæ per ipſius Hiſtoriæ noſtræ contextum narrantur, legitimam fidem multò expeditiùs intelligere poſſit.

ADEMARUS CABANNENSIS, Seculi XI. Scriptor & S. Eparchii Engoliſmenſis in Aquitania Monachus, Chronicon Aquitanicum & Francicum uſque ad An. 1027. compilavit, diu incognitum, donec illud A. 1657 in lucem protraxerit Labbeus noſter T. II. Bibliothecæ MS, ſive Manuſcriptæ : cujus etiam meminit idem Labbeus T. I. de Script. Eccleſ. p. m. 327. Verùm, ùt advertit Janningus noſter T. VI. Junii p. 221. n. 26. licèt hic Auctor *de rebus Gallicis, quodammodo ei domeſticis, certiora habeat, fidem* tamen *obtinere non poteſt* in pluribus, quæ extra Galliam geſta recenſet. Certè circa S. Brunonem, ſeu Bonifacium, Pruſſiæ Ruſſiæque Apoſtolum *longiùs aberrat à veritate, quàm diſſitus fuit à Pruſſia Ruſſiáque* hic *Scriptor, in Aquitania Monachus*: ùt ait Janningus. Similiter Stiltingus T. I. Sept. p. 475. n. 78. oſtendit, quòd *totus Ademari locus* (de S. Brunone apud Ruſſos Martyre, ab Othone III. juxta Ademarum ad Hungaros miſſo) *fabulis & erroribus ſcateat* : item p. 428. n. 104, quòd Ademarus *in decem facilè aut duodecim errores* circa ejusdem S. Brunonis conſecrationem & prætenſam ad Hungaros miſſionem impegerit. Pag. 485. n. 116, quòd *tot errores accumulet* Ademarus, *ut vix ullam mereatur fidem in hiſce rebus Hungaricis.* Pag. 491. n. 140 : quòd licet Ademarus *Ottoni III. & Henrico S. fuerit Synchronus, in multis* tamen narrationum *adjunctis aberrârit, & perperam Brunoni attribuerit, quæ in converſione Hungarorum attribuenda erant Adalberto Pragenſi.* Denique p. 482. n. 103. ait Stiltingus : *Fateor quidem, Scriptorem hunc* (Ademarum) *Geyſæ ſupparem fuiſſe, & S. Stephano coævum : at tot errores immiſcet iis, quæ ibidem retulit de S. Adalberto & Brunone, ut ei plenam fidem habere non auſim, in illis etiam, de quibus non conſtat, an ſint erro-*

ADEMARUS CABANNENSIS.

rari obvia. Vid. etiam *Pagius* T. IV. ad An. 990. n. VII. An. 1000. n. 3. An. 1027. n. 8. 11. 12.

S. ADO. S. ADO, Benedictini Ordinis in Cœnobio Ferrarienſi Monachus, & ab An. 859. vel 60 uſque ad An. 875. Viennenſis in Gallia Archiepiſcopus, ſcripſit 1°. *Breviarium Chronicorum de ſex Mundi ætatibus*, ab Adamo uſque ad ſui temporis geſta; ſive uſque ad An. 874; unde quidquid ultrà in eo Chronico adjectum legitur, non Adonis, ſed alterius ignoti ſimul atque imperiti continuatoris operæ debetur, prout obſervat Labbeus T. I. Script. Eccl. p. 10. & 11, item p. 681. 682. inter Addenda. Primæ hujus Chronici Editiones, quæ vel ſeorſim Pariſiis & Baſileæ, vel unà cum ceterorum Patrum Hiſtoria à Laurentio Barræo, & in Bibliothecis Veterum PP. à Margarino Bignæo Pariſiis atque Coloniæ ſunt evulgatæ, mendis innumerabilibus ſcatent, quorum aliqua ſanè craſſiſſima, ibidem Labbeus ſub oculos ponit. Sed & Baronius T. II. Annal ad An. 110. n. 3. & T. III. ad A. 314. n. 40. tam circa adjuncta Martyrii S. Ignatii M. quàm circa tempus Concilii Arelatenſis, & multò magis circa numerum Epiſcoporum, Concilio huic præſentium (utpote quorum ſexcentos omnino interfuiſſe prætenditur) Chronicon iſtud hallucinari, oſtendit. Unde in rebus antiquioribus neutiquam tanta eſt Chronici Adoniani, prout ſaltem nunc extat, auctoritas, quanta Martyrologii Adoniani. Scripſit enim add. *Martyrologium Sanctorum per Circulum Anni*: quod primus omnium Alovſius Lipomanus, dein Jacobus Moſander, demum multò emendatius cum notis pereruditis A. 1613. Antverpiæ edidit Floribertus Roſweydus, atque iterum Pariſiis A. 1645. fuit recuſum. Nam priuſquam Ado ad Viennenſem Cathedram eveheretur, Romam ad Apoſtolorum limina abiit, exactóque ibidem quinquennio Ravennam pervenit, ubi vetus Martyrologium Romanum (quod T. VI. Junii in Præfatione ad Uſuardum Sollerius noſter *Romanum Parvum* appellat) reperit atque deſcripſit. Ita verò in ſui Martyrologii, quod ex aliorum imperio adornaverat, Præfatione proloquitur Ado: Huic „ Operi ut dies Martyrum veriſſimè notarentur, qui confuſi in Ka„ lendis ſatis inveniri ſolent, adjuvit venerabile & perantiquum „ Martyrologium, ab urbe Roma Aquilejam cuidam Sancto Epiſco„ po à Pontifice Romano directum, & mihi poſtmodum à quo„ dam religioſo fratre aliquot diebus præſtitum: quod ego diligen„ ti cura tranſcriptum, poſitus apud Ravennam in capite hujus O„ peris ponendum curavi. Atque hoc Adonis teſtimonium luculentiſſimum adverſus Henricum Valeſium ſervit, qui in Diſſertatione de

Mar-

Martyrologio Romano, per Roſweydum edito, ſtatuit nullum unquam fuiſſe proprium ac peculiare Martyrologium Eccleſiæ Romanæ ante illud, quod juſſu Sixti V. Pontificis editum eſt hoc titulo, & Baronii notis illuſtratum. Hanc enim opinionem planè evertit tum relata Adonis aſſertio, tum Canon decimus tertius Concilii Cloveshovienſis, integro ante Adonem ſeculo, ſive A. 747. in Anglia celebrati, qui decernit, *ut per gyrum totius Anni Natalitia Sanctorum uno eodémque die, juxta Martyrologium ejusdem Romanæ Eccleſiæ, cum ſua ſibi convenienti pſalmodia ſeu cantilena venerentur.* Vid. *Pagius* T. III. Crit. ad An. 878. n. IX. X. *Mabillonius* in Præfatione ad Partem II. Seculi IV. Benedictini num CLXXIV. *Eckhartus* T. II. Comment. de rebus Franc. Orient, p. 607. n. 225. & T. I. p. 473. num. 88. *Nat. Alex.* T. V. Hiſt. Eccl. Sæc. VIII. p. 690. Cap. IV. Art. IV. Ceterùm Martyrologii Adoniani auctoritas atque ſinceritas tanti habita eſt Uſuardo, ut, cùm & ipſe Martyrologium conſcriberet illúdque Carolo Calvo dicaret, Adonem *more ſuo* ſit ubique ſecutus, prout Hagiographi noſtri teſtantur T. I. Septembris p. 611. n. 3. & dilucidè probat Sollerius T. VI. Junii in Præfatione ad Uſuardum Cap. III. Art. III. Plura tum de Martyrologio Adonis, tum de altero, quod ipſe Ado Operi ſuo præmiſit; idem Sollerius exhibet l. c. toto Capite II. & Cap. III. toto Art. II.

Adrevaldus Monachus Floriacenſis, qui Seculo IX. Caroli Calvi temporibus vixit, edidit tum vitam S. Aigulphi Abbatis Lerinenſis, exeunte Seculo VII. Martyrium paſſi, tum Hiſtoriam Translationis SS. Benedicti & Scholaſticæ in Galliam, unà cum libro Miraculorum S. Benedicti. Verùm, ùt inquit Stiltingus T. I. Sept. ad diem III. in " vita S. Aigulphi p. 729. n. 4. Memoratus liber Miraculorum S. " Benedicti ita ſcriptus eſt ab Adrevaldo, ut Henſchenius partem il- " lius bene magnam duxerit indignam, quam recuderet, allatísque " quibusdam ipſius verbis, non dubitaverit pronuntiare T. III. Mar- " tii p. 305. *quam hæc ſint ſtolida & putida figmenta, quis non videt?* Quin " imò ipſi laudati Benedictini Congregationis S. Mauri, qui Hiſto- " riam literariam Franciæ Gallicè edunt, Tomo V. dicti Operis p. " 521 iſtud Henſchenii judicium *juſtam cenſuram* jam vocârunt. Adrevaldus.

" Si autem Adrevaldus fabulas tam putidas perſonis vicinioribus, " videlicet de ultimis Merovingicæ Stirpis Regibus & de Carolo Mar- " tello, immiſcuerit Operi prædicto, quis nos ſecuros reddet, eun- " dem de S. Aigulpho ejusque rebus, cautiùs fuiſſe locutum? Imò

" quis non timebit, ne tantò liberiùs de eo ſcripſerit, quantò diu-
" tiùs erat defunctus, & quantò ipſius geſta vulgo minus erant co-
" gnita? Inſignem ipſius lapſum jam notavit Mabillonius inter Acta
" SS. Ordinis S. Benedicti Sec. II. p. 664.; nam Oratorium Virgi-
" num Cœnobium, quod in Gallia Belgica fuit, commiſcitur pro-
" pe Monaſterium Lerinenſe. Ita Stiltingus l. c. & num. 5. 6. 7.

ADSO. ADSO, Seculi X. Scriptor, & circa A. 969. Dervenſis Abbas, in Pertenſi Campaniæ Gallicæ Tractu (qui Diœceſi Tullenſi vicinus eſt) aliquot Sanctorum Vitas elucubravit, ùt Sancti Bercharii, S. Baſoli, S. Frodoberti, quæ fidem apud Criticos inveniunt: præcipuè, quòd etiam Scriptores alii, Adſone vel antiquiores, vel æquales, ùt Flodoardus &c. paria cum Adſone de iisdem Sanctis commemorârint, vel certè Adſo à Sanctorum illorum temporibus tam remotus non fuerit, quin idoneam ex relictis Majorum chartis notitiam haurire potuerit. Vide *Acta SS.* T. I. Sept. p. 271. 272. &c. ubi ex vita S. Bercharii, ab Adſone ſcripta, quarpiam Vitæ S. Nivardi intexerit Stiltingus, & non dubitanter admittit. Aſt vita S. Manſueti, primi (ùt prætexitur) Tullenſis Epiſcopi & ab ipſomet S. Petro ad Tullenſes legati, quam pariter Adſo juſſu S. Gerardi Tullenſis Epiſcopi ſcripſit, adeò commenta & fabulas ſapit, ut non niſi *Vita fabuloſa* nomine à noſtro Joanne Limpeno T. I. Septembr. p. 63[illegible]. compelletur, etſi in variarum Eccleſiarum Breviariis & in recentioribus aliquot Martyrologiis pleraque ex Adſone Dervenſi deprompta legantur. Nihilominus bona fide egiſſe Adſonem in concinnanda S. Manſueti vita, etſi tot ante ſe ſeculis mortui, opinari nos facit elogium, quod ex proximi ſive XI. ſeculi devergentis ſcriptore de divertis Monaſterii Dervenſis caſibus & Sancti Bercharii miraculis Mabillonius T. II. Act. SS. Ord. S. Benedict. à p. 844. n. 12., & ex Mabillonio Stiltingus T. I. Sept. p. 616. n. 34. recitavit. Item vide T. I. Maij p. 277. n. 11. in Comment. prævio ad Vitam S. Waldeberti Abb. Luxov. ubi Auctor Hiſtoriæ miraculorum S. Bercharii, qui circa Leonis IX. tempora juſſu Brunonis Abbatis Dervenſis Hiſtoriam illam collegit, ita de Adſone teſtatur: *Adſo Abbas Dervenſis doctrinâ Philoſophicâ & vitæ probitate ſpectabilis, anno* 992. *in itinere viæ Jeruſalem beatam animam tranſmiſit ad gaudia Patriæ cœleſtis.* Notandum præterea, quòd facilè contingere poſſit atque contigerit Scriptoribus, præcipuè Sanctorum biographis, ut fallantur in uno, veraces ſint in altero. Sic Stiltingus advertit T. I. Sept. p. 268. in vita S. Nivardi Archiep. Senon. n. 6. quòd Almannus Monachus Altivillarenſis, Seculi IX. Scriptor, etſi in vita S. Hele-

Helenæ Imperatricis, & Sancti Memmii modicæ aut nullius ferme auctoritatis cenſeatur tam à Mabillonio T. III. Annal. Benedict. p. 149. & 150, quàm ab Hagiographis Antverpienſibus T. III. Aug. p. 550, nihilominus in vita S. Nivardi multò ampliori fide ſit dignus; nam in priorum Vitis Vir magis ſincerus, quàm criticus, ſecutus eſt Acta apocrypha, & idoneis carebat inſtrumentis, ſimúlque tempore remotior fuit; aſt reſpectu Nivardi & loco & tempore fuit propinquior; licèt enim 200 circiter poſt Nivardum annis ſcripſerit, adeò tamen longa non eſt hæc intercapedo, quin aliqua in Sancti laudem ex traditione aut inſtrumentis potuerint reſciri aut tamdiu conſervari. ADSO DERV.

Alius fuit ADSO, qui & *Hermiricus* dictus, Abbas Luxovienſis, qui Seculo X vitam S. Waldeberti Abbatis Luxovienſis, Seculo VII demortui, ex antiquiori Volumine contraxit. Hunc pariter Scriptorem circa Caroli M & Ludovici pii familiam, ùtùt temporibus ſuis vicinam, aberrâſſe, in iis verò, quæ à ſe viſa accuratiùs deſcribit, majorem fidem meritò obtinere, notavit Henſchenius noſter T. I. Maji in Comment. præv. ad vitam S. Waldeberti p. 275 §. 1. n. 4. ſub finem. ADSO LUXOV.

ÆNEAS Sylvius, poſtea Pius II, Rom. Pontifex, natus A. 1405, ad Pontificatum promotus A. 1458. 19. Aug. Denatus A. 1464 15 Aug. ſcripſit varia, quorum meminêre Platina, Sixtus Sen: Bellarminus, Poſſevinus, Labbeus, Raynaldus, Moreryus, Nat. Alex. Graveſonius, P. Schwarz P. III Colleg. Hiſt. Q. V. §. VI. aliique. Quidquid verò Æneas junior ſeu per Epiſtolas amatorias, ſeu per Commentarios de Concilio Baſileenſi quondam deliraverat, poſtea per Bullam publicam damnavit ac retractavit Æneas Senior ſive Pius II, cujus ea celebratiſſima vox atque hortatio fuit: *Æneam rejicite, Pium recipite.* Vid. *Auth.* cit. & *P. Schwarz*, qui Pii II integritatem tum ex Platina, tum ex Joanne Aretino, Epiſcopo Campenſi, aliisque, contra infrunitum Friderici Georgii calamum, ſolidè vindicat. Huttenus, ultra Menalcam crudus atque caninus, in ſua Præfatione ad Apologiam Henrici IV (quam Freherus T. I. Script. Rer. Germ. p. 154 cum reliquis centonibus immiſcuit) ſine teſtibus & tabulis in Æneam Sylvium furere, & affirmatè mentiri eſt auſus, ex Fuldenſi Bibliotheca libros aliquot de vita Henrici IV fuiſſe *abreptos ſcelere Æneæ Sylvii, qui poſtea pius fuit, & Bibliothecam eam miſerè devaſtavit.* Rectiùs feciſſet Huttenus, ſi calamum ſtrinxiſſet in Epiſcopatuum, Monaſteriorum, & Eccleſiarum expilatores Proteſtanticos aut Calvinianos, ÆNEAS SYLVIUS.

qui innumeris rariſſimisque Antiquitatum Monumentis (quæ ex Catholicorum Bibliothecis atque chartariis quaquaverſum ſubtraxerant) heterodoxas poſtmodum Bibliothecas & Tabularia, inania priùs ac vacua, ad oſtentationem usque ornârunt & infarſerunt.

AGNELLUS

AGNELLUS, qui & *Andreas*, Abbas S. Mariæ ad Blachernas, & S. Bartholomæi Ravennatis, natus anno 805 (ùt ipſemet in Hiſt. Ravennat. fatetur) Edidit 1mò Chronicon ab A. 568 ad Annum 875 ſeu Ludovici II Cæſaris obitum. 2dò. Hiſtoriam Pontificum Ravennatenſium, quam in Georgio Archiepiſcopo finit. Tam Chronicon quàm Hiſtoriam inter Scriptores Italicos excudit Muratorius: Chronicon verò ſolum inter Scriptores Rerum Germ. Tomo I exhibet Menkenius à p. 89. Ait tamen Eckhartus T. I. Comment. de rebus Franc. Orient. p. 630 n. 143. quòd Magni Chronici Belgici Auctor multò integrius Andreæ exemplar penes ſe habuerit, quàm Menkenius; quandoquidem in Menkeniana editione quæpiam deſunt, quæ in illo Chronico Belgico ex Andrea petuntur. Atque hoc ipſum Chronicon Andreæ multoties allegat idem Eckhartus l. c. T. II. p. 146. 147. 346. 347. 348. 349. 601. 602. 604. 605. 606. 630. 631. Hiſtoriam Pont. Rav. cujus hic Andreas eſt Author, primus ex Bibliotheca Eſtenſi eruit, diſſertationibus & obſervationibus &c. illuſtravit & auxit, ac Sereniſſimo Raynaldo Eſtenſi Mutinæ, Regii &c. Duci dedicavit, Benedictus Bacchinius, Abbas S. Mariæ de Lacroma, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Caſinenſis, Opere Tomis duobus ſuper hac re Latinè edito Anno 1708, prout teſtatur Joannes Pinius noſter T. V. Julii p. 328 n. 1. Comment. prævii ad Vitam S. Apollinaris Raven. Epiſc. M. Plura de Agnello idem Pinius refert l. c. p. 343 à n. 86 ad 89. Sic enim ait: *Agnellus floruit anno circiter* 840, *cujus ſermonis barbariem, & incredibilem rerum tum ſacrarum tum profanarum, quâ laborat, ignorantiam* &c. *exponit idem Bacchinius in ſua præfatione, Tomo 1mo præmiſſâ à pag.* 2. Interim tamen, *inquit*, in ſuorum temporum Præ-
"ſules bile tumet, quorum & Simoniacam labem & vitia adeò inſecta-
"tur, ut, qui legit, vix credat, tot ſceleribus ejus ætatis Epiſcopos
"infames fuiſſe, & potiùs de ſcribentis fide aliunde in ſimilibus ſuſpe-
"cta, dubitet. Se verò data occaſione... gloriolæ avidus, nec ſe-
"mel commendat, laborátque inſano philautiæ morbo &c De his...
"*inquit*, te (*lector*) monuiſſe operæ pretium erat, ut.. aliud inprimis
"deteſtabile Agnelli hujus vitium intelligeres, ſcirésque, quam fidem
"mereatur hujusmodi Scriptor, cùm Sanctiſſimos Romanæ Sedis Pon-
"tifices inſectatur, & ea tradit, quæ primæ Sedis in Ravennates Epi-
ſcopos

ſcopos jura *extenuant*, *hereditaria jam tum à proavi ſui temporibus ad ſe propagata vindictæ labe infectus; uti narrat Bacchinius pag. 3. rei geſtæ cauſam exponens. Unde factum ſit, ut fabellas tempore Schiſmatis in populo natas, avidè adoptârit, eam præcipuè, quæ circumfertur de Ravennatis metropolis erectione per Valentinianum III, traditóque tum ab initio, tum aliàs ab Auctis pallio, decantans, & quod his affine eſt,* αὐτοκεφαλίαν *monſtrum, in cerebellis hæreticis & Schiſmaticis partum, furioſa deinde in Sanctam Sedem, obſtetricante veſania, adoptatum, & propagatum; quod Bacchinius refutat à pag. 20, partem benè magnam eruditæ ſuæ præfationis inſtituto iſti inſumens. Neotericus bibliographus in Commentariis de Scriptoribus & Scriptis Eccleſiaſticis* (ſcilicet Caſimirus Oudinus) *Tomo II à col. 156 de iſto Auctore tractans, citat Acta Eruditorum Lipſiæ Anni 1710, menſe Auguſto, pag. 330 ad 336, quæ* "accuratum, inquit, & ſincerum de hoc Auctore judicium "ferunt, & injurias atque convicia, quibus illum immeritò Benedictus Bac- "chinius infamavit, confutant atque eliminant, ut ab illorum analyſeos ver- "bis recedere non auſim." *Quam poſtquam protuliſſet, corradit aliud fragmentum, in quo inſulſus quidam & inverecundus gerro contra Sedem Romanam deblaterat. Tales videlicet Duces ſequi docuit Oudinum ſua contra Eccleſiam Romano-Catholicam, quam infamis transfuga, mutato ſimul ac depoſito pariter cum Romanis Sacris religioſæ profeſſionis inſtituto turpiter deſeruerat, ſcribillandi prurigo. Notare certè, carpere, arrodere mos iſtiusmodi erronibus nimiùm uſitatus, quidquid vel in ſpeciem videtur rimam patefacere, qua aditus detur in Romana inſtituta debacchandi.* Pergit Pinius n. 88. *Cur Scriptorem hunc, quem* ineptum non modò, ſed impium etiam, & Sanctiſſimæ Petri Sedi, ejúsque juribus injurium, ac ideo pluribus ex capitibus proſcribendum, *aſſerit ibidem Bacchinius pag. 5. cur, inquam, hunc edat, ediſſerit à pag. 4. nam, uti in rem noſtram habet pag. 13,* "licèt barbarus, rerum & temporum ignarus ac indiligens ſit Agnellus, "negari tamen nequit, plura ex ejus Opere nanciſci licere, quæ ſa- "cram profanámque hiſtoriam juvent. . . Antiſtitum Ravennatum San- "ctitatem, eorum præcipuè, quos publicis votis Catholica veneratur "Eccleſia, primus omnium laudavit, effecítque, ut eorum Acta no- "ſceremus, quæ aliàs periiſſent: inprimis verò SS. Apollinaris & Se- "veri, quos, qui ex poſteris encomiis venerati ſunt, Agnellum præ- "centorem habuiſſe, nullus inficiabit. *Mitto alia, quæ idem Auctor in Agnelli laudem ibidem proſequitur, eò majorem fidem meriti, quò à geſtis, quæ poſteris tradidit, ac proin à vindicta, temporis intervallo remotior exſtitit.* Hucusque Pinius, qui n. 89 ex Bacchinio rectè ſubjungit, errare eos, qui hunc Agnellum cum Agnello Archiepiſcopo, poſtremis Juſtiniani annis florente, confundunt; ac inprimis Voſſium corrigit,

qui

qui ex Rubei Hiſt. Ravennatenſi perperam exſculpſit, Agnellum Ravennæ Archiepiſcopum temporibus Ludovici Pii, & ordine quidem decimum exſtitiſſe. Denique Stiltingus T. II Sept. p. 536 n. 6. in Sylloge Hiſtorica de B. Urſicino Ep. Ravenn. Agnelli librum Pontificalem ſive Vitas Pontificum Ravennatum *anachroniſmis & erroribus non carere* teſtatur.

S. AGOBARDUS. S. AGOBARDUS, Lugdunenſis Archiepiſcopus, qui vitam poſuit anno 840 VIII Idus Junii, ad eandem diem inter Sanctos colitur, ùt videre eſt in *Actis SS.* Antverp. ad d. d. item apud *Theophilum Raynaudum* in SS. Lugdun. Indiculo: *Ant. Pag.* T. 3. Crit. ad a. 840 n. 15. *Nat. Alex.* T. VI. Hiſt. Eccleſ. Sec. IX C. III. Art. 10 à p. 48. Unde conſectaneum, inquit Raynaudus, quòd vel ab impactis ſibi nævis in filiorum adverſus Patrem Ludovicum Pium rebellione fuerit immunis, vel certè labem inde contractam pœnitentiâ rurſum eluerit. Teſtatur Ado in Chronico, Agobardum Ludovico Cæſari denuo conciliatum, Sedi ſuæ reſtitutum, ac demum in ipſa expeditione pro Cæſare ſuſcepta apud Santonas defunctum. Varia ſunt Agobardi Scripta. 1mò liber adverſus Felicis Urgellitani errorem. 2. Libellus ſupplex ad Cæſarem contra Judæorum inſolentiam. 3. Liber de Judaicis ſuperſtitionibus ac commentis impiis. 4. Conſultatio de Judaicorum mancipiorum baptiſmo: an invitis Dominis eſſent baptizanda, ſi baptiſmum poſtularent. 5. Liber contra legem Gundobadi, & ſingularia in cauſis dubiis certamina. 6. Liber de privilegio & jure Sacerdotii. 7. Liber contra inſulſam vulgi opinionem de grandine & tonitru, tanquam per magos & fortilegos excitatis. 8. Contra abſonum vulgi figmentum de pecorum lue & ejus cauſa. 9. Contra quasdam Fredegiſi Abbatis objectiones de veræ humilitatis proprietatibus: de Spiritu S. utrum ipſe corporalia verba in ore Prophetarum & Apoſtolorum extrinſecus formârit: de veteris teſtamenti Sanctis, utrum fuerint Chriſtiani. 10. De quorundam illuſione ſignorum ſeu ſtigmatum, quæ in ægrorum corporibus apparuerunt. 11. Epiſtola una ad Matfredum Comitem de cohibendis injuſtitiis: altera ad Clericos & Monachos Lugdunenſes de modo Regiminis Eccleſiaſtici. 12. Liber contra eorum ſuperſtitionem, qui Sanctorum picturis & imaginibus adorationis obſequium deferendum putabant; qua in re genuinum Agobardi ſenſum atque ſententiam à calumnia & cavillationibus hæreticorum vindicare ſatagit Natalis-Alexander T. V. Hiſt. Eccl Sec. VIII Diſſert. VI §. XIII. 13. Liber de diſpenſatione Rei Eccleſiaſticæ. 14. Liber de divinis ſententiis contra eos, qui

putant,

putant, judicium DEI ferrô, igne, vel aquâ vel armîs patefieri. 15. Sermo exhortatorius de fidei veritate: cui ſubnectitur Epiſtola ad Lud. Pium de cauſis diſſidii ex immutata Regnorum inter filios diviſione &c. Sequitur dein liber de comparatione utriusque Regiminis, Eccleſiaſtici & Politici. 16. Epiſtola, manca tamen, de Spe & timore ad Ebbonem Remenſem. Item liber de Divina Pſalmodia, quô ſuadet, nihil in Divinis officiis cantandum aut recitandum, niſi quod è divinis Scripturis depromptum: plebejos verò pſalmos, aut quidquid poëticè compoſitum, è templo DEI eſſe eliminanda. 17. Opus contra IV libros Amalarii Metenſis: Epitaphium Caroli M. Imp. Carmen de translatione SS. MM. Cypriani, Sperati & Pantaleonis ad urbem Lugdunenſem. Vid. *Nat. Alex.* l. ſuprà cit. item *Pagius* T. 3. Crit. Verbô: *Agobardus*: ubi plura de illius Operibus geſtisque occurrunt. *Poſſevinus* in Appendice II Tomi I Apparatûs Sacri p. 6. & 7. *Acta SS.* l. c. aliique. Hæc autem, quorum meminimus, Agobardi pleraque Opera, vel potiùs lucubratiunculas, veteribus ex pergameno chartis inſcriptas, cùm neſcio quô fato aut imperiti venditoris incuriâ in Bibliopegi cujusdam Lugdunenſis manus veniſſent & pro librorum tegumentis deſtinatæ, imò dilaniandæ jam eſſent, opportuniſſimè adhuc ab interitu & æternæ oblivionis injuriâ vindicavit, qui homini fortuitò ſupervenerat, Papyrius Maſſonus, prout ipſe in horum Operum, quæ Pariſiis A. 1605 luci publicæ dedit, Præfatione ſub finem teſtatur. Eadem dein Opera iterato prelo ſubjecit Baluzius A. 1666, ùt Menkenius in Lexico Eruditorum affirmat. Sunt tamen quæpiam, quæ in Maſſoni Editione Romanis Cenſoribus diſplicuêre; unde in poſtremo Indice expurgatorio de A. 1752 p. 9. ita notantur: *Agobardi Epiſcopi Lugdunenſis Opera, impreſſa ſtudio Papirii Maſſoni, donec corrigantur.*

AIMOINUS Monachus Floriacenſis, partim finientis X partim incuntis XI Seculi Hiſtoricus, præter alia Francorum Hiſtoriam contexuit, quatuor libris diſtinctam, eamque Abbati ſuo Abboni dicavit, eidem videlicet, qui poſtea A. 1004 13 Nov. à Vaſconibus in Monaſterio Regulæ ad Garumnam Martyrii laureâ eſt coronatus. Tota Aimoini hujus hiſtoria capite XLI Libri IV terminatur, ùt inter Recentiores eruditos jam convenit, & tum ex ipſius Aimoini Codicibus vetuſtiſſimis, tum ex manifeſta, quæ deinceps ſequitur, ſtyli inæqualitate luculenter evincitur. Unde decepti ſunt Miræus, Baronius & Bellarminus, cùm totos Aimoini libros V, velut legitimos, bona fide admitterent, eoquòd nimirum nemo alius eousque ea de AIMOINUS

re dubitâſſet. Quidquid verò poſt illud caput XLI in quibusdam Editionibus ſub Aimoini & libri V nomine ſolet venditari, alius longè interpolator & veroſimillimè Monachus S. Germani de Pratis adjecit, atque ex aliis rurſum auctoribus, ùt Eginhardo, Anonymo item Ludovici Pii biographo, Hugone Floriacenſi, Sugerio, & Annalibus præcipuè Bertinianis compaginavit. Vid. *Nat. Alex.* T. VI. Sæc. IX Cap. III. Art. XXX p. 68. 69. *Labb.* T. I. Script. Eccl. p. 16. 17. & T. II. ſub finem in peculiari Diatriba ſeu Judicio de Aimoino. *Ant. Pag.* T. III ad a. 872. n. 3. Eadem Freherus ipſe in Corp. Hiſt. Franc. poſt dictum Caput XLI jam obſervavit, & cum Frehero alii, quos Natalis & Labbeus allegant. Nihilominus cùm hoc in Opere Editione Freheriana ſim uſus, titulum mutare nolui, & prætenſum Aimoini librum V ſæpiùs in notis expreſſi; quamvis reipſa, ubi accuratiùs hujus Pſeudo-Aimoini narratio fluit (nimirum à l. V. c. 21 ad c. 41. ſeu à Lotharii junioris obitu usque ad A. 882) Annales potiſſimùm Bertinianos ab Anonymo hoc continuatore exſcriptos fuiſſe non neſciam, eosdémque proin ſub Aimoini nomine ad prædicta tempora plerumque intelligi velim.

Quoniam verò & ipſe verus Aimoinus non niſi ex aliis ſparſim auctoribus libros ſuos quatuor compoſuit, neque ultra medii Seculi Septimi geſta laborem ſuum protraxit, mirum non eſt, quòd circa facta antiquiora ipſe perinde, atque Scriptores anteſignani, in errores abiêrit. Sic notant Hagiographi noſtri Antverp. T. IV Aug. p. 800. n. 38, quòd Aimoinus l. IV c. 34 fabuloſa quædam de S. Audoëno immiſcuerit. Sic Tomo III Martii p. 719 n. 3. Aimoinum minimè audiendum admonent, dum omnem Dagoberti aut aliorum Regum luxuriam ad Beatum & pientiſſimum Regem Guntramnum falſiſſimè transfert. Similiter l. mox cit. p. 722 lit. d. in Annotatis, ex ipſomet Gregorio Turonenſi præpoſtera Aimoini narratio luculenter refellitur, qui Guntramnum quatuor omnino filios ex diverſis concubinis, nullo legitimo matrimonio junctis, ſuſcepiſſe prætendit. Fabulam præterea ſapiunt, quæ Aimoinus L. III. c. 6. de Audoveræ Reginæ repudio, & dati à Chilperico repudii cauſa recenſet: prout jam conjectavit Eckhartus T. I. Comment. de Franc. Orient p. 94. n. 7.

Sed nempe Aimoinus non pauca ex *Geſtis Francorum* (quæ Freherus pariter in Corpus Hiſt. Franc. à p. 55 ad 85 inſeruit) in Hiſtoriam ſuam tranſcripſit, prout idem Freherus p. 55. jam animadvertit. Perantiquus quidem ille Geſtorum compilator cenſetur; nam ad calcem Operis ſeu capitis LIII ſuam prodit ætatem (niſi ex deſtinato ſenio-

rem

rem ſe finxerit: cujus tamen fictionis nullum ſuppetit argumentum) & circa Annum 720 vixiſſe ſe innuit, dum ait: *Franci verò tenderunt ad Cala Monaſterium enutritum, filium Dagoberti Junioris, Regem ſuper ſe ſtatuunt: qui usque nunc in Regno ſubſiſtit.* Unde tam *Pagius* T. III Crit. ad A. 698. n. 4. quàm *Eckhartus* l. c. T. I. p. 332 n. 16 hunc Auctorem Anonymum Theodorico Kalenſi regnante ſcripſiſſe admittunt: *Henſchenius* verò ſaltem Auctorem antiquiſſimum & Aimoino Seniorem fatetur T. I. Febr. p. 215. n. 45. 46.

Quantæ autem auctoritatis hæc Geſta Francorum eorúmque Auctor Anonymus in rebus vetuſtioribus, paſſim exiſtimentur, nos docent Hagiographi noſtri T. ulu Maji in Paralip. Diſſert. XXV p. 61. col. 2. ubi Papebrochius *Geſta Francorum* inquit *à fabulatore Anonymo edita, quémque mirum eſt, in hoc puncto* (ſcilicet circa Epacta & temporis computum) *aſſenſum obtinuiſſe Cointii, non ignorantis fœdiſſima Scriptoris illius Hyperbolymæi errata.* Eodem *fabulatoris* nomine hic auctor notatur ab Henſchenio, & ipſomet Cointio, T. cit. Maji in Exegeſi Præliminari de Epiſcopatu Tungrenſi c. X. n. 76: item T. I. Junii p. 295. in Annot. lit. a. c. Confer. etiam T. I. Febr. p. 714. n. 45. & T. II. Junii p. 84. lit. a. Extant Aimoini libri V 1mò apud Jacobum Breulium, qui illos A. 1602 unà cum Abbonis Poëmate & Leonis Oſtienſis Chronico Caſſinenſi Pariſiis edidit. 2dò apud Freherum l. c. 3tiò apud Du-Cheſnium T. III. Script. Franc. à p. 2.

ALANUS DE RUPE Ord. Prædic. qui ſub finem Sæculi XV. floruiſſe dicitur: ſi tamen aliquando vixit & ſcripſit. Varia quidem ſub ejus nomine prodiêre Opuſcula, quæ tamen meliùs latuiſſent. Nam quid de putatitii hujus Scriptoris lucubrationibus, fide, ac ſinceritate ſit ſtatuendum, abunde jam detexêre Hagiographi noſtri T. I. Aug. in vita S. Dominici à p. 364. Nimirum *Joannes Andreas Coppenſteinius* Ord. Præd. fabuloſa quædam Opuſcula ſub Alani Rupenſis nomine Orbi obtruſit (ùt notatur ibidem p. 364.) & nihilominus perſonati hujus Auctoris fabulæ à Joanne Rechaco mordicus defenduntur (ib. p. 369.) ſæpe citat Alanus hic adſcititius Auctores commentitios (ib. p. 470. 471.) Hiſtoriam Benedictæ Florentinæ, per S. Dominicum à Dæmonio liberatæ, Epiſodiis & figmentis auxit (ib. p. 501.). Fuêre Scri- " ptores quidam ex Ord. Prædic. (*ùt ait STILTINGUS T. V. Aug. in vi-* " *ta S. Ludovici Regis p. 284. n. 44.*) aliíque multi, quos citat Ar- " turus à Monaſterio in Martyrologio Franciſcano p. 390, quibus & " alii dein acceſsêre: qui aſſerant, S. Ludovicum precibus S. Domi- " nici, recitatóque à Blancha Matre Roſariô impetratum fuiſſe; quod

ALANUS DE RUPE.

" ùt vitæ Scriptoribus ignotum eſt, ita facilè ex dictis corruet. Cuperus verò noſter in Comment. præv. ad Acta S. Dominici T. I. Aug. p. 404. poſt ipſummet Echardum Dominicanum oſtendit, id, quod antè ex Stiltingo monuimus, cum geſtis S. Dominici connecti non poſſe, atque ex Alano de Rupe *Auctore fabuloſo* incautè à Recentioribus deſumptum; quod ſatis erat ad fabulam confutandam. Idem præterea Cuperus in peculiari Diſſertatione de Guzmannica S. Dominici Stirpe, quæ edita eſt An. 1740, à num. 52. & ſeqq. ſapienter obſervat, ab ipſomet Echardo, Viro Prædicatorum Ordinis pererudito, Alanum de Rupe explodi, eoquòd ſpurios Auctores, v. g. Joannem de Monte & Thomam de Templo ipſe novo nomine circa S. Dominici geſta confinxerit.

ALBERTUS ARGENT. ALBERTUS ARGENTINENSIS Chronicon ſcripſit ab An. 1270 ad 1378. quod T. II. Script. rerum Germ. produxit Chriſtianus Urſtiſius. Prohibita tamen eſt Baſileenſis Editio, donec corrigatur, ùt videre eſt in noviſs. Ind. expurg. p. 9. Cauſam prohibitionis ne quære; eſt enim heterodoxis ſeu editoribus, ſeu verſoribus, ſeu denique ſcholiaſtis librorum plerumque commune, ut ſicubi antiquiora M. S. in eorum manus inciderint, ſinceriſſimi etiam in Autographo fontes vel temerariis ad marginem ſcholiis, vel maledico ad calcem indiculo, vel per ipſum Auctoris contextum fœda verborum mutilatione, aut inſititiis falſitatum quisquiliis contaminentur: id quod dudum Bellarminus, Baronius, Gretſerus, Poſſevinus, Labbeus, aliique magni nominis Viri apertiſſimè jam demonſtrârunt. Et Urſtiſii quidem Auctoritas non immeritò poteſt eſſe ſuſpecta; nam dum Bellarminus l. 3. de Pontif. Rom. c. 24. Othonis Friſingenſis Chronicon, ſeu potiùs ſilentium contra putidiſſimam de Joanna Papiſſa fabulam allegat, ubi de Leone IV. & Benedicto III. agit: nihilominus apud Urſtiſium in Othonis Chronico Lib. VII. in Catalogo Pontificum *ly femina* Joanni VII. appoſita legitur; unde in Urſtiſium meritò ſuſpicio cadit, eandem ab ipſomet præ calumniandi libidine recentiùs fuiſſe aſſutam. Vid. P. Schwarz P. V. Colleg. p. 649. lit. a. in notis.

ALBERTUS STADENS. ALBERTUS STADENSIS natione Germanus, qui Anno 1240. Abbatia Stadenſi Ord. S. Benedicti ſponte relicta, ad S. Franciſci Inſtitutum ibidem tranſiit, Chronicon reliquit, quod ab orbe condito ad annum uſque 1256. geſta temporum perſequitur. Editum 1ò. fuit Helmſtadii An. 1587. cum ſcholiis Reineri Reineccii, Lutherani. 2dò. Wittembergæ An. 1608. 3tiò. Argentorati An. 1685, operâ Boecleri

ri atque Kulpisii, cum iisdem Reineccii notis. 4to. à Schilteno similiter Argentinæ An. 1702. Ast varia in Alberti editione, prout nunc legitur, meritò sunt observanda, vel potiùs perstringenda; nam 1ò. ita heterodoxi Reineccii scholiis est deturpatum, ut Editio isthæc à quovis orthodoxo lectore jure debeat repudiari 2dò. Interpolatum hoc Chronicon esse, & à posteriore sciolo (ipsomet fortè Reineccio) variis additamentis adauctum, falsæ quæpiam assertiones loquuntur, quæ in Albertum Synchronum cadere vix potuerunt. Ad annum enim 1240. ita scribere fingitur Albertus: *Papa Gregorius insolentias Imperatoris contra Ecclesiam metuens Principes super electione alterius sollicitavit, sed nihil profecit, quia quidam Principum ei rescripserunt,* NON ESSE SUI JURIS, IMPERATOREM SUBSTITUERE, SED TANTUM ELECTUM A PRINCIPIBUS CORONARE. *Electio enim ad istos dinoscitur pertinere.* " Ex prætaxa-
" tione Principum & consensu eligunt Imperatorem, Trevirensis,
" Moguntinus, & Colonienſis. Trevirensis enim licèt de Aleman-
" nia non sit, ratione antiquitatis eligit: quia cùm eadem Civitas à
" filio Nini. . . . sit constructa. . . etiam est à tempore Petri Apo-
" stoli in fide catholica solidata. *Palatinus* eligit, quia *Dapifer* est,
" Dux Saxoniæ, quia *Marschalcus*, & Margravius de Brandenburg,
" quia *Camerarius*: *Rex Boëmiæ, qui pincerna est, non eligit, quia non*
" *est Teutonicus.* „ Jam verò quis non videt, quàm malè cum Alberti verbis cohæreat Principum responsio? nam juxta Albertum Gregorius IX. aliud non egit, quàm quòd Principes *super electione alterius*, sive ut locò Friderici II. alium eligerent, *sollicitârit*: & tamen ineptissimè mox subjungitur, quòd Principes responderint Pontifici, non esse juris Pontificii, ut ipse substituat seu eligat Regem, sed ut electum à Principibus coronet: quasi verò Pontifex Electoris personam sibi unquam arrogâsset (quod tamen Albertus Stadensis minimè dicit, sed potiùs negat) aut Principes unà cum Pontifice crassissimè ignorâssent, quòd neque Gregorii Antecessores in Electorum munia involârint; nam recentissimum Innocentii III. exemplum sub Philippo Suevo & Othone IV. manifestè docebat contrarium: quandoquidem hic Pontifex in geminata Epistola, tam ad Zeringiæ Ducem Bertoldum, quàm ad Colonienſem Archiepiscopum Adolphum, neutiquam Electoris personam se assumere, sed id muneris solis quibusdam Germaniæ Principibus peculiariùs deberi, disertissimè est contestatus. Itaque non minùs in Alberti Chronico additicia est illa Principum responsio, quàm Anno mox superiore sive An. 1239. suppositicia fuerit tum Gregorii IX. ad Gallos, tum Gallorum ad Pontificem Epistola, quæ

hodie in Matthæi Pariſii Hiſtoria (interpolata ſcilicet) ad e. A. 1239. legitur, & tam ab Orthodoxis, præcipuè Gallis, quàm ab heterodoxis Scriptoribus citra debitam falſitatis ſuſpicionem ùt vera hucuſque genuináque eſt adoptata. Vid. *Acta SS. T. V. Aug.* p. 367. à n. 416 ad 429.

Deinde quid à vero magis alienum eſſe poterat, quàm quod Albertus ad e. a. 1240 ſcripſiſſe prætenditur, Bohemiæ Regem Pincernæ quidem munere fungi, aſt Electoris dignitate & jure haud frui? An enim neſcire poterat Albertus, quod ſuo tempore in conſpectu totius Alemanniæ factum? cùm nimirum Ottokarus, adhuc Bohemiæ Dux, nunc Philippum Suevum, nunc Othonem IV in Germaniæ Regem elegit, & ambo regni rivales ſummopere Bohemiæ Ducis favorem ſunt aucupati. Imò tam à Scriptoribus Italis, quàm Germanis, & quidem Synchronis, ùt Conrado Urſpergenſi, & biographo Ricciardi, S. Bonifacii Comitis, primo etiam loco Rex Bohemiæ inter eos numeratur, qui A. MCCX Fridericum II, poſt Pontificium in Othonem IV anathema, elegêre. Demum ex Rudolphi Habspurgici Diplomate, pro Regno Bohemiæ A. 1290 Erfordiæ dato, diſcimus, quòd Bohemiæ Ducibus jam ab antiquo jus electionis regiæ, haud ſecùs atque aliis primi Ordinis Ducibus, competiêrit. Quod ipſum cùm & Albertum Stadenſem, eorum temporum Scriptorem, & Rudolpho contemporaneum vix latere potuerit, meritò ſtatuitur, ea, quæ de Rege Bohemiæ in hodierno Alberti Chronico occurrunt, pro intruſis eſſe habenda, prout jam animadvertit Köhlerus in Hiſt. Imp. p. 215. Conjectare ſi fas eſt, exiſtimem ego, quòd alius quidam Saxo anonymus ex Speculo Juris Saxonici l. 3. art. 57 (prout citatur ab Hahnio P. V. Hiſt. Imp. p. 142 lit. c.) verba illa erronea de Bohemiæ Rege excerpſerit, atque in Alberti Chronicon imperitè transtulerit; nam verba Speculi Germanica omnino cum Latinis conſonant, quæ in Alberti editione leguntur.

Sed & aliud longè falſiſſimum eſt, quod de Archiepiſco Trevirenſi in hoc Chronico extat: eum videlicet de Alemannia ſive Germania non eſſe, ſed ob ſolam tam Urbis quàm Catholicæ Sedis antiquitatem ad electoralis ſuffragii jura admitti; jam enim ab aliquot retro Seculis ante Albertum inter Summos Alemanniæ ſeu Regni Germanici Principes indigenas extitiſſe, & tum Conciliis & Comitiis Germaniæ, tum electionibus & coronationibus Germaniæ Regum, Trevirenſem Archiepiſcopum conſtanter interfuiſſe, ex plurimorum Veterum teſtimoniis plus quàm certiſſimum eſt: adeò, ut rei hujus aut neſcium aut immemorem fuiſſe Albertum, temporibus illis affinem, minùs veroſimile fiat.

Præ-

Præterea ad A. 1240 Pſeudo-Albertus Sæcularium Principum Archi-officia haud aliter enumerat, atque ſi ad e. a. ſingula jam fixa, definitáque fuiſſent. Jam Palatinus nominatur Dapifer, & Bohemus Pincerna: Bavarus verò à Septemviratu excluditur; etſi neminem eruditum fugiat, quantum adhuc poſt A. 1240 partim de Electoratu inter Bavarum & Palatinum, partim de Dapiferatu & Pincernatu ſit diſceptatum. Certè Bajoariæ Duces non ſolùm ab antiquo inter Germanici Regis Electores ſemper antehac cenſebantur, ſed & paulò antè, ſcilicet A. 1210 (quo tempore utique natus, imò ad juſtam ætatem provectus jam fuerat Albertus Stadenſis, utpote mox ſub annum 1232 Abbatiæ Stadenſi Præpoſitus) Ludovicus Bajoariæ Dux unà cum Bohemiæ Rege, Archiepiſcopo Moguntino & Trevirenſi Fridericum II Imperatorem elegerat, ùt ad e. a. teſtantur Conradus Urſpergenſis & biographus Ricciardi, ſuperiùs jam allegati: ſcilicet 17 annis, priusquam Bajoaria, poſt Henrici Comitis Palatini Rhenani obitum, cum Palatinatu conjungeretur, & ſaltem 45 annis, antequam Bajoaria & Palatinatus rurſum inter duos Principes Boicos fuiſſet diviſus. Archi-Dapiferi verò officium vix ante Conradini necem (quæ contigit Anno primùm 1268) ad Familiam Witelſpachiam fuit translatum; nam & Bambergenſis Eccleſiæ Dapiferatus non niſi poſt fata Conradini ſeu Familiæ Hohenſtauffiæ, Ducúmque Sueviæ interitum, Anno nimirum 1269, à Berchtoldo Bambergenſi Epiſcopo in Ludovicum Palatinum & Bajoariæ Ducem, publicis literis tranſcriptus legitur.

Atque ut alias fabulas omittam, quæ genuino Alberti Chronico recentiùs admixtæ videntur, de legitimis Friderici II. natalibus ad An. 1195. ita indubitanter pronuntiat Albertus: *Natus eſt Imperatori Henrico filius in valle Spoletana, in civitate Aſis, nocte, quæ præcedit dormitionem Johannis Evangeliſtæ, XV. Epiſcopis & Cardinalibus præſentibus, & baptizatus dictus eſt Fridericus.* Ad Annum verò 1220. de ſuppoſititia Friderici proſapia admodum prolixa fabula, quam poſtmodum Cranzius in ſua Metropoli Saxon. l. 7. c. 38. unde unde corraſit, Alberti pariter Chronico inſerta legitur, & ita quidem, ut ipſe Albertus in putidum illud commentum quodammodo conſenſiſſe ſit viſus, quin eorum meminerit, quæ ad An. 1195 paulò antè jam conſignavit. Ita enim hæc prolixior fabula clauditur: *Vicit tamen dubium eſſe, utrum ille puerulus Phyſici, aut molendinarii, aut accipitrarii filius fuerit; ſed verè ajunt, eum unius ex his tribus filium extitiſſe.*

Itaque cùm ipſe Reineccius in Epiſtola ſua nuncupatoria teſtetur, quòd Manuſcripti, quem præ manibus habuit, Codicis fronti diſertè

tè inſcriptum fuerit, narrationem Alberti ad Annum ſolummodò 1240. fuiſſe contextam: Albertus verò eo ipſo Abbatia ſe abdicârit, & ſeveriorem Fratrum Minorum Ordinem ſit amplexatus; multo veroſimilius ego crediderim, quòd ille Chronicon ſuum non ultra dimiſſæ Abbatiæ & prioris Inſtituti periodum conſcripſerit, illudque in eodem, cui hactenus præfuerat, Cœnobio memoriæ & gratitudinis ergo reliquerit: relictum verò alius deinceps continuârit. Quod cùm ſæpiùs poſtmodum à variis fuiſſet tranſcriptum, non defuêre fabulatores ſchiſmatici aut Acatholici, qui pro ſua libidine abſonis figmentis, recentiùs excogitatis, illud dehoneſtârint: qualia ſunt, quæ ad An. 1245. de iteratis Principum adverſus Pontificem clamoribus, ac præcipuè ad An. 1246. de Pontificis ad Soldanum, & Soldani ad Pontificem literis, ex Schardiano forſitan Hypomnemate depromptis (námque iſtud hujuſcemodi quisquiliis ſcatet) mendaciùs, dicam, an puerilius inſperguntur. Profectò quemadmodum ipſum Alberti autographum non vidit Reineccius, ſed ex ſolo Ranzovii Equitis Codice exſcripſit, ita nec huic Chronico, prout à depravatore peſſimóque Scholiaſte Reineccio eſt editum, fides univerſim poteſt haberi. Qualis enim commatis aut furfuris fuerit Reineccius, non modò hujus Alberti, ſed & Ditmari & Helmoldi Chronica loquuntur, quæ ſimiliter Reineccius non magis in lucem eructavit, quàm additamentis ſuis & appendicibus deformavit. Vide noviſs. Ind. Expurg. de An. 1752. p. 68. verbô: *Chronica Slavorum* & p. 357. verbô: *Reinerus Reineccius*: ubi inter I. claſs. prohibitos Auctores reijcitur.

ALEXANDER NATALIS. ALEXANDER NATALIS Ord. FF. Prædicatorum, & Theologus Pariſienſis, edidit priore Seculo Hiſtoriam Eccleſiaſticam Veteris & Novi Teſtamenti ab Orbe condito uſque ad Annum MDC. & in loca ejusdem inſignia Diſſertationes Hiſtoricas, Chronologicas, Criticas & Dogmaticas. Item Theologiam Dogmaticam & Moralem juxta Ordinem Catechiſmi Romani duobus Tomis in folio comprehenſam: item Inſtitutionem Concionatorum: Expoſitionem literalem & Moralem in IV. Evangeliſtas: Commentarium in Epiſtolas S. Pauli: & quædam Opuſcula, tum gallico, tum latino idiomate conſcripta. Ita *Graveſonius* P. III. Hiſt. Eccl. Tom. VIII. Colloq. V. p. m. 189. Edit. Venet. ubi tamen dexterrimè diſſimulat, quantum Alexandri hujus Hiſtoria Eccleſiaſtica pro merito ſuo apud Judices Romanos vapulaverit: etſi p. m. 175. l. c. minimè prætermiſerit, quòd plura Opera Zegeri Vaneſpen (quocum tamen non modicam affinitatem habet Alexander) Romæ fuerint proſcripta. Eſto enim, quòd in poſteriore

ſteriore Operum ſuorum editione Alexander per ſcholia Apologetica lucubrationum maculas ſubinde eluerit, Æthiopem tamen penitus dealbare non potuit. Nemo equidem inficias ibit, quòd eruditionis copioſiſſimæ laude præcelluerit Alexander; aſt nec illud negandum, quòd in plurimis ſit hallucinatus, & tum partium ſtudio, tum præjudiciis malè conceptîs abreptus, iniquius atque incautiùs quàm veriùs non rarò ſcriptitârit. Paucula duntaxat è quam multis adduco. Sic 1ò. Tomo VIII. Hiſt. Eccleſ. ad Sæc. XVI. Cap. X. Art. IV. p. 266. 267. n. 1. & 2. Carolum V. Imperatorem, quem *Maximi & fortiſſimi* elogiô Paulus III. condecoravit, ipſe deſcribit velut *aſtutiſſimum & vaferrimum Principem*: Virum, *qui manum temerè miſit ad Sacra, non ut Arcam nutantem ſuſtentaret, ſed ut ſtantem concuteret*: hominem, qui *ſuæ dignitatis ac privatæ utilitatis majorem habuerit rationem, quàm divinæ gloriæ, & Catholicæ Religionis*: hominem *incredibilis faſtûs, ſuperbiæ & intemperantis jactantiæ*: quique *totam Galliam ſpe devoraverit*: *immortales cum Franciſco I. inimicitias geſſerit.* Cap. verò XI. Art. 6. p. 280 abſonam prorſus invidiosámque ex Ferrono, Scriptore Gallico, Caroli V. cum Franciſco I, Galliarum Rege, comparationem, prolixámque logomachiam ita obtrudit, ut calamum mancipatum nemo non Germanorum agnoſcat.. Dein ut Regem Franciſcum (quem à fœderato ſuo Solimanno, Turcarum Imperatore, etiam *Fratris* nomine ſalutatum ipſe Alexander affirmat) pro viribus ſuis excuſet, interrogantis in modum exclamat: *Uter verò culpandus magis, an Franciſcus, qui cum Solimanno fœdus iniit? An Carolus V, qui tam indignis Imperatore Chriſtiano facinoribus ac fraudibus Regem ad hæc extrema compulit?* Enimverò ſi tam oculatum induſtriúmque ſe præbuit Natalis in vindicando Franciſco adverſus Carolum, & Ludovico XI adverſus Gobelinum Pii II Notarium (Vid. *Alex.* l. c. Art. III à p. 274.) quid nî idem facere poterat in Carolo V, ſi genuinas Hiſtoriæ leges ſequi, & non modò domeſticos, ſed & Germanos Scriptores evolvere maluiſſet? Equidem in ſcholio ſuo contra Cenſores Romanos, qui has ipſas Alexandri contra Carolum V. criminationes jure perſtrinxerant, laconicè pro more ſuo reſpondet Natalis, *ſe non Panegyricum, ſed Hiſtoriam ſcribere*: Sed & meminiſſe debuerat, Se neque ſatyram ſcribere, neque patentiſſimas falſitates pro veritatibus venditari oportere.

2dò. Quando in propoſitionibus ſuis, quibus multiplici ſuper argumento Hiſtoria ejusdem abundat, ab Eccleſiæ Romanæ, & plerorumque Doctorum Orthodoxorum placitis recedit (recedit autem ſæpiſſime) ad unius Eccleſiæ Gallicanæ vel doctrinam, vel diſcipli-

nam, vel jura confidenter appellat, & Romulidum tela hoc veluti ſcuto ſecurus eludit, haud ſecus, atque ſi omnia reliqui Orbis othodoxi argumenta per ſolam contribulium ſuorum contrà ſentientium opinionem jam debellâſſet, & Plato hic Gallicanus Romanos omnes mox juberet quieſcere.

3tiò. Dum T. VI. Hiſt. Eccl. ad Sec. XI de S. Gregorio VII & Apoſtolicæ Sedis Auctoritate diſſerit Natalis, *uſque adeò ſuæ profeſſionis oblitum* ait Papebrochius T. VI. Maij. p. 102. n. 2. ad diem 25, *ut vel eâ ſolâ causâ potuerit commeruiſſe gravissimam, quâ libri ejus omnes fulminati ſunt, cenſuram Innocentii Papæ XI.* Unde calamum adverſus Natalem meritò arripuit Franciſcus d' Enghien, ejuſdem Prædicatorum Ordinis dignior Alumnus, libróque ſuo hunc titulum fecit : *Auctoritas Sedis Apoſtolicæ pro Gregorio Papa VII. vindicata adverſus Natalem Alexandrum, ejusdem Ordinis Doctorem Theologum.* Vindicias equidem mox oppoſuit Natalis, & cùm Hiſtoriam ſuam Eccleſiaſticum ſecundò recuderet, Tomo VIII. à p. 445 ad 495. prolixam adverſus Enghienium Diſſertationem inſeruit; quam tamen ſi rite decorticaveris, parùm in ea nuclei, parùm Theologicæ hiſtoricæque Soliditatis in ea deprehendes. Tota certè Diſſertatio aliud non loquitur, quàm quòd à principiis ſuis, quæ adverſus S. Gregorium & Gregorii geſta ſemel imbiberat, nullatenus avelli ſe ſinat Natalis; dúmque Enghienium velut inferioris Subſellii Theologum mordaciùs contemptiúsque impugnat, eadem ſcribendi licentia ipſum ſimul Gregorium graviſſimè lædit.

4tò. Negat cum Bailleto Alexander T. VIII. Hiſt. Eccl. Diſſert. VIII. Art. VII. tum quòd Baſileenſis Concilii aſſeclæ propriè fuerint ſchismatici, tum quòd B. Ludovicus Alamandus, Archiep. Arelat. & S. R. E. Cardinalis, qui antehac illi Concilio adhæſerat, pœnitentiam hac ſuper re egerit. Verùm inepta Alexandri ratiocinia ſole clariùs refellit Stiltingus noſter T. V. Sept. à p. 452. n. 65 ad 77. " Non difficulter, inquit, Stiltingus, percipimus, quid Scriptores illi præ oculis habeant, dum ſuſtinere nituntur opinionem illam æquè mirabilem, ac improbabilem. Vellent inter Beatos invenire aliquem, qui Romanæ Eccleſiæ Decretis conſtanter ſe oppoſuit, nec mentem unquam, ne in morte quidem mutavit, ac ſi rebellibus Eccleſiæ filiis nihil ampliùs timendum foret, poſtquam Beatum aliquem futilibus aliquot ratiunculis exhibere conati fuerint ſibi in rebellione ſimiles. Verùm tam ineptæ & frivolæ ſunt rationes, quibus Baſileenſes labe ſchiſmatis eximere, & quibus pœnitentiam Ludovici Alaman-

" mandi negare contendit Alexander, ut mirer, ſimilia ſcribi potuiſ-
" ſe ab homine aliàs erudito. Etenim fatetur, nec juſtam fuiſſe
" depoſitionem Eugenii, nec canonicam Electionem Felicis: vel ſic
" tamen T. VIII Diſſertatione VIII Art. VII. affirmat, ſchiſmaticos
" propriè dictos non fuiſſe Baſileenſes. Quàm autem futilibus uta-
" tur argumentis, mox videbimus. Proponit deinde Stiltingus Ale-
xandri argumenta, ſimúlque oſtendit n. 67. 68. illa tam *infirma*, *ineptique eſſe*, *ut pro omnibus ferè ſchiſmaticis atque hæreticis excuſandis ſimilia poſſent afferri.*

5tò. Principia critica, quibus hiſtoriam ſuam alicubi firmat, Prothei more rurſum alibi deſerit. Sic v. g. T. VII. Hiſt. Eccl. p. 289. contra illos, qui famoſam ſanctionem, vulgò *Pragmaticam* dictam, San-
" cto Ludovico Regi abjudicant, ita exurgit: Totam tamen Prag-
" maticam mox laudatam *audaciùs* Regi Sancto abjudicant aliqui, cùm
" illius pietati maximè conveniat, & ſtudio ad Eccleſiæ tuendam li-
" bertatem propenſiſſimo, & à Senatu Pariſienſi laudata ſit in Articulis
" Ludovico XI Regi Chriſtianiſſimo oblatis Anno MCDLXI, & in Re-
" gni Comitiis Turonenſibus Anno MCDLXXXIII, & ab Academia
" Pariſienſi in Inſtrumento Appellationis editæ Anno MCDXCI. Hæc
" Natalis: nec plura pro tota Pragmatica. Verùm optimè, atque argumento, ùt vocant, ad hominem Natali reſpondet idem Stiltingus T. V. Aug. p. 496. n. 1017. cùm propriis ejuſdem principiis illum impugnat. Nam Tomo III Hiſt. Eccl. ubi agit de Epiſtolis Decretalibus veterum Pontificum ante Siricium, pag. 214 admittit Natalis, Decretales illas, ùt genuinas admiſſas fuiſſe à Conciliis & Canonum collectoribus; nec tamen eorum ſententiæ acquieſcit; *quia*, ùt ait, *Hæc Concilia, hique Collectores & authores, poſteriores ſunt nono ſeculo, nec Epiſtolas illas ad ſeverioris Criticæ regulas expenderunt.* Cur igitur, retorquet Stiltingus, auctoritatem adductam, quæ ducentis fere annis poſterior eſt Sancto Ludovico, valere vult pro Pragmatica contra ſilentium tot Auctorum, & temporis tam diuturni: ſi Conciliorum aliorúmque Scriptorum Auctoritas non valet pro Decretalibus? Pergit autem Natalis etiam contra illos, qui ſaltem ultimum, contra Romanæ Curiæ exactiones, Sanctionis Pragmaticæ caput à Sancto Ludovico editum negant, erroneam ſuam opinionem ſola hac ratione tueri: *Hujus condendi Decreti rationem S. Ludovi[illegible]on defuiſſe, docet Matthæus Pariſius, cœvus Author in Hiſtoria Anglicana ad Annum MCCXLVII pag. 485 col. 1.*
" Ejſdem diebus, inquit, Dominus Papa apices ſuos, authenticos
" nuntios Prædicatores & Minores, miſit ad omnes Franciæ Prælatos

" ſingillatim, ſupplicans, ut unuſquiſque juxta ſuam poſſibilitatem
" ſibi unam quantitatem pecuniæ accomodaret. Et ipſe procul dubio,
" cùm reſpiraret, quod cuique competeret, redderet indubitanter.
" Quod cùm Regi Francorum innotuiſſet, ſuſpectam habens Roma-
" næ Curiæ avaritiam, prohibuit, ne quis Prælatus Regni ſui, ſub
" pœna amiſſionis omnium bonorum ſuorum, taliter terram ſuam
" depauperaret. Et ſic cum ſibilo & deriſione omnium Papales legati
" Sophiſtici, quorum humeris officium hoc incumbebat, inanes & va-
" cui à Regno receſſerunt memorato. At fallor vehementer, rectè ſubjungit Stiltingus l. mox cit. n. 1018. 1019, *niſi potiùs inopiam hic ſuam probet* Alexander, *quàm confirmet opinionem.* Nam primò in eodem Tomo VII. p. 138. hæc ſcripſerat: *De hoc Hiſtorico ita cenſet doctiſſimus Cardinalis Baronius ad An. 996:* QUAM FUERIT ANIMO INFENSISSIMO ERGA APOSTOLICAM SEDEM, QUIVIS FACILE POTERIT INTELLIGERE: NISI PROBRA ILLA
" FUERINT ADDITAMENTA EJUS, QUI EDIDIT. Cùm hæc Baronii verba ad-
" ducat Alexander, ut Pariſii characterem deſcribat, prudenter ſanè
" abſtinuiſſet ab ejus verbis contra Romanum Pontificem intorquen-
" dis: infenſiſſimo enim Scriptori non creditur, præſertim ſi ea pro-
" ferat, quæ aliunde nulla veri ſpecie veſtiuntur. Ita Stiltingus, quî dein à n. 1019 ad 1027. uberrimè probat, quòd Pragmaticæ ſtylus atque contenta, neque cum illis temporibus, neque cum S. Ludovici moribus, neque cum judicii legibus rite poſſint conciliari. Atque hæc de Pragmatica, & critica Natalis circa regulas ſuas inconſtantia. Dein Tomo IV Sec. IV. Diſſert. XIX adverſus S. Epiphanii teſtimonium de continentiæ lege Sacerdotibus præſcripta, paucis reſpondet, ideò illud valere parùm, quòd *ipſi non infrequens ſit contra hiſtoriæ leges peccare;* Et tamen in eadem Diſſertatione juxta eundem Natalem *conſequens non eſt*, *Socratem in Paphnutii Hiſtoria* (qui ſcilicet in primo Concilio Nicæno uxoratis Sacerdotibus faviſſe narratur) *mentiri, quia in aliis nonnullis contra hiſtoriæ legem peccavit; alioquin nihil certi in hiſtoria habebimus, quia nullus pene hiſtoricus eſt, cui error aliquis exprobrari non poſſit.* Rurſus T. III Sec. I. Diſſert. XVII. p. 179. Launoyo, qui ex Veterum Auctorum Silentio SS. Magdalenæ, Marthæ, Lazaríque in Provincia appulſum negat, rotundè reponit Natalis, *hæc argumenta futilia eſſe, quia negantia ſunt.* Nihilominus ipſe Natalis T. IV Sec. IV. Cap. IV. Art. VIII. n. 9. ut ſymbolum: *Quicunque*: S. Athanaſio abjudicet, argumento hoc negativo, & primo quidem mox loco utitur, aitque, quòd nullus auctor S. Athanaſio coævus aut ſuppar ſymboli hujus meminerit. Unde non immeritò etiam Cuperus noſter T. VI Julii de

Hiſpa-

Hiſpanica S. Jacobi prædicatione à p. 75. n. 330 ad n. 337 & à n. 400 ad 409. Natalem ſuiſmet armis aggreditur, ſimúlque luculenter oſtendit, quàm parùm firmo pede ſuis, quas ipſe alibi ſequitur atque præſcribit, legibus placitísque inſiſtat Natalis, & nunc, ubi placuerit, eaſdem arripiat: nunc ubi diſplicuerit, eaſdem repudiet, Criticus ſanè arbitrarius, qui ſuò potiùs genio aut partium ſtudio litare maluit, quàm conſonam ubique dictorum principiorúmque conformitatem, Critico certè neceſſariam, ſequi.

6tò. Denique in Hiſtoria ſua non eùm ubique, qui oportuerat, Auctorum ſelectum ac varietatem adhibuit; unde non rarò feſtinantiùs, quàm cautiùs, præfidentiùs quàm veriùs ſcripturivit: ùt ii facilè agnoſcent, qui forum Hiſtoricum diutiùs terunt, & cum ſcriptoribus illis domeſticis, quibus liberaliùs in rem ſuam utitur Natalis, Scriptores quoque exteros rite comparaverint.

ALLATIUS LEO, Græcus ex Inſula Chio, Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtos, Eccleſiaſticarum & Græcarum Antiquitatum experientiſſimus Scriptor, obiit A. 1667 ætatis 83. Scripſit Catenam Patrum in Jeremiam Prophetam: de Patria Homeri, quam lucubrationem Antiquitatum Græcarum Theſauro Gronovius inſeruit: de menſura temporum antiquorum: Diſſertationes duas de libris Eccleſiaſticis Græcorum: Diatribam unam de Simeonibus, alteram de Georgiis, tertiam de Pſellis, quartam de Nilis, in quarum ſingulis de cujuslibet illorum ſcriptis agitur: libros tres, eóſque percelebres de Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis perpetua conſenſione: Tomos duos Græciæ Orthodoxæ: librum de Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis conſenſione in Dogmate de Purgatorio: librum de VIII. Synodo Photiana: librum, in quo Hottingerum fraudis & impoſturæ convincit: Vindicias Synodi Epheſinæ: Confutationem fabulæ de Joanna Papiſſa: animadverſiones in Ingirhami Antiquitates Etruſcas. Scripſit præterea de melodiis Græcorum: de erroribus magnorum Virorum in dicendo: Apes urbanas, ſeu de Viris illuſtribus: Monumentum Adulitanum Ptolomæi III. Denique complura ſcriptorum Græcorum Opera Græco-latinè edidit, ac præcipuè Euſtathii, Patriarchæ Antiocheni, Commentarium in Hexameron, quem ſimul uberioribus notis & collectaneis illuſtravit: dein ejuſdem Euſtathii Diſſertationem de Engaſtrimytho, ſeu de Pythoniſſa, quam Saul conſuluit, Græcè & latinè vulgavit cum eruditiſſimo ejuſdem argumenti Syntagmate &c. Vid. *Graveſ.* P. 3. T. VIII. Colloq. V. *Morerius* in Diction. *Iſelinus* & *Menkenius* in Lexic. ALLATIUS LEO.

Nihil itaque mirum, quòd in tanta Operum multitudine etiam Allatius eruditiſſimus à ſe ipſo ſubinde abiêrit, & dictorum immemor ſibimet contradixerit: ùt oſtendit Cuperus noſter T. I. Aug. in Hiſt. Chronol. Patriarch. C P. p. 191 de duobus Georgiis Scholariis, perperam ab Allatio admiſſis: p. 243 à n. 1463 ad 66 & p. 244 à n. 1470 ad 74 circa ejusdem Cyrilli Contareni ſive Berrhœenſis geſta, in quibus Allatius ſibi repugnantia ſcribit: p. 160 n. 965 de Manuelibus Patriarchis, in quibus ſimiliter memoriâ lapſus eſt Allatius; ſed rectè ſubjùngit Cuperus: *nonnunquam bonus dormitat Homerus: quod & nobis aliquando contingere non negamus.* Natalis verò Alexander T. VII Hiſt. Eccl. ad Sec. XIV Cap. III Art. XIV p. 106 & Graveſonius P. II. T. V. Colloq. III p. m. 82 graviùs notant Allatium, ùtùt alioqui doctiſſimum, quòd non ſolùm adverſus Barlaamum Calabrum, S. Baſilii Monachum, ſed & contra receptiſſimam ſaniorum Theologorum ſententiam l. 2. de perpetua Conſenſione Eccleſiæ Occident: & Orient: c. 17 aſſeruerit, lumen Thaborium, quod Apoſtolos in die Transfigurationis Domini circumfulſerat, ipſam Chriſti Deitatem fuiſſe, nec repugnare, ut corporeis oculis, diviniore vi corroboratis, Deitas ipſa cernatur. Quò ſuper argumento etiam conſuli poſſunt *Acta SS. T. II. Septembr.* p. 147. p. 24 & 78 de S. Moyſe Propheta, utrum ad Rubum ardentem viderit divinam eſſentiam & Filium DEI? item *T. I. Septemb.* pag. 34 num. 120 & 121 de apparitione Duci Joſue facta: *Serarius* noſter in l. 2. Joſue c. V. quæſt. XL, ubi 16 Patres veteres citat, qui Deum aut Chriſtum Sancto Duci Joſue ſe conſpicabilem præbuiſſe ſcripſerunt.

ANASTASIUS BIBLIOTH.

ANASTASIUS S. R. E. Bibliothecarius, Ord. S. Bened. & Abbas Romanus, floruit Seculo IX ſub Nic. I. Hadriano II & Joanne VIII: eſtque diverſus ab alio Anaſtaſio, Tituli S. Marcelli Cardinali Preſbytero, & Gregorii IV Bibliothecario, quem Leo IV in Romana Synodo A. 850 exauctoravit, Voſſius verò l. 2. de Hiſtoricis Latinis c. 35 & Poſſevinus noſter T. I. Apparatûs Sacri p. m. 80 cum Anaſtaſio Abbate & Nicolai I Bibliothecario malè confuderunt. Varia ſunt hujus Abbatis Bibliothecarii Opera; nam quæ latinè reddidit, ſunt imò Geſta Synodi Oecumenicæ VI. VII & VIII: cui ultimæ ipſus interfuit. Vita S. Joannis Eleemoſynarii. 3. Vita S. Demetrii M. 4. Sermo Panegyricus S. Theodori Studitæ de S. Bartholomæo Studita: de quo vide Acta SS. T. I. Sept. p. 33. 5. Hiſtoria Eccleſiaſtica, quam ex Chronographia tripartita S. Nicephori Patriarchæ C P. Georgii Syncelli, & S. Theophanis concinnavit. 6. Collectanea, ſeu varias Epiſtolas

ſtolas, & relationes, quæ ad Hiſtoriam Monotheliticam ſpectant, quáſque ex Græcis Codicibus magnam partem collectas collatásque, in Joannis Diaconi gratiam latinè vertit Anaſtaſius, Sirmondus verò noſter tandem juris publici fecit A. 1620. Catalogum horum collectaneorum exhibet Labbeus T. I. de Script. Eccl. p. 66. 67. Num verò 7mò etiam Dionyſii Areopagitæ Hierarchiam latinè reddiderit atque in eam præfatus ſit Anaſtaſius, ambigitur. Affirmat Voſſius ex MS. Bibliothecæ in Anglia Cantabrigienſis Academiæ; negare videtur Labbeus ex alio Collegii noſtri Claromontani Codice, jam ante 800 circiter annos in membranis exarato, ubi tam verſio, quàm præfatio, cum quibusdam ad Carolum Calvum verſibus, Joannem Erigenam, Scotum, Auctorem loquitur. Vid. *Labb.* l. c. p. 67. qui tamen p. 64 n. V. admittit, quòd Anaſtaſius in S. Dionyſii Areopagitæ vitam præfationem præmiſerit, opera verò Areopagitæ ad Carolum Calvum transmiſerit unà cum Epiſtola & Scholiis, ab ipſomet Anaſtaſio Scriptis; nam hanc Anaſtaſii Epiſtolam, Menſe Martio Anno circiter 875 exaratam, Codici illi Claromontano, ab Erigena verſo, ad Carolum Calvum ſimiliter præmitti, Scholia verò ejusdem Anaſtaſii in margine poni, idem teſtatur Labbeus l. c. p. 67. Conſentit denique 8vò communis Eruditorum opinio, ſaltem Nicolai I Pontificis vitam ab eodem Abbate Bibliothecario ſcriptam.

An verò reliquæ pariter Pontificum vitæ, quæ ſub hujus Anaſtaſii nomine circumferuntur & Moguntiæ A. 1602 prodiêre, eundem, qui ut plurimùm fronti inſcribitur, Auctorem habeant, gravior inter Eruditos eſt diſceptatio, ſæpiùs agitata, necdum terminata. Communiùs tamen veriúsque contra Bellarminum, Marcum Velſerum, Onuphrium Panvinium, Poſſevinum, Ant. Pagium (T. 3. ad A. 867 n. 26 & ad A. 885. n. IV. V) Graveſonium, cenſent Ciampinus in Examine libri Pontificalis, Scheleſtratius T. I. Antiquit. Illuſtr. Diſſert. III à p. m. 326 ad 400, Labbeus l. c. T. I. p. 64 & 262, Lucas Holſtenius in notis MS. apud Scheleſtratium l. c. p. 376, Petrus Lambecius l. 2. Comment. Biblioth. Vindobon. c. 8. n. 277, Nat. Alex. T. VI Hiſt. Eccl. Sec. IX. Cap. III Art. XIX, Muratorius in Prolegomenis ad hasce Pontificum Vitas T. III Script. Ital. p. 274, Sandinus de Vitis Pontif. Annot. 2. ad S. Lini Pontificatum, omnes Pontificum Vitas usque ad Nicolaum I à variis omnino, & ſtylo non magis quàm tempore diverſis Auctoribus proficiſci, & vel à Synchronis omnino Scriptoribus (ùt vitæ à S. Zacharia ad Nicolaum I, de quibus vide *Scheleſtrat.* l. c. p. 397 & 398, item *Eckhart* T. 2. Comment. de rebus Franc. Orient. p. 435, 436 de Vita Benedicti III) vel certè

ex

ex inſtrumentis vetuſtiſſimis, & Anaſtaſio antiquioribus (ùt vitæ à B. Petro usque ad S. Zachariam) fuiſſe productas. Vid. *Scheleſtr.* l. c. c. 8 & 9. In eo adhuc nonnulli diſſentiunt, quot & quorumnam Pontificum Vitæ tribuendæ ſint Anaſtaſio; Nam licèt Baronius ipſe ad A. 867 n. 139 Anaſtaſium non *Scriptorem*, ſed *Collectorem* libri Pontificalis usque ad Nicolaum I appellet: ſimul tamen eò propendet, non ſolius Nicolai I ſed & hujus Succeſſorum, ſcilicet Hadriani II, Stephani VI aut veriùs V, & Joannis VIII geſta ab Anaſtaſio ſimiliter fuiſſe literis mandata, ùt videre eſt ad a. 869 n. 80. 86 & præcipuè ad a. 885 toto num. 7mo, & ex eo apud Ciampinum l. c. p. m. 54. 55. Aſt Panvinius in notis ad Platinam in vita Nicolai I, *Muratorius* apud Sandinum l. c. *Ant. Pag.* l. c. *Graveſonius* P. I. T. III Colloq. V. p. m. 189 & 190, aliſque, Vitas Pontificum, Nicolao poſteriorum, non Anaſtaſii (jam ſub annum circiter 882 defuncti) ſed Guilielmi aut Guillermi Bibliothecarii fœtum agnoſcunt. Ab utroque autem, tam Baronio quàm Panvinio, recedit Ciampinus; qui licèt contra Panvinium diverſos pontificum biographos ſtatuat, juſtô tamen plures illorum vitas, ſcilicet Gregorii IV, Sergii II, Leonis IV, Benedicti III, quiNicolaum I jam præceſſerant,eidemAnaſtaſio adjudicat contraBaronium: Hadriani verò II, & decem conſequentium Vitas nec Anaſtaſio, ùt Baronius: nec Guilielmo, ùt Panvinius: ſed Zachariæ Bibliothecario veroſimiliùs vindicat. Vide Ciampinum l. c. Sect. VII & VIII. Contrà Scheleſtratius l. c. c. 8 contra Anonymum quendam (probabiliùs contra ipſum Ciampinum, cujus Examen in Librum Pontificalem jam antea lucem aſpexerat) conatur evincere, IV Pontificum, Nicolai I prædeceſſorum, Vitas neutiquam Anaſtaſio eſſe tribuendas: Genuinus verò earundem Auctor quis ſit, non ultrà deinceps diſquirit. Illud interea ſatis evictum fecêre Scheleſtratius l. c. Cap. IX & Ciampinus l. c. Sect. XI, quòd univerſim Liber hic Pontificalis, & ea præcipuè Libri pars, quæ à S. Zachariæ Pontificatu ad finem usque pertexitur, adeò ab Acatholicis aut etiam Catholicis repudiandus non ſit, ut maximæ potiùs auctoritatis honos, & legitima fides ei plerumque poſſit ac debeat adhiberi. Plura de Anaſtaſio & Pontificum Vitis diſcutit Sollerius noſter T. IV. Julii in Comment. præv. ad vitam S. Leonis IV. §. 3. & 4. à p. 305 ad p. 309. item vide lit. C. verbô: *Catalogus.*

ANDREAS ABBAS RAVENNAT.

ANDREAS Abbas Ravennat. Vid. ſuprà AGNELLUS.

ANDREAS

ANDREAS Presbyter Ratisbonenſis, ex Monaſterio S. Magni, & Sec. XV Scriptor, Chronicon Bavariæ edidit à Chriſto nato uſque ad An. 1439: quod dein proſecutus eſt uſque ad An. 1486. Leonardus Preſbyter Diœceſ. Ratisbon. Illud poſtea ex Bibliotheca Marquardi Freheri typis Ambergenſibus datum An. 1602, & rurſus Eckharti Corpori Hiſtorico noſtra ætate inſertum. Neutiquam verò tanta eſt in rebus antiquioribus hujus Chronici fides, quanta de proximioribus aut ſui temporis geſtis; in iis enim, quæ ab ejus ætate remotiora ſunt, Auctor multa tribuit famæ & narrationibus vagis, neque debito uſus eſt Scriptorum ſelectu, credulus magis quàm ſagax & criticus: adeò ut fabulas ſubinde recantet v. g. p. 40. 41. de Othone M. per Dapiferum propè ſuffocato: de adultera Othonis III conjuge: de cruento Othonis II convivio &c. Unde à Godefrido Viterbienſi, qui narratiuncu-lis hiſce abundat, quæpiam mutuatus videtur. Similiter circa Arnulphi Imperatoris filios aberrâſſe Andream, notavit Pfeffingerus in Vitriario Illuſtrato T. I. p. 472. col. 2. ANDREAS RATISB.

ANNALES BERTINIANI: Sic dicti, quòd in Codice Monaſterii Sithiuenſis, ſive S. Bertini (hodie Saint Omer, ſive S. Audomari) ſint reperti. Res Francicas tractant ab A. 741 ad 882: & tam apud Duchesnium ſive Quercetanum T. III Script. Franc. quàm apud Muratorium inter Scriptores rerum Italicarum extant. Convenit autem inter Eruditos, ùt LABBEUM T. I. de Script. Eccl. à p. 893, PAGIUM T. 3. Crit. ad A. 877. n. 2. ECKHARTUM T. II. Comment. de Franc. Orient. p. 291. n. 48, horum Annalium conditorem fuiſſe ſynchronum. Advertit tamen Eckhartus l. c. p. 245, quòd Annaliſta Bertinianus ab A. 741 uſque ad 829 Annales Laurishemienſes deflorârit, & ad verba pene uſque exſcripſerit: ab Anno verò 830 proprio marte, penúque res geſtas conſignârit, & plura ſingularia, exactiorémque rerum ſeriem præ ceteris recenſuerit. Aſt & illud hodie compertum, quòd Bertinianum hunc Annaliſtam perſonatus Aimoinus per potiſſimam libri V. partem uſque ad An. 882. verbotenus propè expilârit, ſimúlque interpolârit. Suſpicatur Eckhartus l. c. p. 291, primam Annalium Bertinianorum partem, ſaltem uſque ad Annum 836, collectam fuiſſe ab ipſomet Hugone, Ludovici Pii Cæſaris Fratre & Archi-Cancellario ſimúlque Monaſterii Sithiuenſis ſive Bertiniani Abbate: Alteram verò uſque ad An. circiter 861 à Prudentio Tricaſſino Epiſcopo compoſitam, qui eodem anno fatis conceſſit, & juxta Hincmari Præſulis literas, ad Egilonem datas, Annales de geſtis Regum Francorum reliquit: quorum verba ad A. 859 penitus cum Bertinianis conſonant (Vid. ECKHART l. c. p. 485 ANNALES BERTINIANI.

486.) Ab Anno denique 861 uſque ad finem, Annales illos vel ipſius Hincmari, vel certè in Hincmari familia viventis opus fuiſſe, idem Eckhartus conjectat l. c. p. 486. n. 79. & p. 605. n. 221. p. 666. n. 304. Horum quidem Annalium fidem atque ſinceritatem, è quibus ſcilicet vel ſolis fabula de Joanna Papiſſa abunde proſternitur, in dubium vocare auſus eſt *Samuel Mareſius* (in *Papiſſa reſtituta*, & Animadverſionibus Chronologicis in eandem Papiſſam. Vid. Labb. T. 1. Script. Eccl. p. 711. & Eckhart. T. 2. p. 437.) Samuel, inquam, Mareſius, Gröninganus Profeſſor ac Præco, Catholicorum hoſtis juratus & maledicentiſſimus, ſuppetias eidem ferente Friderico Spanhemio, Theologiæ Profeſſore Lugduni Batavorum, homine faſtuoſo magis, quàm candido ac erudito, ùt notat Eckhartus. Nam quia Annales hi Bertiniani per noſtrum Heribertum Roſweydum fuiſſent tranſcripti, & poſtea per Joannem Bollandum Du-Cheſnio pariter in Galliis communicati, jam illos à noſtris Patribus caſtratos & interpolatos fuiſſe, ideóque ſuſpectæ mercis habendos, haud ſecus ac Anaſtaſium (quem jam antè Buſæus noſter Moguntiæ ediderat) nugivendulus Spanhemius crepat: & adulterandorum librorum proterviam, quam Acatholicis & Schiſmaticis uſitatiſſimam omnia retro ſecula nôrunt, noſtri etiam Ordinis hominibus mendaciſſimus certè criminator affingere audet. Verùm ùt teſtatur Eckhartus l. c. p. 437. 438. n. 120, Vetuſtiſſimus etiamnum in Monaſterio S. Bertini horum Annalium Codex ſervatur, & ab iis, qui de fideli illius per Roſweydum deſcriptione dubitant, quotidie conſuli poteſt, ſimúlque deprehendi, quàm protervè ac mendaciter fraudis & impoſturæ calumniam ſive Roſweydo ſive Bollando Veteratores heterodoxi ac præcipuè Spanhemius blaterator impingant; quandoquidem Annalibus Bertinianis Adonem pariter Viennenſem, ejusdem cum Bertiniano Annaliſta temporis ſcriptorem, in Chronico ſuo penitus congruere & conſentanea loqui jam demonſtravit, ſimúlque ipſius Adonis fidem hoc eodem ex argumento vindicavit Eckhartus l. c. p. 438. Sed nempe idem ipſe ſupercilioſus Papiſſæ inſtaurator & adorator Spanhemius (prout advertit Sollerius noſter T. IV. Julii in Comm. præv. ad vitam S. Leonis IV. p. 307. n. 28.) illud ſibi principium maledicum ſumpſit, & publico in centone ſuo vulgavit, *Jeſuitas in Romanæ Eccleſiæ gratiam & ad Majorem DEI gloriam etiam religionis voto ad mentiendum obſtringi.* Aſt infrunitum hoc ſcomma rectiùs hìc contemnitur, quàm refutatur.

Samuel verò Mareſius, Gröninganus ille, (ùt à Labbeo vocatur l. c. T. 1. p. 847) *Onochronus & Anticyras melior ſorbere meracas*, illud procaciter de Annalibus his Bertinianis *Andabatarum more*, atque *ùt cæ-*

cus

cus *de colore* pronunciare eſt auſus: *Opus eſt Monachale, uti videtur, mihi hactenus non viſum, & de quo neſcio, an publicè extet. En!* exclamat Labbeus (l. c. T. I. p. 711) *cor Zenodoti! En jecur Cratetis!* de incognitis pronunciat holophanta, & monaſticos criminatur labores, quaſi ſtolidè neſciat, Monachorum & Eccleſiaſticorum potiſſimùm induſtriæ deberi, quidquid notitiæ de antiquioribus utriusque Franciæ rebus, ſacris juxta atque profanis, in literas miſſum, & noſtro denique ævo è tenebris in lucem protractum. Ceterùm finiuntur Annales hi Bertiniani (ùt idem Labbeus monet l. c. T. 2. p. 864) in illis verbis: *quò venerant., redierunt.* Quidquid igitur Pſeudo-Aimoinus l. V. cap. 41 & deinceps attexere pergit, ex aliis Auctoribus hauſit. Denique licet maxima ſit Annalium iſtorum auctoritas, peremptoria tamen ubique non eſt, præcipuè in calculo Chronico ſeu temporum notis, ùt oſtendit Sollerius l. c. n. 17. p. 305. Gravius vero ſphalma in iisdem obſervavit Eckhartus T. 2. p. 553. n. 157, dum de VIII Synodo Oecumenica irreverentiùs loquuntur, errore ſcilicet inde profecto, quòd Octavam illam cum Pſeudo-Synodo Photiana, quæ in Octavæ locum à Photianis ſuppoſita fuit, malè confuderint, proindéque prioris Epocham ad triennium diſtulerint.

ANNALES FULDENSES ab anno 714 ad a. 900, ſub finem Seculi IX fuêre conſcripti, ùt patet ex iis, quæ ad A. 875 referuntur; id quod pariter advertit Natalis Alex. T. VI Hiſt. Eccl. Sec. IX Cap. III Art. XXIX, & facilè admittunt tum Henſchenius T. I. Febr. p. 311. n. 7. ſub finem, ceteríque Scriptores RR. Edidit eos primò Pithœus inter XII Scriptores coætaneos: dein Du-Cheſnius T. 2. Script. Franc. Aſt Codex, quo uſus eſt Pithœus, non ultra Annum 882 porrigitur. Continuârunt verò illos duo alii Scriptores contemporanei: unus quidem usque ad A. 887: alter ab anno 882 ad 900. Prior dicitur Fuldenſium continuator Lambecianus, quia à Lambecio l. 2. Bibliothec. Vindobon. ex MS. Cæſareo publicatus; poſterior Freherianus, quia T. I. Script. rerum Germ. à p. 1. ad 55 per Marquardum Freherum cum integris Annalibus reliquis fuit excuſus. Atque hæc utraque dictorum Annalium Editio, tam Lambeciana quàm Freheriana, non modò auctiùs ſed & correctiùs res geſtas enarrant, quàm Pithœana, prout de Lambeciana affirmat Ant. Pag. T. 3. ad A. 875. n. 1. de ſua verò ſive Freheriana ipſe Freherus in Catalogo Auctorum, quem proximâ, poſt Dedicationem Operis, paginâ mox ſubjungit. Ipſam verò Annalium Continuationem utramque ſimilitet inter ſe ambas differre, ex utriusque collatione facillimè liquet; nam ad A. 884 & ANNALES FULDENSES.

885 Lambecianus Continuator res potiſſimùm Normannicas, contrà Freherianus res maximè Germanicas & Pannonicas refert, & vix obiter Normannicas tangit. Porro licèt Pithœus nullum Annalibus hisce Auctoris aut loci nomen impoſuerit, Fuldenſes tamen hodie, ex Freheri maximè inſcriptione, dicuntur, eoquòd rerum Fuldenſium & Moguntinarum præ aliis exactior adnotatio eosdem in illo Cœnobio ſcriptos continuatósque Freherum fecerit ſuſpicari. Nihilominus etſi ſola eorundem continuatio ab alio forſitan alicubi Scriptore ſuſcepta fuerit, Fuldenſes tamen & ipſi communi nomine dicuntur, denominatione nimirum à potiſſima Annalium parte Auctoréque deſumpta. Quantum verò veritati ſtuduerit Annaliſta Fuldenſis, ex iis colligitur, quæ ſub finem Anni 875 cautè ſubjecit, ita inquiens: *Qualiter Regnum iſtud* (Galliæ) *poſtea cum ſuis diſpoſuerit* (Carolus Calvus) *qualitérve cum theſauris, quos tulerat* (ex Italia) *in Regnum ſuum rediérit, quantásque cædes & incendia in itinere exercuerit, quia certum non habui latorem, ſcribere nolui. Melius eſt enim tacere, quàm falſa loqui.* Carolo tamen Calvo minùs propenſum, proindéque Scriptorem Germanum ſeſe hic Annaliſta probavit, dum aliquoties illum *Galliæ tyrannum* compellavit, non utique compellaturus, ſi Gallicæ ditionis fuiſſet: prout arguit Natalis Alex. l. c. Sed nempe Caroli in Germaniam & Lotharingiam facta id auſterioris calami genus à Scriptore Germano forſitan extorsêre; neque propterea hujus Scriptoris de Carolo narrationes mox in falſi ſuſpicionem poſſunt vocari à Natali Alexandro, quandoquidem etiam alii Scriptores coætanei plerumque conſentiunt: niſi etiam Scriptores Gallicanos de Studio partium arguere velis, qui heteroclita ſui Principis dicta factáque conſultò diſſimulâſſe videntur.

Quòd autem Annalium Fuldenſium Continuatores, Lambecianus & Freherianus, rebus à ſe enarratis contemporanei fuerint, ſatìs docet utriusque narratio ad A. 882 de Normannicis Caroli geſtis: idémque agnovit Eckhartus l. c. T. 2. p. 664. Imò neutiquam hìc ſiſtit, ſed pro ſolita eruditione ſua ampliùs progreditur Eckhartus, & in ipſa Continuatorum nomina inquirit. Unde cùm Annales Francicos à Notariis ſive Cancellariis Regum fuiſſe conſcriptos veluti regulam quandam univerſalem aſſumat, Annales Freherianos ab Anno 888 ad 891, ab Aſperto Arnulfi Regis Cancellario, ab Anno verò 895 ad 899 à Wichingo ejusdem Arnulfi Cancellario continuatos exiſtimat. Verùm conjectura hæc eſt, quæ ùtùt aſpernanda non ſit, talis tamen haud eſt, ut illi diutiùs lubeat immorari; nam neque Scriptores antiqui ea de re quidquam commemorant, & nec ipſi Annalium

lium conditores promiſcui ſua uspiam nomina prodere conſuevêre. Sufficit, ſi Auctores ſint Synchroni, & vel oculati vel auriti in plurimis teſtes, qui in rebus penitius cognoſcendis operam non ſegnem poſuêre: qualis haud dubiè fuit ipſe Annaliſta Fuldenſis, utpote qui præter ea, quorum ſuprà ad A. 875 meminimus, ad Annum pariter 857 ſcripſit: *Feruntur & alia prodigia his temporibus Treviri contigiſſe, quæ ideo ſcribere diſtuli, quia de iis certum nuntium non habui.* De utroque Continuatore Vid. etiam *Pagium* ad An. 882. n. 8. & n. 10. 11 ubi errores Chronici, in librarios tamen rejiciendi.

ANNALES HILDESHEMIENSES, quorum ſæpiùs meminêre *Pagius* in ſua Critica, *Eckhartus* in Comment. de rebus Franc. Orient. & Antverpienſia Acta SS: editi ſunt tum à Du-Cheſnio T. 3. Script Franc. tum à Leibnitio T. 1. Scriptorum Brunsvicenſium, & ab A. 714 usque ad A. 1138 temporum geſta recenſent. Sive autem *Annales* ſive *Chronicon* Opus hoc appellaveris, perinde ſe habet; nam utroque nomine à variis compellatur, & modò *Chronographus*, modò *Annaliſta*, Operis Auctor vocatur. Magno illud in pretio eſt apud Eruditos, & *inſignis* Chronici nomine nuncupare, illóque frequentiùs uti non dubitavit Papebrochius, ùt videre eſt Tomo ultimo Maji in Paralipomenis p. 83 & 84. num. 2. 3. 4. 5. Præ oculis verò habuit hic Annaliſta alium pariter Annaliſtam, ſcilicet Lambecianum, T. 2. Bibliothecæ Cæſareæ editum: cum hoc enim ſuos pariter Annales auſpicatur ab A. 714, & usque ad A. 817 modò integrum exſcribit, modò mutilat, & quandoque ampliſicat Hildeshemienſis, prout obſervavit Pagius T. 3. Crit. ad A. 817. n. 3. Quòd ſi Lambecius (ibidem pergit Pagius) ad id animum advertiſſet, ex Annaliſta Cæſareo Hildeshemienſem tantùm ſupplêſſet ac emendâſſet. Is poſtea (Hildeshemienſis) vel alius quispiam eosdem Annales Cæſareos ab A. 818 usque ad Annum 995 continuavit: (ùt jam notavit Du-Cheſnius T. 3. ad Chronicon Hildesh.) dein alius Anonymus usque ad Annum circiter 1040, denique tertius usque ad Annum 1137. Trium itaque Auctorum ſeu veriùs Continuatorum Opus hoc eſt, quorum quilibet plerisque rebus à ſe narratis contemporaneus fuit. Vid. *Pag.* l. c. & T. IV. ad A. 996. n. 1. ad A. 1132. n. 4. ad A. 1138 n. 6 & 7. ac præcipuè " ad A. 1040 n. 1. ubi hæc habet: illud Chronicon (ſive " Annales Hildeshemienſes) à diverſis Scriptoribus eſt continua- " tum: & qui hæc ſcripſit (ſcilicet de A. 1033) ab Anno 995 ad A. " circiter 1040 continuationem ſuam perduxit. Certè quæ is Auctor " per hæc tempora in literas mittit, ea ſe vivente peracta non ob- " ſcurè

ANNALES HILDESHEMIENSES.

" ſcurè ſubinde inſinuat, fuſiórque eſt in rebus, ſingulis annis nar-
" randis, quàm qui poſtea idem Opus usque ad Annum 1137 per-
" duxit. " Poſtremus continuator & totius Operis collector ſervatórque exiſtimatur Eckhardus Abbas Uragienſis; qua de re conſule ſis Leibnitium in Præfatione ad Scriptores Brunsvicenſes.

Denique eſt & aliud Chronicon MS. Hildeshemienſe, cujus a Schatenio noſtro quondam communicati meminit Cuperus T. V. Julii in Comment. præv. ad vitam S. Bernhardi Ep. Hildesh. p. 102. 103. n. 8 & 14. Sed recentiùs illud eſt exaratum, neque figmentis immune.

ANNALES LAMBECIANI primò dicuntur illi, quos Lambecius T. II Biblioth. Cæſareæ Vindobon. publica luce donavit: quique narrationem ſuam ordiuntur ab A. 714, finiunt autem in A. 817. Eorum mentio occurrit apud Pagium T. 3. Crit. ad A. 768. n. 4. A. 774. n. 18. A. 786 n. 11. A. 812. n. 15. A. 813. n. 16. A. 817. n. 3. Eckhartum T. 2. Comment. p. 71. n. 25. ad A 812. p. 83. n. 38. ad A. 813. Secundò: Alii ſunt Lambeciani, quos idem Lambecius l. mox. cit. C. V. primus produxit, & ex charactere, qui aliis ejusdem ævi Codicibus M SS ad unguem congruit, ipſius Caroli M. tempore ſcriptos eſſe concluſit. Prout tamen nunc apud Lambecium extant, non plurium quàm decem Annorum geſta complectuntur, ab Anno videlicet 794 ad An. 803. Vidit hos Chronographus Moiſſiacenſis, cùm integri in ejus Opere extent: niſi quòd aliquando eosdem interpolârit. Quare cùm in utrisque exarandis librarii quandoque peccârint, ambo ex ſe invicem poterunt emendari Vid. PAG. T. 3. Crit. ad A. 794. n. 8. A. 799 n. 1. A. 803. n. 1. Prima Codicis Lambeciani verba ad A 794. præ vetuſtate legibilia non fuiſſe ait Lambecius; qui nimirum non adverterat, eosdem Annales reperiri in Annaliſta Moiſſiacenſi: ex quo proinde ea, quæ in Lambeciano Codice deſiderantur, ſupplevit Pagius ad e. a. n. 8. Rectè autem Pagius cum Lambecio animadvertit ad A. 799. n. 1. Annaliſtam hunc Lambecianum rebus omnibus fuiſſe coævum; nam poſtquam hic Scriptor ad eundem Annum præmiſerat, quòd Legati Caroli Regis ſacrilegos Leonis III proditores ac parricidas ad ipſummet Carolum transmiſerint, mox ſubdit: *Sunt modò, ùt digni ſunt, in exilio.* Eckhartus, qui T. I. p. 795 n. 14. ex his ipſis verbis æqualem Auctoris ætatem ſimiliter eruit, Tomo dein II. pag. 19. n. 4. ulteriùs ait: *rerum in Palatio regio geſtarum Auctor eorum* (Annalium) *accuratam præ ceteris notitiam habuit, & nemo eo exactiùs retulit acta in Saxonia. Chronici Moiſſiacenſis Auctor hos Annales exſcripſit.*

ſcripſit. Nec immeritò ſuſpicatur Eckhartus l. c., quòd Annaliſta hic Lambecianus altiùs quàm ab Anno primùm 794 narrationem ſuam re-ipſa ſit orſus: colligi enim id poſſe videtur ex Chronico Moiſſiacenſi, cujus Auctor hos Annales exſcripſit, & tamen jam ab Anno 777. uſque ad A. 803. ſtylo conſimili res enarrat, & Saxonica præcipuè diligenter exequitur. Num verò Anales hos Lambecianos conſcripſerit Egilwardus vel Egilbertus Canonicus Wirceburgenſis, eosdémque usque ad obitum Caroli M. proſecutus ſit Hathumarus, poſtea Paderbornenſis Epiſcopus: res planè eſt incertiſſima, neque ulli ſolido fundamento innixa; etſi divinare id velit Eckhartus l. c. p. 19. n. 4.

ANNALES LAURISHEMIENSES. Vid. DIATRIB. PRÆLIMIN. à pag. 1. ſeq.

ANNALES LOISELIANI, quibus geſta Pippini & Caroli M. ab A. 741 ad 813 continentur, inde ſuum nomen accepêre, quòd ex M. S. Loiſeliano, ſive Antonii Loiſelii, ſummæ Curiæ Pariſinæ Cauſidici, ſint eruti, poſtmodum à Ducheſnio T. 2. Script. Franc. editi. Eorum tamen fragmentum ab A. 741 ad An. 793. jam antea An. 1603 ex Bibliotheca Bavarica in lucem emiſerat Ingolſtadii Henricus Caniſius T. III Antiq. Lect. à p. 187: illúdque ex membranis pervetuſtis Monaſterii Lauriſſæ propè Wormatiam fuiſſe tranſcriptum teſtatur is ipſe, qui " tranſcripſerat. Horum porro Annalium quis Auctor ſit, inquit " Caniſius, nec ego, nec Regino, qui illis uſus eſt, ſcimus. Cujus " tamen notæ ſit iſtud fragmentum, placet apponere judicium " ex literis nobiliſſimi Marci Velſeri: *Eſt pars libelli, cujus Regino Anno* 814 *meminit, pars, inquam,* 52 *Annorum hiſtoriam continens ab Anno* 741 *ad* 793. *Viginti duo poſteriores deſiderantur* (ſaltem in hoc fragmento; nam poſtea primùm ex MS. Loiſeliano fuêre detecti, atque à Du-Cheſnio pleniùs excuſi) *Lucem mereri ipſi judicabitis, gnari, quantum referat in omni re, ſed præcipuè in Hiſtoria fontes ſectari. Unum quidem erit palmarium, Chronologiam ex hoc Opuſculo in Reginone ab Anno* 750 *ad* 760 *reſtituere, quæ confuſa & corrupta erat, hiatu anni* 751 *&* 752 *non animadverſo, cui incommodo ut mederentur, & ut ad Lineam redirent, Annum viciſſim* 754 *&* 759 *viciſſim in Reginone ſuppreſſerunt. Sed hæc quidem collatio oſtendet, tum quomodo pleraque exſcriptoris vitia in nominibus præſertim Propriis corrigenda ſint. Hiſtoriam Taſſilonis hic diſtinctiùs quàm ferè ullibi reperi. Meminit horum Annalium Pithœus etiam in inſcriptione Vitæ Caroli M, quam inter Scriptores Francicos dedit; illos tamen apparet Eum non vidiſſe.* Hæc Velſerus. " Sin autem, pergit Caniſius, Regino-" nis verba, quibus hoc Chronicon laudat, velis; ecce illa ſub An-

ANNALES LOISELIANI.

num

" num 814: *Hæc, quæ suprà expressa sunt, in quodam libello reperi; plebejo & rusticano sermone composita, quæ ex parte ad latinam regulam correxi, quædam etiam addidi, quæ ex narratione Seniorum audivi.* " Ex quibus " verbis Reginonis vides, quæ nobis necessitas sit imposita, ut si " fide agere velimus, diligenter caveamus, necesse est, ne plebejus " ille & rusticanus hujus libelli sermo negligatur; quod fiet, si " quantumvis barbara, ex fide exprimantur. " Ita Canisius.

Rectè autem animadvertit Eckhartus T. 2. Comment. p. 10. n. 9. p. 76. n. 30. p. 82. n. 37; Tanti jam olim habitum fuisse hunc Annalium Auctorem, ut eum plerique Annalistæ sint secuti, imò verbotenus exscripserint, ùt Laurishemienses, Bertiniani, Metenses, Fuldenses, Monachus Egolismensis in vita Caroli, Regino in Chronico &c. De Chronographo seu Annalista Moissiacensi idem notavit Pagius T. 3. ad A. 792. n. 6. A. 793. n. 9. nisi quòd in Codice Canisiano ad A. 793 textus corruptior sit atque mendosior quàm in Chronographo Moissiacensi, qui exemplar magìs integrum vidit. Censet Eckhartus locis mox allegatis, Annalium istorum, summa fide dignorum, saltem ab Anno 799 ad A. 813 Auctorem seu Continuatorem fuisse Ercanbaldum, Caroli M. Notarium & postea Archi-Cancellarium; neque vanas eam in rem conjecturas adducit, præcipuè quòd nemo meliùs tam exactam, quæ in his Annalibus legitur, rerum notitiam habere potuerit, quàm Ercanbaldus, qui continuò ad latus Cæsaris hæsit & ab Anno ferme 790 usque ad A. 813 partim Notarii sive Cancellarii, partim Archi-Cancellarii munus obiêrat, & eodem adhuc Anno 813, vel subsequente, è vita migrâsse videtur. In eo tamen erravit Eckhartus T. I. p. 742. n. 42. p. 744. n. 46. p. 748. n. 52. p. 749. n. 54. quòd Annales Loiselianos à Canisianis, quorum antè meminimus, sit distinguere visus, & hos quidem *Plebejos Canisianos* vel simpliciter *Canisianos*, illos autem in eodem sermonis contextu *Loiselianos* separatim appellet. Nam manifestum est, quòd unus & idem utrinque sit Auctor, prout jam agnoverunt Hagiographi nostri ad diem 17 Febr. pag. 33. n. 3. *Pagius* T. 3. ad A. 791. n. 4. Conferantur v. g. Anni 775 & 784 in Annalibus Loiselianis (apud Pagium ad [illegible] num. IV) & Canisianis: tam in his quàm in illis textus admodum prolixi ad literam usque congruunt, si paucula verba excipias, quæ quòd minus fortè legibilia essent, ex Laurissensi, sive Laurishemiensi Archetypo perperam Canisianus transcriptor exscripsit, Duchesnius vero emendatiùs correctiúsque vulgavit. Præterea tam Loiseliani quàm Canisiani, ab Eckharto sic dicti, ad A. 751 & [illegible], utrinque sibi respondent; nam in his & illis hiatus integri hu-

jus

jus biennii extat: ad annum verò 749 legatio Francorum ad Zachariam Pontificem, ad a. 750 unctio & coronatio Regis Pippini in utrisque refertur: ùtùt malè; nam primum probabiliùs ad annum 751, alterum ad a. 752 fuerat alligandum, prout Pagius oſtendit ad a. 751. n. 3. & ad a. 752. n. 1. Unde non levis mihi conjectura ſuboritur, totum hunc Errorem, uti & præpoſterum biennii hiatum non niſi à vitio deſcriptoris profectum, & hiatum quidem ad annos 749 & 50 re ipſa pertinere, annos verò 751 & 752 ita eſſe ſuo loco reſtituendos, ut annus prior ſeu LI legatione Francorum, alter ſeu LII unctione Pippini Regis expleatur; nam quod in his Annalibus ad annum 753 mox ſubjungitur (ſcilicet Pippini expeditio in Saxoniam, & iter Stephani Pontificis in Galliam) id primo poſt Pippini electionem anno contigiſſe, ex aliis Scriptoribus redditur certum, ac præcipuè ex II Appendice Continuatoris Fredegarii. Vid. PAG. ad an. 753. n. 8. Quod cùm ignorare vix potuerit Annaliſta Loiſelianus, Scriptor Synchronus & aliàs exactiſſimus, idcirco hic Annalium nævus, & erroneus ordo ſolius poſterioris librarii & graphionis imperitiæ erit tribuendus. Simili profectò reſponſione etiam uſus eſt Eckhartus T. 2. p. 50. n. 45. circa Annales Tilianos, in quibus quòd quæpiam geſta uno tardiùs anno contra ceterorum Annalium teſtimonium recenſeantur, id deſcriptoris incuriâ factum monet Eckhartus, cùm Tilianorum Annalium Auctor aliàs ſit in rebus enarrandis exactus.

Denique notat Pagius ad a. 791. n. 4. quòd in Annaliſta Loiſeliano, qualis à Du-Cheſnio editus eſt, ad a. 791 prætermiſſa ſit Mors Angilrami & Symperti Epp. quæ tamen exprimitur in Codice Caniſiano. Unde conjicit Pagius *primò*, quòd locò *Suidberti* librarius Caniſianus malè ſubſtituerit *Sympertus*. Secundò. quòd Codici Caniſiano hoc aſſumentum, quia apud Du-Cheſnium non legitur, alius interpolator adjecerit. Aſt primum refutat Eckhartus T. I. p. 744. n. 46. 47. Alterius verò aſſerti Pagius ipſe rationem non affert. Sed neque ſolida poteſt afferri; nam quàm facile fuit, ut Codici Caniſiano illud adderet recentior manus, tam pronum ſimiliter fuit, ut Loiſeliani apographi ſive Scriptor ſive Exſcriptor quacunque demum ex cauſa vel dubitatione illud omitteret, fortè quòd cum reliquis *ejus anni* geſtis atque contextu minùs cohærens, & inſuper non niſi ad anni calcem adjectum, ideóque aut ſuſpectum aut minùs neceſſarium illi ſit viſum.

ANNALES MASCIACENSES ab anno 708 uſque ad a. 796, quos Labbeus noſter ex Codice S. Martini Maſciacenſis deſumpſit, & in Tomo ANNALES MASCIACENS.

II Bibliothecæ ſuæ M. S. produxit, eadem (ùt Pagius inquit T. 3. ad a. 742. n. 22. 23.) de verbo ad verbum exhibent, quæ Annales Petaviani, niſi quòd in quibusdam annis aliqua quandoque deſiderentur, quæ in Petavianis extant: & vice verſa; indéque certò colligitur, utroſque ex uno eodémque exemplari primitus deſcriptos, & lapſu tèmporis utroſque interpolatos fuiſſe. Quare quæ in utrisque non habentur, aſſuta eſſe oportet, ideóque nihili facienda, niſi aliunde comprobentur. Cúmque hæc verba ad a. 747: *ipſo Anno fuit natus Carolus*: deſint in Annalibus Maſciacenſibus, manifeſtum eſt, ea in Annalibus Petavianis addititia eſſe, & veterrimum Annaliſtam huic novæ opinioni minimè favere. Simile additamentum occurrit in Petavianis ad a. 768. Vid. PAG. ad c. a. n. IV. in Maſciacenſibus verò ad 796, ubi adjecta ſunt quæpiam, quæ primùm ad a. 804 pertinent; cùm tamen hi Annales re ipſa in anno 796 deſinant. Vid. PAG. ad a. 804. n. X.

ANNALES METENSES

ANNALES METENSES ab a. 687 ad a. 904 (qui habentur apud DuCheſnium T. III. Script. Franc.) ii vocantur, qui in Metenſi Cœnobio S. Arnulphi conſcripti putantur, quia ibidem inventi. De his ita Eckhartus T. 2. p. 433. n. 99. "Annales Metenſes ex variis aliis Annalibus compilati ſunt: & cùm ab anno 830 uſque ad a. 837 eadem planè cum Annalibus Bertinianis habeant, deinde verò ab homine conſcripti ſint, qui in Ludovici Germaniæ Regis ditione vixit, & in anno 852 breves admodum deſinant: quæ poſtea verò ſequuntur, in Reginonis Chronico uſque ad a. 901 habeantur; hinc concludo, Auctorem, qui geſta ab anno 838 uſque in annum 852 congeſſit, fuiſſe Ratleicum (*Eginhardi quondam notarium, ejusdémque in Seligenſtadienſi Abbatia ſucceſſorem, anno circiter* 852 *demortuum*) Ludovici Regis Archi-Cancellarium, qui more Anteceſſorum ſuorum hujus Regis facta annotavit. Num verò Regino Annaliſtam Metenſem, an hic Reginonem exſcripſerit, dubitatur. Gundlingius in Hiſt. Imp. p. 241. & 265 cenſet, quòd Reginonem excerpſerit Annaliſta; aſt Pagius T. 3. Crit. ad a. 887. n. 8. a. 890. n. 1. a. 892. n. 8. a. 894 n. 17. fidenter ſupponit, quòd Regino ſua ex Metenſibus Annalibus derivârit. Idem tamen Pagius (fortè memoriæ lapſu) ſibimet ipſi contraria ſcripſit; nam paulò antè v. g. ad a. 863. n. 4. a. 882. n. 11. diſertiſſimè inquit, quòd ex Reginone Annales ſuos effinxerit Scriptor Metenſis. Quid hac in re verius ſit exiſtimandum, alibi prolixior ſermo redibit, ubi de Chronico Reginonis agemus. Illud interim ſibi ſcriptor uterque habet commune, quòd parachroniſmis non raro laborent, niſi fortè librariorum oſcitantiæ incuriæque ea menda rectiùs tribue-

re

re malis, prout pluribus in locis illa tribuit Pagius; vix enim de rebus ſynchronis in hujusmodi ſcriptores tanta frequentioris ſocordiæ nota cadere poſſe videtur. Sed de his plura, cùm ad Chronicon Regionis nos ordo vocabit.

ANNALES MOISSIACENSES, à Codice M. S. ſic dicti, ab initio Regni Francorum uſque ad a. 819 exturrunt, atque à Du-Cheſnio T. III. Script. Franc. ſunt editi. Teſtatur verò Pagius T. III ad an. 721 n. 4. quòd varii ſint horum Annalium Codices apographi, & in his quidam mendoſiſſimi, qualem etiam in ſua Editione Du-Cheſnius habuit. Melior & emendatior fuit, quem Baluzius vidit. Hi porro Annales ex variis aliis fuêre conflati v. g. ex Loiſelianis, ùt videre eſt ad a. 792. 793. ex Lambecianis ad a. 794. 799. 800. 802. 803 ex Appendice ad Chronicon Nibelungi ad a. 780. Vid. PAG. ad a. 792. n. 6. 7. an. 793. n. 9. a. 794. n. 8. a. 799. n. 1. a. 802. n. 13. a. 803. n. 3. a. 800. n. 9. & num. primo, ubi tamen exiſtimat Pagius, Chronographum Moiſſiacenſem fuiſſe ab aliquo interpolatum, quandoquidem aliqua verba in Moiſſiacenſibus inſerta leguntur, quæ in Lambecianis non extant. Item Vid. *Eckhart* T. I. p. 676 ad a. 780. n. 190. T. II. p. 19. n. 4. ubi obſervat, quòd Annaliſtam Lambecianum, qui decem annos complectitur, ab anno ſcilicet 794 ad a. 803 penitus defloràrit. Poſteriores verò ſui Chronici annos ipſe Continuator Anonymus, utpote contemporaneus, addidiſſe videtur, ùt colligi poteſt ex anno 805 de devictis Bohemis: ex anno 806 de domitis Sorabis: ex anno 813 de Comitiis Aquisgranenſibus & Ludovici Pii coronatione, ubi præ ceteris Annaliſtis ipſe multò fuſiùs atque diſtinctiùs loquitur. Vid. *Eckhart.* T. 2. p. 38. n. 29. p. 46. n. 36. p. 82. 83. n. 38. Demum *Annales* iſti etiam *Chronici* nomine promiſcuè appellantur, & modò ſub *Chronographi*, modò ſub *Annaliſtæ* vocabulo eorum Auctor allegatur. Vid. PAG. ad a. 792. n. 6. & a. 793. n. 9. ubi ab eodem Pagio nunc *Auctor Chronici* Moiſſiacenſis ſive Chronographus, nunc *Annaliſta* Moiſſiacenſis unus idémque Scriptor vocatur. Quis verò horum Annalium partim compilator, partim Continuator & Auctor extiterit, ſimiliter auguratur Eckhartus T. II. p. 19. n. 4. Cetera, quæ de Moiſſiacenſibus Annalibus hìc poſſunt adjungi, jam ſuprà attigimus, ubi de Annalibus Lambecianis eſt mentio facta. ANNALES MOISSIACENSES.

ANNALES NAZARIANI, qui primitus ab anno 707 usque ad a. 790 fuêre perducti (at Franciſco Pagio Teſte T. I. Breviarii Rom. Pont. in prævio Auctorum & Annaliſtarum Catalogo, usque ad a. 1138 deinceps ANNALES NAZARIANI.

ceps continuati) primùm à Frehero in Corp. Hiſt. Franc. ſinceræ & Veteris p. m. 86, dein à Du-Cheſnio T. II Script. Franc. ſunt prelo publico dati. Nazarianorum verò nomen ex eo duntaxat obtinuêre, quòd Freherus eosdem in Monaſterio S. Nazarii ſive Laurishemienſi ad Rhenum invenerit, atque inde è tenebris in lucem protraxerit. Vocantur ii pro merito ſuo à Pagio T. III ad a. 712. n. 10. Annales *veterrimi*; ſed in ipſomet S. Nazarii monaſterio, ſive Laurishemii eosdem Scriptos non eſſe (prout tamen Buderus in Bibliotheca Scriptorum, Struviano Corpori Hiſtoriæ Germanicæ præfixa, eſt arbitratus) verè omnino cenſuit Eckhartus T. I. p. 579 n. 69. nam 1mò nec Translationem S. Nazarii Laurishemium factam a. 766 (cujus tamen alii Annaliſtæ meminêre) nec 2dò ejusdem Laurishemienſis Monaſterii fundationem (quæ plenius circa annum 762 contigit) Annales hi vel verbulô attigêre; unde multò rectiùs ſtatuit Eckhartus l. c. quòd Annales *Murbacenſes* fuiſſent compellandi, utpote à Monacho Murbacenſi veroſimiliùs ſcripti, tum quia trium Abbatum Murbacenſium quà Ordinatio, quà obitus diſtinctè recenſetur, tum quia Fundatoris pariter ſui, Ebehardi Alſatiæ Comitis, mortem ad a. 747 iidem luculenter commemorant. Murbaco Laureshemium poſtea deportatum eſt Annalium iſtorum ſive autographum, ſive apographum: indéque erronea Nazariani nominis occáſio recentiùs nata. Ait præterea de ſe Eckhartus l. c. p. 740. n. 39. quòd Struvio, novam Freheri Scriptorum Editionem molienti, communicaverit Annalium iſtorum collationem, cum Codice MS. Guelferbytano inſtitutam, non parùm ab impreſſo exemplari variantem, quô ille eſt uſus. Veterrimos autem atque ab Auctore Synchrono exaratos Annales hos eſſe, ea ſatis oſtendunt, quæ tum ad A. 786. de Thuringorum conſpiratione adverſus Carolum M. tum ad a. 787 & 88 de Taſſilone Bajoariæ Duce uberiùs quàm alibi referuntur.

ANNALES PETAVIANI. ANNALES PETAVIANI (quos vide ſis apud Du-Cheſnium T. II. Script. Franc. qui eos ex Pauli Petavii Codice exſcripſit) auſpicantur ab anno 708 & finiunt in anno 799. *Vetuſtiſſimi* illi vocantur tum à Pagio ad a. 712. n. 10. & ad a. 742. n. 22. tum ab Eckharto T. I. p. 676. n. 190. qui exeuntis Octavi Seculi Auctorem, rebúsque contemporaneum fuiſſe concludit. Idem tamen Pagius ad a. 742. n. 22. & 23. jam obſervavit, quòd ùtùt ſint vetuſtiſſimi, interpolatoris tamen manum haud penitus effugerint: prout ſuprà de Annalibus Maſciacenſibus jam à nobis eſt indicatum. Alius poſtmodum hunc Annaliſtam usque ad a. 1015 continuavit, ùt videre eſt in Syllabo

labo Auctorum, quem Tomo I Breviar. Geſt. Rom. Pontif. Franciſcus Pagius præmiſit. Utrum verò hic ipſe, qui continuavit, etiam priora (cùm eadem fortè recens uno eodémque charactere deſcriberet) ſubinde interpolârit, non habeo, quod tutò aſſeram.

ANNALES PITHOEANI. Vid. ſuprà FULDENSES. ANNALES PITHOEA.

ANNALES RATISBONENSES, quorum Pagius meminit ad a. 785. n. XI & ad a. 798. n. 5. primus protulit Mabillonius T. IV Analectorum. Eckhartus T. I. p. 784. n. 102. eos potiùs vocat *Salisburgenſes*: contrà *Ratisbonenſium* nomine illos indigitat Tom. II. p. 146. 147. n. 139; quos ipſe ex vetuſtiſſimo Seculi IX Codice, circa annum 816 conſcripto, eruit, & ad calcem Tomi ſui I. p. 805. & 806 §. 3. ſubjunxit. Quæſtio eſt de nomine, de qua multùm non diſputem; in Bavaria certè Annales utrosque fuiſſe compoſitos, ipſa Boicarum potiſſimùm rerum commemoratio prodit: imò & illos, quos Eckhartus T. I. p. 804. n. 2. propoſuit. Unde ſaltem Annales *Boici* poterunt nominari. Diſcriminis tamen aliquid in annorum calculo inter Annales Mabillonii atque Eckharti intercedere, vel ex ſola Arnonis Salisburgenſis Epiſcopi ordinatione intelliges; quæ enim apud Mabillonium ad a. 786 rejicitur, ea apud Eckhartum a. 785 contigiſſe narratur. ANNALES RATISBONENSES.

ANNALISTA vel CHRONOGRAPHUS SAXO, qui ab exordio Regni Francorum usque ad a. 1139 geſta collegit, is ipſe creditur, qui Hildeshemienſium Annalium eſt Auctor, ſcilicet Eckehardus Uragienſis, ſub cujus nomine hos Annales ſive Chronicon Saxonicum Lipſiæ a. 1723 edidit eruditiſſimus Georgius Eckhartus in Corpore Hiſtorico medii ævi T. I. atque ob genealogicas Saxoniæ notitias maximi habendos cenſuit. Conveniunt ii non parùm cum Hildeshemienſibus, & idem utrinque verborum tenor ſubinde recurrit, ùt jam advertit Stiltingus noſter T. I. Sept. in vita S. Stephani Regis in Comment. præv. §. 25. n. 271, adeò, ut ſi unus idémque amborum Annalium Auctor fortè non extitiſſet, certè alter alterum hinc inde v. g. ad a. 1003 verbotenus deſcripſerit. Etſi verò Papebrochius T. VII Maji in Paralipom. p. 83 & 84 hos Annales ſive Chronicon Saxonicum, quod ille adhuc ineditum ſive MS. penes ſe habuerat, *inſigne* pariter appellaverit, obſervat tamen Stiltingus T. I. Sept. §. 31. n. 336. p. 540, quòd non usquequaque vera retulerit, atque in ipſa ſui temporis Chronologia (ſi tamen iis annis jam vixit) quandoque aberrârit; nam ad annos 1030 & 1032 ſibi apertè contradicit, & inſuper ANNALISTA vel CHRONOGRAPHUS SAXO.

ſuper Bohemorum in Hungaros expeditionem ad a. 1030 ipſe ſolitarius ceterîs omnibus ſilentibûs narrat.

ANNALISTA SAXO POETA.

ANNALISTA SAXO POETA, quem Du-Cheſnius T. II Script. Franc. Leibnitius T. I. Scriptorum Brunsvic. Böclerus, Kulpiſius, atque Schilterus in Collectione Script. Germ. ediderunt, vixit ſub Arnulpho Cæſare (ùt luculentum fit ex L. V. verſu 413 & 414: item à verſu 135 ad 140) & Geſta Caroli M. ab a. 771 ad a. 814 in V. Libros redegit, quorum IV priores verſu Hexametro, quintus verò de Caroli obitu atque virtutibus metro elegiaco ſunt concinnati. Facilè autem intelligitur, quòd Poëta in primis IV Libris Annales præcipuè Laurishemienſes, qui ſoluto ſermone incedunt, ipſe ad numerum poëticum adaptârit. Conferantur v. g. anni 797. 98. 99. 800. 801 &c. a. 771. 772 &c. niſi quòd Poëta ad a. 772. *Pauli* Pontificis obitum locò *Stephani* mendosè collocârit. Nihilominus, quæ jam libro IV ad a. 803 Poëta hic canit, aliunde, ſcilicet ex Caroli vita deſumpſit; ita enim l. c. v. 115 de belli Saxonici fine & enarratis pacis conditionibus ait:

Si tamen hoc dubium cuiquam fortaſſe videtur,
De vita ſcriptum Caroli legat ipſe libellum,
Quem Francos inter clarus veráxque relator
A Summo prudens Einhardus nomine ſcripſit.

Unde ſimul patet, quòd non ſolùm Caroli vitam, à Comite Nugnario editam, Eginhardus ipſe conſcripſerit, ſed & maximo in pretio tum hic Eginhardi libellus, tum Annales Laurishemienſes ſint habiti, utpote quos ſub Arnulpho Cæſare, adhuc ſuperſtite, præ ceteris metro dignos Poëta Saxo judicavit. Quintus certè Poëtæ liber, qui Caroli mortem, virtutésque complectitur, ex eadem potiſſimùm Caroli vita fuit depromptus, ùt ex utriusque collatione continò Lector agnoſcet.

ANNALES TILIANI.

ANNALES TILIANI, quos T. II Script. Franc. primus recenſuit Du-Cheſnius ex MS. Joannis Tilii, Meldenſis Epiſcopi (diſtinguendus enim hic eſt ab altero Joanne Tilio, hujus Epiſcopi fratre & ſupremo Pariſinæ Curiæ Secretario) narrationis initium ducunt ab a. 708 & usque ad a. 808 ſeſe exporrigunt. Auctor illorum ſe poſterioribus geſtis fuiſſe Synchronum abunde teſtatur, cùm ad a. 807 Mercurii

phæ-

phœnomenon à ſe quidem fuiſſe conſpectum, ejusdem tamen in ſolarem diſcum ingreſſum, cùm nubes obſtarent, neutiquam à ſe adnotari potuiſſe affirmat. De Annalium verò iſtorum Auctore conjecturam Eckharti hìc addo, quam ille T. II. p. 48. 49. n. 40 ita exprimit: " Quercetanus (ſive Du-Cheſnius) in Præfatione ad Annales Loiſelianos meminit, nonnullos ſuſpicatos eſſe, Annales hosce ab Heingaldo ſeu Helingaudo Comite, primum aulico, cujus mentio in iis a. 802 fiat, eſſe conſcriptos. Indicium hi ergo quoddam habuerunt, Helingaudum Annales compoſuiſſe. Sed cùm Loiſeliani eadem ferè verba, in poſterioribus præſertim, habeant cum Annalibus Tilianis, qui in Anno 807 deſinunt: & de Mercurio in Sole viſo Auctor eorum (ſcilicet Tilianorum) prodat, ſe ipſum hoc phœnomenon vidiſſe, quod & Auctor Annalium Loiſelianorum, qui in anno 813 deſinit, facit; Suſpicor, Helingaudum Comitem & Aulæ Præfectum cum Annalium Loiſelianorum Auctore familiarem, quem Ercanboldum Cancellarium fuiſſe conjecimus, Annales (quos Tilianos à poſſeſſore Codicis, unde editi ſunt, vocamus) in uſus ſuos ſibi conſcripſiſſe, & ex Ercanbaldi annotatiònibus, quæ placebant, excerpſiſſe, eique operi anno 807 immortuum eſſe. Numero verò 45. pag. 50. ait Eckhartus: quisquis fuerit (Tilianorum Annalium) Auctor, exactus eſt in recenſendis geſtis. Sed quòd ab aliquot annis ea uno anno tardiùs reliquis referat, vitiô deſcriptoris eidem ſine dubio accidit. Ex hoc verò loco (ſcilicet obſervationibus Aſtronomicis ad a. 807) diſcimus, ſtudium Aſtronomicum, à Saracenis & Arabibus acceptum, in Caroli Imperatoris Palatio viguiſſe. Nihil enim is curioſitati ſuæ non dignum putavit. Eginhardus cap. 25. de eo: *Diſcébat*, inquit, " *& artem computandi, & intentione ſagaci ſiderum curſum curioſiſſimè rimandi.*

ANNIUS JOANNES, Viterbienſis Italus, Ord. Præd. & Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, qui ſub Alexandro VI anno 1502 ex humanis migraſſe ſcribitur, præter alia edidit Antiquitatum libros XXVII, in quibus ſunt Fabius Pictor de Aureo ſeculo: Myrſilus Lesbius de Tirrhenis: Catonis Origines: Sempròmius de Italia: Archilochus de temporibus: Metaſthenes (ſeu veriùs Megaſthenes) de rebus Perſicis: Philo Judæus de temporibus: Beroſus de rebus Aſſyriorum & Chaldæorum: Manetho de rebus Ægyptiis. Atque hæc fictitia Auctorum Opera Commentariis illuſtrans Annius, orbi impoſuit, plures (ùt v. g. Joannem Driedo, Nauclerum, Valerium, Joannem Lucidum, ANNIUS JOANNES.

dum, Michaëlem Medina, Sixtum Senenſem) in errorem abduxit, tempore abuſus eſt, quod meliùs collocare poterat Vir Latinè, Græcè, Hebraicè, Chaldaicè & Arabicè eruditus, ùt de eo tradit Leander in Italia ſua. Ita de Annio Natalis Alexander T. VIII Hiſt. Eccl. Cap. IV Art. VI ad Sec. XV. de Claris Hiſtoricis: ubi ſimul gravibus ex argumentis commentitios hoſce Auctores explodit, eorúmque figmenta in apricum producit. Id ipſum ante Natalem fecêre Melchior Canus l. XI. locorum Theologicorum c. 6. Benedictus Pererius l. XI in Danielem: Antonius Auguſtinus Antiquitatum Dialogo XI: Antonius Poſſevinus l. XVI Biblioth. Selectæ Sect. IV. Editionis Venetæ a. 1603, & in Apparatu Sacro ad Scriptores T. II. p. m. 106. Volaterranus l. XIV. anthropologiæ: Ludovicus Vives l. V. de tradendis diſciplinis: Labbeus T. II. Script. Eccl. inter addenda p. m. 786. 787: ubi "ſic ait: Valeat & in perpetuum valeat hæc Chronologia (Philonis) "Anniana, & quæ toties à Viris doctis profligata & jugulata eſt, ja-"ceat inpoſterum ſempiterna hominum oblivione ſepulta: nec ſit "poſthæc, qui eam exhumare, & ad fidem aliquam atque auctori-"tatem quaſi ad vitam revocare audeat. Sat ſit, adhuc eam, cùm "non erat benè nota, impoſuiſſe multis, Nunc detectis atque in "apertum prolatis fucatis ejus mendaciis & fallaciis, ſi quem circum-"venerit ac deceperit, nimis profectò ſtupidum & vecordem eum "fore neceſſe eſt. Plura in earundem ſordium execrationem Joan-"nes Goropius Becanus, Gaſpar Varrerius ab Andrea Schotto no-"ſtro editus, aliíque omnium Ordinum Viri ingenio atque eruditione florentes. Ita Labbeus. Similiter Cuperus noſter, in peculiari Diſſertatione de Guzmannica S. Dominici Stirpe n. 54, ex Auberto Miræo P. II. Biblioth. Eccl. c. 6. de hoc Annio aſſerit, quòd Antiquitatum libros XXVII reliquerit quidem, ſed nugis mendacibus plenos, cùm Auctores ab eo relatos, ùt Beroſum, Manethonem, aliósque prorſus ſuppoſititios eſſe, dubitari haud poſſit.

Num verò ipſe Annius horum Auctorum plaſtes extiterit, nihil attinet dicere; etſi haud neſciam, eum à Struvio in libello de doctis impoſtoribus horum caſtris adſcribi Graveſonius certè P. II. Hiſt. Eccl. T. VI. Colloq. V. p. m. 167. Theophilum noſtrum Raynaudum tanquam Scriptorum Dominicanorum acerimum inſectatorem, & parùm veritatis ſtudioſum Cenſorem vellicat, quòd in libro ſuo, de Cyriacorum immunitate, perfricta fronte aſſerere non dubitârit, Joannem Annium non modò deceptum, ſed deceptorem, falſarium, & impoſtorem fuiſſe, eúmque de induſtria hæc ſuppoſititia antiquorum Scriptorum Opera in lucem edidiſſe, ut & alios ipſe deciperet; quod

unum

unum ſcelus falſariorum eſt & interpolatorum. Certè, inquit Graveſonius, Joannem Annium nullus, quod ſciam, ante Theophilum "Raynaudum falſarii nomine ſuſpectum habuit, quamvis non negent "Viri eruditi, eum deceptum fuiſſe; quod nemini mirum videri debet, cùm necdum ea ætate vigeret Critices diſciplinæ ſtudium ad genuina Scriptorum Opera à ſpuriis & adulterinis ſecernenda omnino "neceſſarium. Ita quidem, ut Annium ſuum excuſet, Raynaudum arguit Graveſonius, rectiùs facturus, ſi Raynaudum pariter, ùt poterat, hìc excuſâſſet. Neque enim ignoraverat Raynaudus, neque ignorare potuit aut debuit Graveſonius, ab omnibus retro ſeculis ſcripta certò ſuppoſititia atque adulterina, etiam inter orthodoxos, nullo ùt videtur piaculi metu atque remorſu, perquam fuiſſe recepta atque uſitatiſſima. *Vid. Diſſert. Cuperi* cit. de Stirpe S. Dominici à p. 31. §. IV. n. 50. 51. 52. &c. item *Chronica Hiſpanica*, de quibus nos ſuo loco. Imò vel ſola Antverpienſia Acta SS. ſi rite excutiantur, innumera ſanè occurrent, quæ ad Critices aut Chronologiæ leges expenſa fabulam malè confutam teſtentur, aut ſi quando aliqua in ſuo fonte atque autographo genuina fuêre, poſtmodum tamen iniquiſſimas interpolationes ſunt paſſa, eo utique fingentium aut interpolantium fine, ùt & poſteri ſuis aſſertionibus crederent, & majorem tum qualicunque notitia cultum Sanctis impenderent. Mihi interim ſufficiet indicâſſe, has Annii Antiquitates nullo penitus loco eſſe habendas, quia ùt Labbeus T. 2. Script. Eccl. p. 36. inquit, *quisquiliis, anilibus fabulis, & Amadiſiorum nugis pleniſſimas, ac proin in Utopiam Morboniamque Inſulam relegandas.* Uberiùs Annium & fictitios Annii Auctores ſub oculos poſuit Poſſevinus T. II. Biblioth. Selectæ de ratione ſtudiorum Sect. IV. Cap. I. p. m. 394.

ANONYMUS biographus Ludovici Pii, qui & Aſtronomus dicitur, coætaneum ſe fuiſſe teſtatur per ea verba, quibus in ſcriptionis ſuæ exordio narrationum ſequentium fidem confirmat. Ait enim: *Quæ ſcripſi uſque ad tempora Imperii* (Ludovici Pii ſive uſque ad Annum Chriſti 814.) *Adhemari nobiliſſimi & devotiſſimi Monachi relatione didici, qui ei coævus & connutritus eſt. Poſteriora autem, quia ego interfui rebus palatinis, quæ vidi & comperire potui, ſtylo contradidi.* De Cometa verò, qui anno 837 ſive triennio ante Cæſaris obitum apparuerat, ita ſcribit: *Quam rem* (ſive Cometam) *cùm primùm Imperator talium ſtudioſiſſimus conſpexiſſet, conſtitit, & antequam quieti membra committeret, accitum quemdam, itémque me, qui hæc ſcripſi, & qui hujus rei ſcientiam habere credebar, percontari ſtuduit, quid ſuper ea mihi videretur &c.* Quibus ex verbis & bio-

ANONYMUS.

biographi ætas, & aſtronomica ejusdem peritia ſatis elucet. Advertit tamen pluribus in locis Pagius T. III Crit. v. g. ad an. 801. n. 12 & ad a. 855 n. 13 quòd in Chronotaxi ſeu in notatione temporum non ubique accuratus ſit hic Ludovici biographus, etſi res ipſas veraciter narret. Sed nempe, ùt mox Pagius addit, mirum illud videri non debet in iis, quæ vel ante Ludovici Imperium vel extra ſolum Francicum geſta fuêre; cùm ipſe fateatur Anonymus, de Ludovici ante Imperium geſtis non niſi alieno ſe ſcripſiſſe relátu: unde facile fuit in rebus Anterioribus labi. Eckhartus T. II. p. 245. n. 283. Hirminmarem, Ludovici Pii Notarium, vitæ hujus Scriptorem fuiſſe conjectat.

ANONYMUS. ANONYMUS biographus S. Remberti, Archiep. Hamburg. & Brem. ſub annum 888. defuncti, Monachus fuit Corbejenſis in Saxonia, Remberto contemporaneus, ùt notat Eckhartus T. II. p. 504. Pagius T. III. ad a. 888. n. 12. Mabillonius Sæc. IV. Benedict. P. II. Henſchenius in Actis SS. T. I. Febr. ad diem IV. p. 555. & 556, ubi tamen duo obſervat num. 7. & 8. *primum*, quòd in hac vita concinnanda plures ſimul operam junxerint, ejusdem loci & temporis cœnobitæ. *Secundum*, quòd in Codicibus MS. Bibliothecarum Germanicarum circa S. Remberti Vitam quæpiam ſubinde ſinceritas deſit; quem proin errorem aliunde, ex purioribus ſcilicet ac genuinis S. Anſcharii Actis, emendavit Henſchenius.

S. ANTONINUS. S. ANTONINUS Archiep. Florentinus, qui obiit a. 1459, ſanctitate juxtà atque doctrinâ claruit, minùs tamen in rebus hiſtoricis felix. De eo Natalis Alex. T. VII. Hiſt. Eccl. ad Sæc. XIV. Diſſert. X. Quæſt. II. de
" Templariis Art. I. n. 25. item pag. 510 & 514 Scholio VII. Hujus
" (S. Antonini) venemur Sanctitatem, Juris Canonici peritiam
" ſuſpicimus, in Theologia Morali eruditionem ac integritatem prædicamus: at delectum in ſcribenda hiſtoria deſideramus. Vir ſcilicet ſimplex, omnia, quæ vulgi rumoribus jactabantur, avidè excipiebat, & in Chronicon ſuum abſque examine referebat. Hinc de
" Clemente Quinto nonnulla Scriptis mandavit probroſa, & à nemine eorum tradita, qui Pontificum Vitas ſcripſerunt, quòd nempe
" libidini deditus, quòd res ſacras venumdare ſolitus fuerit, quòd
" ſtatum animæ cujusdam nepotis ſui magicis artibus exploraverit.
" Præterea S. Antoninum rumoribus hac in cauſa nimiùm tribuiſſe,
" indicat hic loquendi modus, ipſi ſolemnis, *ùt dicitur*, *ùt creditur*, Ita Natalis. Neque aliter ſenſit Melchior Canus, Canarienſis Epiſcopus l. XI. de locis Theologicis c. VI. regula 2da. De Vincentio, inquit,

" quit, Bellovacenſi & Divo Antonino liberiùs judico; quorum " uterque non tam dedit operam, ut res veras certásque deſcriberet, " quàm ne nihil omnino præteriret, quod ſcriptum in ſchedulis qui- " buslibet legeretur. Ista ad Hiſtoriam unamquamque exiſtimandam, " momentóque ſuo ponderandam non artificum ſtaterâ, ſed ne po- " pulari quidem trutinâ uſi ſunt. Quamobrem boni licèt ac minimè " fallaces Viri, qui tamen nec Auctores eos, à quibus ſuos exſcripsê- " re libros, diligenter examinârunt, nec res juſtis libratas ponderi- " bus memoriæ prodiderunt, apud Criticos graves atque ſeveros au- ctoritate carent. Atque hac Cani ſententia pariter utitur Cuperus noſter T. I Aug. in vita S. Dominici p. 361. col. 1. & T. IV. Aug. in vita S. Amatoris p. 17. n. 7. poſtquam numero 6. jam præmiſerat: *Quamvis hic Scriptor* (S. Antoninus) *doctrina & ſanctitate claruerit, tamen apud Eruditos non habet magnam auctoritatem in rebus hiſtoricis, præſertim antiquis: quia Vir iſte ſincerus & credulus quaslibet narratiunculas, apud alios auctores inventas, bona fide tranſcripſit*: ubi ſimul notat Cuperus, quòd S. Antoninus vel Malaſpinam, vel Villanium, Malaſpinæ exſcriptorem, ipſe quoque exſcripſerit.

ARDO Monachus & Presbyter Anianenſis, in Gallia Narbonenſi, qui ante medium Sæculi IX. mortem oppetiît, vitam ſcripſit S. Benedicti Abbatis Anianenſis in Gallia, & Indenſis in Belgio, cujus præcipuè induſtriâ & legum ſapientiâ denuo refloreſcere cœpit diſciplina monaſtica, poſtquam per varia paſſim Cœnobia illius ardor & vigor non parùm elanguerat. Tantò autem majori fide digna eſt hæc Benedicti vita, quantò perſpectiora ſibi illius geſta habuit Ardo, Sancti diſcipulus. Servit illa tum Monaſticæ, tum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ad Sæc. IX. & Ludovici Pii tempora illuſtrandæ. Vid. ACTA SS. T. II. Febr. p. 609. n. 19. 20. ad diem XII. item PAG. T. III. Crit. ad an. 821. (quô S. Benedictus obiît) n. 20. 21. ARDO.

ARNOLDUS Lubecenſis, Hildeshemienſis antea Præpoſitus, poſtea Lubecenſis Abbas & Seculi XIII. Scriptor, Chronicon Slavorum, quod Helmoldus Presbyter Boſovienſis in Holſatia antehac conſcripſerat, continuavit ab anno 1171 ad an. 1209, illúdque Philippo Raceburgenſis Eccleſiæ Antiſtiti nuncupavit. Et Chronicon quidem Helmoldi, cum ſolis Arnoldi capitibus novem, primò prodiit Francofordiæ an. 1556. per Sigiſmundum Schorckelium Naumburgenſem, ùtùt ille in exemplar MS. majori ex parte mutilum inciderit, prout teſtatur Henricus Bangertus in Præfatione ad Lectorem, quam novæ ſuæ Helmoldi ARNOLDUS LUBEC.

moldi Arnoldíque editioni præmiſit. Hæc ipſa Schorckeliana editio anno dein 1573 iterata fuit, aſt ſimiliter manca. Unde tam Helmoldo, quàm Arnoldo, pleniùs emendatiúsque edendo, manum poſtmodum admovit Reinerus Reineccius, qui utrumque ex probato Codice M S Lubecenſi magis integrum dedit Francofordiæ a. 1580. 81. Verùm cùm & in hac Reinecciana editione quatuor adhuc poſtrema Arnoldi capita deſiderarentur, illa dein ſola a. 1609 inter Scriptores Rerum Septentrionalium Lindenbrogius typis Francofordienſibus dedit. Denique tam Helmoldi quàm Arnoldi opus integrum & conſummatum uno eodémque volumine recenſuit Henricus Bangertus, Lubecæ a. 1659: & poſt Bangertum Leibnitius T. II. Script. Brunſvic. Hannoveræ 1710. Tam Helmoldum quàm Arnoldum, in rebus præcipuè Slavicis, maximam mereri fidem, in ceteris verò Italiæ, Siciliæ ac Græciæ geſtis minùs fuiſſe exactos notat Vossius l. 2. de hiſtoricis Latinis cap. 55. & ex Voſſio NATALIS ALEXANDER T. VII. Hiſt. Eccl. ad Sec. XIII. p. 135. cap. IV. GRAVESONIUS P. II. Tomo V. Colloq. V. p. m. 156. Aſt Poſſevinus in Apparatu Sacro p. m. 32. primas Arnoldi editiones, ſcilicet Schorckelianam & Reineccianam de a. 1556 & 1581 cavendas admonet, eoquòd *in Scholiis & Annotationibus ad marginem & aliis adjunctis plura indigniſſima lectu addita ſint ab hæreticis.* Unde etiam hi Annales ſeu Chronicon Slavorum, quod Reineccius unà cum vita Henrici IV. Imperatoris & Gregorii VII Pontificis in unum Volumen conjunxit, inter Imæ. claſſis prohibitæ libros meruêre referri. Vid. noviſs. Indic. Rom. p. 68. verbô: *Chronica Slavorum* & p. 357. verbô REINERIUS. Baronius quidem in Annalibus ad annum 1197 n. XI. ſuſpicatus eſt Arnoldi Chronicon ad e. a. fuiſſe corruptum, & nomen *Romani Pontificis*, quod haud dubiè in Arnoldi textu antehac extiterit, à Novatore fuiſſe ſuppreſſum: inſuper locò *Romani Imperii*, quod in hodiernis Arnoldi editionibus legitur, re ipſa ſubſtitui debere τῆς *Romanæ Eccleſiæ*, eoquòd Romanæ Sedis Auctoritate Armeniæ Princeps per Moguntinum Archiepiſcopum in Regem fuiſſet initiatus, prout ipſæmet Armeni Regis ad Pontificem literæ, mox ſequente num. à Baronio recitatæ, teſtantur. Aſt reſpondet Bangertus in ſua Arnoldi editione ad calcem libri V. & capitis V. p. 448. lit. b. in notis: in Antiquis M. SS. Codicibus, qui multò ante Lutherum fuerint exarati, eadem iisdem prorſus verbis legi, quæ jam antea fuêre edita. Quare ſi res ita ſe habeat, ùt Bangertus aſſerit: dicendum omnino erit, quòd Arnoldus de rebus longinquiùs geſtis minùs rite edoctus, id adſcripſerit Imperio & Imperatori, quod Romano Pontifici adſcribendum ipſa Armeniæ Regis Epiſtola probat.

ARNUL-

ARNULPHUS MEDIOLANENSIS, libros V. de geſtis Mediolanenſium ab an. 925. ad 1076. ſcripſit circa annum 1085, quæ primò excuſa ſunt in Græviano Theſauro Antiquitatum Italiæ Tomo IV, ubi tamen ſolùm libri IV extant. 2dò Apud Leibnitium T. III. Script. Brunſvic. à p. 727. 3tiò. Apud Muratorium T. IV. Script. Ital. ubi caſtigatiùs & cum notis totum opus eſt editum. Majorem ab hoc Scriptore fidem meritò deſiderant eruditi, præcipuè in iis, quæ ad Nicolai II & Alexandri II tempora, & perverſa id ætatis Sacerdotum matrimonia ſpectant. Nam multos annos à Cleri Mediolanenſis partibus ſtetit, & adverſus Arialdum (poſtea Martyrem) ceteróſque Sacerdotalis continentiæ defenſores acerrimè concertavit. Vid PAG. T. 4 ad an. 1066. n. 9. an. 1076. n. 9. an. 1077. n. 3. Porro quàm iniquus & inimicus in Sanctos Herlembaldum & Arialdum Scriptor & teſtis ſit Arnulphus, idem Pagius ſæpiùs obſervat v. g. ad an. 1076. n. 8. & 9. Alium verò Arnulphi errorem circa Tetaldum, quem ille poſt S. Herlembaldi martyrium mox Archiepiſcopum rite dictum fuiſſe malè ſupponit aut jactitat, ex ipſomet Gregorio VII. confutat Pagius ad an. 1075. n. 16. Similiter Papebrochius noſter T. V. Junii in vita SS. Arialdi & Herlembaldi p. 280. n. 4. ait, quòd Arnulphus fuerit *ſchiſmaticus*, Sanctorum Arialdi & Herlembaldi adverſarius, ſcriptor *mendax*, qui etiam miracula in ſchiſmatis ſive uxoratorum Sacerdotum favorem confinxerit; miratúrque non immeritò Papebrochius, quòd recentiores Scriptores, ùt Sigonius aliíque maluerint hos Schiſmaticos (inter quos etiam Landulfus Senior & Junior) auctores ſequi in ſua hiſtoria, quàm alios antiquiores coævos, ac ſchiſmatis puros.

AVENTINUS.

AVENTINUS Joannes, Abenſpergenſis Bojus, Sæc. XVI Scriptor, Thurnmeyerus aliàs ex paterno nomine dictus, ſed qui pro illorum temporum more ipſe ſibi adſcititium Aventini nomen ex genitali loco aſſumpſit (ùtùt in hoc largiter errârit; neque enim Abenſperga & Aventinum pro Synonymis apud Geographos habentur) magnum equidem ab Annalibus Boicis nomen apud non paucos obtinuit, ſed apud eos maximè, quibus aut hebetior in hiſtoricis acies, aut alienior à rebus orthodoxis eſt animus, aut dictionis nitor atque licentia præ veritate probatur. Bergerus in Præfatione animadverſionum, quas ad Cocceji Juris publici prudentiam a. 1724 typis Lipſienſibus dedit, ita de Aventino magnificè ſtatuit: " Commentatio Joannis " Aventini, ubi res Bojariæ memorabiles exponuntur, egregiè con- " cinnata: utpote qui hiſtoricus multum gloriæ ſibi acquiſiêrit, quòd " officio Hiſtorici ſincerè fuerit defunctus, nec veritatem ſubdolè

" ſuppreſſerit & celârit, vel temerè quid finxerit, ſed potiùs facino-
" ra, Pontificis Romani & Cleri Boici non habita nimia ratione, li-
" berè enarrârit, hæretici Lutherani cognomine eapropter inſignitus;
" deinde monumenta vetera diligenter excuſſerit, atque demum ele-
" ganti & nitido puróque dicendi genere opus adornârit. *Addit ta-*
" *men Bergerus* : Cùm in rebus vetuſtioribus demonſtrandis non
" multùm ferè valeat Scriptoris, aliquot Seculorum intervallo de
" iisdem perhibentis, ſententia, præſertim tunc, cùm aliis fidem
" plus merentibus teſtibus careat, ſanè tutius fuiſſet, Aventino
" non tantum ubique auctoritatis tribuere: præcipuè quòd iſte Au-
" ctores, unde monumenta hauſerit, propè nullos laudârit, ni-
" mióque latini ſermonis & dictionis ſtudio commotus, res ſæpiùs
" diverſas miſcuerit.

Verùm multò ſeverius ſolidiúsque de Aventino judicium ferunt, eúmque non ſolùm modicæ Auctoritatis Scriptorem, qui pleraque ſine teſtibus ac tabulis etiam de rebus patriis declamârit, ſed & inſignem quà fabulatorem, quà falſarium & calumniatorem fuiſſe, patentiſſimis ex argumentis demonſtrant tum ipſimet Scriptores Boici (ùt *Brunnerus* P. II Annal. Boic. l. V. quem locum etiam allegat *Stiltingus* noſter T. 1. Sept. p. 539. n. 335. *Hundius* in Metropoli & *Gewoldus* in additionibus ad Hundium T. J. de Epiſcopis Friſing. p. 116. 134. 448 de Wiſundo Ep. p. 460. 461) tum Scriptores alii, ùt Henricus *Caniſius* T. 1. Antiq. Lect. p. 670 de fictitio Gigante Ænothero, *Gretſerus* T. VI. novæ Edit. p. 242. 243 in vita Gerohi Reicherſpergenſis, ubi de malignitate Aventini in allegandis Veterum MScriptis: T. VII p. 314. 315 in Examine Myſterii Pleſſæani : item libro I adverſus Replicatorem Goldaſtum c. VII p. 89 & 90 Edit. 1mæ & cap. cit. p. 99. 100. item cap. XI p. 126. Rurſus in prolegomenis ad Vitam S. Gregorii VII. Imò & *Gundlingius*, ùtùt Scriptor aliàs Acatholicus, in Hiſt. Imp. p. 294. 295 §. 42 Aventinum pro novitio habet Auctore, cui neutiquam fides poſſit haberi, utpote qui & *Chimeras* ſubinde obtrudat, & ſæpe recenſeat facta *obſcura*, *dubia*, *falſa*. Rectè proin fecit Adlzreiterus, vel quisquis ſub ejus nomine latet, quòd in Annalibus Boicis ab Aventini hujus teſtimonio & nomine plerumque abſtinuerit; Aventinum enim ſolum qui ſequitur, in ſalo hæreat aut impingat neceſſe eſt. Quòd autem de hæreſi ſe non immeritò ſuſpectum reddiderit Aventinus, ipſum illius cum Melanchtone commercium, & reciproca hujus ad illum Epiſtola docet, quam ex ipſomet autographo Gretſerus l. 2. contra Replic. c. 19. & ex eo P. Schwarz P. 3. Colleg. Q. V. Sect. 3. p. 221. 222 palàm reddidêre.

Quòd

Quòd ſi tamen poſtmodum in Eccleſia Romana obiit, ùt, Conringio teſte, illius in Ratisbonenſi S. Emmerami Baſilica Sepulchralis inſcriptio videtur arguere, oportuerat profectò, ut (ſi verè orthodoxus ac pœnitens obiit) ipſemet ſuas fabulas atque calumnias ſolemniùs retractaret, & publicum ſanioris animi teſtimonium ad poſteros transmitteret, ne quos ſcriptis ſuis maledicis in errorem abduxerat, iidem etiam deinceps in falſitatis & calumniæ patrocinium ſcriptis hisce poſſent abuti. Quod utrum moriturus præſtiterit, compertum non habeo. Annales illius inter primi ordinis libros prohibitos Romæ fuiſſe confixos, noviſſimus Index Romanus declarat p. 212. pag. verò 68 ibidem reprobatur Chronica Turcica collecta Philippo Lonicero, *cui adjectum eſt opus quoddam Joannis Aventini hæretici, in quo declarantur cauſæ miſeriarum &c. niſi emendetur.* Conſuli etiam de Aventino poterit P. Schwarz l. c. à p. 206 ad 226.

S. AUGUSTINUS. Animus hìc non eſt, Sancti hujus Opera enume- S. AUGUrare; id enim affatim præſtitêre Bellarminus, Poſſevinus, Labbeus, STINUS. Nat. Alex. aliíque, atque inter hos maximè Stiltingus noſter T. VI. Aug. ad vitam hujus Sancti à p. 441 ad 460. item in Comment. prævio de eodem Sancto. Nobis de ſola illius Operum Editione ſermo eſt; nam præter Baſileenſem de A. 1556, Lovanienſem ſesqui abhinc & ampliùs Seculo, item Pariſinam de A. 1688, alia rurſus, quæ Pariſinam Monachorum Benedictinorum editionem imitari voluit, ineunte hoc Seculo, ſive anno 1700 *typis Hollandicis* recuſa prodiit, etſi *Antverpiæ ſumptibus Societatis cum privilegio* impreſſa ſubdolè fingatur, ùt omnes Eruditi Antverpienſes incolæ & plerique Belgæ jam nôrunt. Nempe, ùt Cuperus noſter in vita S. Auguſtini (quam usque ad §. 38 p. 316 n. 531 ipſe elucubrârat) T. VI. Aug. p. 214. 215. n. 9. mox ſubjungit: *quotidianâ experientiâ diſcimus, fidis librorum editionibus exteros Catholicos ab aſtutis Bibliopolis Batavis non ravò decipi. Cur autem finxerunt, hæc omnia S. Auguſtini Opera in urbe Catholica Belgii edita eſſe, niſi ut incautos emptores fallerent?* Ipſe profectò Caſimirus Oudinus Apoſtata (vide ibidem Cuperum n. 6. p. 214) ex cœnobio ſuo in Hollandiam profugus, etiam exteris nationibus hanc craſſam Bibliopolarum Batavorum fraudem publicè detexit, dum in Commentario ſuo de Scriptoribus Eccleſiaſticis Tomo I col. 986 & ſeq. in hunc modum ſcribit: " Joannes Clericus, qui damnat alios novis Sanctorum Patrum editionibus incumbentes ... in illud, cujus alios arguit, ipſe omnium primus impegit in editione Operum S. Auguſtini omnium anni 1700 Amſtelodamenſi, quam Tomis ſeu Voluminibus quatuor-

" tuordecim in folio distinctam vendi vidimus hìc Lugduni Batavo-
" rum enormi auctione pretii, inutili tot Voluminum partitione &
" compactione, ac meditata à Bibliopolis deceptione eorum, qui
" minùs sibi suisque pecuniis non disperdendis attendunt. His non
" contentus, ut obtemperaret Typographis, mercenarium ipsum
" conducentibus, anno 1703 Appendicem Augustinianam sub ficto
" Joannis Phereponi nomine, ac Tomi XII titulo edere contra prin-
" cipia à se adversus alios stabilita aggressus est. Unde Augustinia-
" norum Operum pretium auctum, & exemplaria novæ Editionis,
" quæ non vendebantur, difficiliora adhuc venditu facta sunt. . . .
" *Opus istud falsò inscriptum est*: IMPRESSUM ANNO MDCCIII ANT-
" VERPIÆ SUMPTIBUS SOCIETATIS, *cùm constet, editum fuisse*
" *Amstelodami apud Fratres Huguetanos & Petrum Mortier, apud quos ven-*
" *ditur*. Ita Oudinus.

Quare fraudulentæ huic editioni Batavæ fidendum minimè est, quandoquidem ipsi Lipsienses in Actis eruditorum ad annum Christi 1707 pag. 94 & seq. Schedulam monitoriam recitant Joannis Baptistæ Clarelli, Bibliopolæ Veneti, qui novam Operum Augustinianorum impressionem promiserat, & jam memoratam editionem Hollandicam his verbîs accusârat: " Quoad Amstelodamensem Editionem, Ant-
" verpiæ nomine pervulgatam, undequaque reprobatur, non tan-
" tùm propter XII Tomum, multam non sanæ doctrinæ copiam con-
" tinentem, verùm etiam propter transcriptionis infidelitatem ipsius
" Divi Patris textûs, quem non solùm adulterati sunt, multa verba
" demendo, sed etiam mutilum reddiderunt, integras periodos au-
" ferentes, præter innumeros errores passim insertos. " *Certè*, subdit Cuperus (quem hucusque exscripsimus) l. c. n. 7. *apud eruditos Catholicos constat, hunc Tomum duodecimum haereticis Clerici notis contaminatum esse, quemadmodum evidentibus argumentis probare possem. si Theologum Polemicum agere vellem, quod hic ab instituto meo alienum est.*

B.

BAILLETUS ADRIANUS

BAILLETUS ADRIANUS, Presbyter Gallus, præter cetera, quæ Iselinus in Lexico Basileensi & Menkenius in Lexico Eruditorum recensent, Vitas quoque seu Legendas Sanctorum sub initium præsentis Seculi gallicè scripsit: ast non cum ea criterii laude, quam nonnulli, minùs Critices periti, antehac in Bailleto perperam suspexêre. Multò enim veraciùs de illo sensit Cuperus noster, qui dum

T. I. Aug. p. 358 n. 1. S. Dominici geſta per Scriptores Synchronos aut ſuppares rite ſtabiliri poſſe præfatur, propediem addit: " Miror " Adrianum Bailletum Tomo II Legendæ ſuæ Gallicæ Auctoritatem " horum omnium tam flocci pendere, ut in tabula Critica, menſi " Auguſto præfixa, ad diem IV iſtius menſis audacter more ſuo in- " nuat, in hac re patrum B. Jordano, primæ vitæ Scriptori, aliiſque " antiquis biographis deferendum eſſe. Nam ſi ſeverus ille Ariſtar- " chus non credat digniſſimo S. Dominici Succeſſori, qui Acta S. Pa- " tris ſui facilè indagare poterat, & teſtibus oculatis aliiſque Viris " huic tempori vicinis: quid tandem ad fidem faciendam in hiſtoria " exiget? ſi hæc hypercriticus iſte noviſſet, aut attentè conſiderâſſet, " fortè mitiorem de illis Auctoribus cenſuram tuliſſet." Attamen hic *ipſe* Bailletus (ùt Cuperus l. c. p. 390. n. 171 & 172 advertit) qui vix Synchronis S. Dominici biographis fidem adhibet, in Gallica ejusdem Sancti vita num. 3. quasdam recentiorum fabulas, omnibus antiquis biographis incognitas, ex fictitio Alano, cui ne quidem jurato credendum, imperterritè aſſumit & ùt indubitatas admittit. Unde Jacobus Echardus intempeſtivum hunc hypercriticum, qui ſæpe aliàs de certis Sanctorum geſtis atque miraculis ob leves conjecturas addubitat, Tomo I. Biblioth. Prædic. p. 29 in notis ſic jure merito arguit: " obiter monendum, Bailletum in vita S. Dominici hallucinari, cùm " hunc Conradum, ejusdem Sancti in Schola Palentina vult fuiſſe " condiſcipulum & ab eodem ex licentiori vita ad frugi converſum, " qui ſub cura Parentum ſanctiſſimè educatus & ſui ſemper ſimilis " deinceps, Hiſpaniam certè ad annum 1221 non viderat. Sed apud " hunc Auctorem plura alia ſunt errata. " Nihilominus, ùt pergit Cuperus, recens Scriptor (Helyotus, nî fallor; nomen enim Cuperus non addit) in Hiſtoria Gallica Ordinum religioſorum ac militarium Tomo III p. 199 & 200 hunc periculoſum Ducem incautè ſecutus eſt, ac cum ipſo in eandem foveam incidit. Pag. verò 392 & 393 n. 182 & 184 rurſum oſtendit Cuperus, Bailletum alicubi præter morem ſuum minimè fuiſſe criticum, ſed absque ſelectu atque judicio fabulatoris Alani figmenta exſcripſiſſe.

Sed & audaciæ & irreverentiæ meritò arguitur Bailletus à Stiltingo noſtro T. 1. Sept. p. 769 lit. d. in Annot. Cùm enim Bailletus in vita S. Opportunæ ad XXII Aprilis ſeptennem S. Chrodegangi Sagienſis Epiſcopi & Martyris peregrinationem ad Sanctorum tumulos temerè improbâſſet, diceretque, DEUM veroſimiliùs voluiſſe, ut peccatum iſta occaſione ſive per hanc ipſam peregrinationem commiſſum ſanguine ſuo Chrodegangus elueret, Zoilo huic mox reſpon-

det Stiltingus: " Uterque biographus, uterque magni nominis Epi-
" ſcopus (Herardus ſcilicet Archiepiſcopus Turonenſis & Adelhel-
" mus Epiſcopus Sagienſis) uterque loco & tempore vicinior factum
" (Chrodegangi) laudavit. Itaque parùm curanda eſt cenſura pri-
" vati hominis & neoterici, qui tolerandus eſſet, ſi factum collo-
" câſſet inter exempla Sanctorum, quæ miranda magis ſunt quàm
" imitanda. At major reverentia debetur Sanctis, quos DEUS mi-
" raculis illuſtravit, & cultu fidelium, quàm ut liceat in piis eorum
" factis tantam nobis culpam imaginari, ut eam ſanguine expiare de-
" buerint. "

Præterea ex eo Scriptorum genere eſt Bailletus, quibus una eadémque res pro lubitu ſuo nunc placere ſolet, nunc diſplicere. Sic in Martyrum geſtis Bailleto paſſim improbari ſolent miracula, longiores & liberiores Martyrum ſermocinationes, carcer præter modum atrocior, & ſimilia; aſt in S. Ferreoli M. actis hæc & ſimilia Bailleto non diſplicent, ùt notat Stiltingus T. V. Sept. p. 764. n. 19. in Comm. præv. ad S. Ferreoli Acta. Imò etiam Acta Sanctorum, nunquam à ſe antehac viſa, pro fabulis illico repudiare auſus eſt Bailletus, ut teſtatur Stiltingus l. mox cit. p. 263. n. 56 in Actis S. Euphemiæ V. M. Dein Eodem T. V. Septembr. p. 636. n. 25. in Comment. præv. ad vitam S. Hildegardis Virg. ait de Bailleto Stiltingus: " Nimis ſæpe experimur, Scriptorem illum non tantâ diligentiâ in-
" quiſiviſſe in facta Sanctorum, à recentioribus tantùm tradita,
" quantâ uti debuerat, ut Vitas Sanctorum ſcriberet, erroribus vul-
" garibus expurgatas. " Neque levis eſt alia Bailleti hallucinatio, quam jam ſuprà in Natali Alexandro attigimus; nam & Bailletus pro Baſileenſi Concilio ſtare præſumit, illiusque auctoritatem contra Ferrarienſis & Florentini Concilii defenſores vel ex ſola Ludovici Alamandi, qui Baſileenſi adhæſerit, beatitate gloriatur evinci. " Baille-
" tus (inquit de illo Stiltingus T. V. Sept. p. 458. n. 88) mirè non
" modò triumphat, ſed etiam inſultat Catholicis, qui ſtant pro au-
" ctoritate Concilii Ferrarienſis & Florentini, ac ſi ea conſiſtere non
" poſſet cum beatitate Ludovici. Verùm neceſſe non exiſtimo re-
" futare hominem, quem ad ſingulos ferè paſſus ceſpitantem inve-
" nio. Tot errores manifeſtos & exaggerationes ineptas in vita B.
" Ludovici commiſit Bailletus, ut multitudo me deterruerit, quò
" minùs ubique errantem corrigerem. Ad triumphos verò ipſius
" abunde reſpondi, quando oſtendi, omnia geſta Ludovici contra
" Eugenium ab illo ipſo deſtructa eſſe, cùm omnia haberi voluerit
" pro non factis: cúmque curaverit, ut tota Eccleſia ſe ſubjiceret

" Ni-

" Nicolao, qui Eugenio ſe ſimilem exhibebat in agendo contra Ba-
" ſileenſes, & Eugenium etiam ſuperavit in Epiſtola ad omnes fide-
" les apud Harduinum Tomo IX col. 1314. Præteritorum igitur pœ-
" nitens erat Ludovicus, aut prævaricator. Pœnitentes autem mul-
" tos reperi Beatis adſcriptos, prævaricatores nullos. Quare nul-
" las habent ſpes conſequendi æternam ſalutem rebelles Eccleſiæ fi-
" lii, qui usque ad finem in pertinacia ſua perſiſtere volunt; ſi ſo-
" lùm tales habent, quales ex B. Ludovici beatitate ineptis ratioci-
" niis ſibi confingere nituntur. Audiant vocem ſupremi Paſtoris,
" cui Chriſtus oves ſuas paſcendas commiſit, ut ovibus Chriſti re-
" verà annumerari mereantur. Unico paſſu humilis obedientiæ ma-
" gis accedent ad beatam æternitatem, quàm mille ratiociniis, qui-
" bus vel invitæ & reclamanti conſcientiæ ſilentium imponere fruſtra
" laborant. Ita Stiltingus. " Similiter, quàm longè aberrârit, & in ſolidioris judicii leges peccaverit Bailletus circa S. Catharinæ Genuenſis vitam & geſta, liquidò demonſtravit Urbanus Stikerus noſter T. V. Septembr. in Comm. præv. §. 2. à pag. 126. §. 5. à pag. 134. §. 7. à p. 140. ut adeò paucis multa, ſimúlque veriſſimè de Bailleto pronunciârit Stickerus p. 126. n. 16. cùm Bailletum *Severi Ariſtarchi* nomine compellavit, *cui familiare eſt cenſuram ferre, nullam tamen ejus rationem adducere.*

Genuinam denique Bailleti effigiem hisce verbis adumbravit Graveſonius P. III. Hiſt. Eccl. T. VIII Colloq. V. p. m. 162 Edit. Venet. " Bailletus in Pago (Nevillenſi) prope Bellovacum natus, multa " Opera conſcripſit, ſed ſub ſpecioſo obtentu repurgandi vitas San-
" ctorum à fabulis, quæ in eas irrepſerant, & vera Acta ac Monu-
" menta ſecernendi à falſis & ſpuriis, in aliud extremum impegit in
" deſcribendis vitis Sanctorum, quas quatuor Tomis in folio com-
" plexus eſt. Plurima ſiquidem Acta SS. & traditiones in Eccleſiis
" receptas, aut in dubium revocavit, aut inficias ivit: multis mi-
" raculis & revelationibus fidem omnem detraxit, totúmque opus
" ſuum variis obſervationibus, eruditis quidem, ſed quæ ſeverio-
" rem in hoc argumento Criticam olent, & piorum animos offen-
" dere poſſunt, implevit. Obiit Pariſiis Bailletus die 21. menſis Ja-
" nuarii anno 1706. " Hæc Graveſonius; cui id unicum addo, Bailletianæ Sanctorum Legendæ in Romano Indice meritò theta nigrum inuri. Vid. Indic. lib. prohib. de anno 1752 p. 432 verbò: *les Vies de Saints &c.*

BALÆUS

BALÆUS Joannes, Anglus Sudovolgius, Calvinicola, tam ab Eliano Ordine, quàm ab Orthodoxa fide Apoſtata uxoratus, & Offerienſis denique in Hibernia Præſul, inter alia, quæ edidit & ab Iſelino, Menkenio atque Moreryo enumerantur, Catalogum edidit de Scriptoribus Britannicis: faſciculum rerum ſcitu dignarum: Acta Romanorum Pontificum: Myſterium iniquitatis &c. Cujus verò fidei aut impudentiæ fuerit Balæus, ipſe calamus infamis teſtatur. Dicitur à Labbeo (T. I. Script. Eccl. p. 53 ſub rubrica: *Marianus Scotus*) Scriptor, *cujus in plerisque vacillet fides*: à Gretſero in Comment. Exegetico, ſeu Baſilico Doro Cap. V. *fabulator ſummus* atque *Notarius in Curia impudentiæ & mendaciloquentiæ immatriculatus.* Nec immeritò, ùt videre eſt apud P. Schwarz P. V. Colleg. p. 601. 602. 470. 554. 573. 696. & P. III p. 203. unde, ùt Graveſonius notat P. II. Tomo VII Colloq. V. p. m. 165 col. 1. atque ex ipſomet Romano Indice p. 212 liquet, inter primæ notæ Scriptores reprobos Balæus rejicitur. Nihilominus apud Iſelinum in Lex. Baſil. *Vir doctiſſimus* audit Balæus: ut proin ex eodem, qui laudatur, ipſius quoque laudatoris genium non obſcurè cognoſcere queas. Orbem mendaciis implere deſiit Balæus anno 1559. ætatis 67. *Si quis plura*, inquit Cuperus T. IV. Aug p. 634. n. 7. *nôſſe velit de ſacrilego illo monacho & Sacerdote, conſulat Pitſeum in Prolegomenis ad illuſtres Angliæ Scriptores, ubi pag. 53 & ſequentibus impudentiam iſtius transfugæ vivis coloribus depingit.*

BALSAMON

BALSAMON Theodorus, Eccleſiæ CP. primò Diaconus Nomo-phylax, tum Chartophylax & Blachernarum Primus, demum ſub Seculi XII finem Patriarcha Antiochenus, ſcripſit varia, inter quæ *primò* Nomo-Canon, ſive Sacrorum Canonum & legum Imperatoriarum conciliatio, & in certos titulos diſtributio, Auctore Photio Patriarcha CP. cum ampliſſimis Commentariis Theodori Balſamonis: ſeu breviùs: Expoſitio Balſamonis in Nomo-Canonem Photii, à Gentiano Herveto latinè reddita, & tam Pariſiis quàm Baſileæ eodem anno 1561 rurſúmque Pariſiis anno 1615, Francofordiæ verò anno 1596 edita. 2dò Expoſitiones Balſamonis in Canones tum Apoſtolorum, tum Oecumenicarum & particularium Synodorum, tum denique SS. Græciæ Patrum. 3tiò Reſponſa Balſamonis ad Interrogationes Marci Alexandrini Patriarchæ, quæ extant apud Leunclavium p. 362 l. V. Juris Græco-Romani, Francofordiæ anno 1596 editi. 4tò Meditata ſive reſponſa Balſamonis, quæ habentur apud eundem Leunclavium l. c. L. VII à p. 442. Vid. *Labb.* T. II de Script. Eccl. p. 397. 398. verbô: *Theodorus Balſamon.* Addit autem Labbeus, omittendam non eſſe

esse cautionem Joannis Mariæ Brasichellani, in Expurgatione Bibliothecæ Bignæanæ VeterumPatrum ita monentis: *Memineris Lector, Theodorum Balsamonem Græcum esse Schismaticum, Ecclesiæ Romanæ hostem, erroribus non paucis fœdatum, ut notavit Genebrardus in Chronologia p. 616 & 622: ideóque Scholia ejus ac Commentaria cautè legenda, nec eis multùm fidendum.*

Neque aliter sensit Baronius ad an. 692 & ad an. 1191. n. 49 & 62. Cuperus noster T. I. Aug. in Hist. Chronolog. p. 145 n. 867 *mendacissimum Romanæ Ecclesiæ calumniatorem* appellat Balsamonem; pag. verò 63. n. 341 ait Cuperus l. c. *Satis mirari non possumus impudentiam Balsamonis, qui apud Allatium l. 1. c. 19. n. 7.* (de perpetua Consens. Orient. & Occid. Ecclesiæ) *mendaci calamo hæc expressit:* IDEM (videlicet Patriarcha CP.) NEC SUBSCRIPTIONES QUIDEM SUAS MAGNIFICAS FACIT, TANQUAM PATER UNIVERSALIS, LICET A NOBIS ITA VOCETUR ET CELEBRETUR. *Quâ fronte id asserere potuit, cùm propter hoc nomen ab Episcopis CPlitanis usurpatum, sæpiùs dissensiones ortas esse non ignoraret? Imò etiamnum miseri illi Patriarchæ, dum sub duro Turcarum jugo gemunt, hoc titulo superbè gloriantur, ut patet ex Synodis, quas Græci Seculo præterito contra Calvini errores celebrârunt, & in quibus apud Harduinum Tomo XI Patriarcha CP. sese ubique* OECUMENICUM *appellat.*

Idem jam antea adversus Balsamonem adverterat Gretserus l. II Variarum c. 2. p. 174: ubi simul adjungit, quòd multa alia à vero sint abhorrentia, quæ Balsamon in Meleta seu Dissertatione de Patriarcharum privilegiis T. I. lib. VII Juris Græco-Romani effudit. Libro verò III Variarum c. 10. p. 400 ait Gretserus: *quos verò Balsamon in Canonem 83 Trullanum perstringit, nisi Latinos his verbis?* EOS MALE FACERE ARBITROR, QUI IN ECCLESIA COLUMBAS EMITTUNT PRO S. SPIRITUS ADVENTU: ET QUI PRO ILLA STELLA, QUÆ MODO NOVO APPARUERAT, ET ERAT ADMIRABILIS, CEREOS ACCENDUNT; ET QUI ARCANAM ET SALUTAREM DOMINI ET DEI ET SERVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI GENERATIONEM THORO STRATO EXPRIMUNT, ET QUÆ SUNT SUPRA RATIONEM, ET MENTIS COGITATIONEM, HUMANIS STUDIIS DESCRIBUNT. Scilicet, subdit Gretserus, sine Balsamonis permissu Latinis nefas erat die Pentecostes columbam, Spiritûs S. significandi gratiâ, ex suprema templi parte demittere, vel die natali Domini præsepe excitare, & per illud Christi Domini nativitatem repræsentare. Nec illud de accensis cereis sine ratione fit, ubi fit in memoriam stellæ, quæ Christo nato

apparuit, quidquid Balſamon contrà mutiat. Ita Gretſerus, qui inſuper T. XV novæ Editionis p. 509 in Vta animadverſione ad Hiſtoriam Cantacuzeni de Conjugio Sacerdotum Græcorum Balſamonem ſeu fraudis ſeu inſcitiæ arguit, quòd Canonem tertium Synodi Nicænæ, qui omnes mulieres extraneas illimitatè excludit, ipſe ad mulieres non uxores reſtringat. Admittit tamen idem Gretſerus l. III Var. p. 391. 392 c. 10, quòd aliqua non ſpernenda v. g. de Monachorum, Clericorum, monialiúmque veſtitu etiam in Balſamone reperiantur.

Denique Leo Allatius l. c. Lib. I. c. 13. n. 1. & c. 19. n. 4. oſtendit, à Balſamone falſa venditari pro veris: aliam verò ejus impudentiam, mendacium, ridiculásque aſſertiones confutat Allatius l. c. c. 19. n. 7. p. 290. Primus etiam, ſolúsque è Græcis eouſque fuerat Balſamon, qui (ùt teſtatur Gregorius Protoſyncellus apud Allatium l. 2. c. 9. n. 3. p. 618.) *Hæreticos* compellare Latinos ſit auſus, ceteris refragantibus Græcis, quantumvis Schiſmaticis, ùt liquet ex Synchrono Scriptore Demetrio Chomateno apud Allatium l. c. p. 619. Imò nec apud peritiores Græcos nimiam fuiſſe Balſamonis auctoritatem, ex Joanne Cytrio, Scriptore contemporaneo, diſcimus; hic enim in reſponſionibus ad Conſtantinum Cabaſilam (Vid. Allat. l. c. p. 620.) ita de Balſamone pronunciat: Magnus quidem erat Civilium & Canonicarum conſtitutionum veterator, & ab omnibus in his celebratus; ejus autem Scripta, quæ ad Canonica & civilia lemmata ſunt edita, non in omnibus, quod mirum eſt, accurationem habere cernuntur; ſed velut ex oblivione maximè, & inconſiderantiâ procedentia, alibi etiam in ſe ipſis diviſa. Nec de eo dubitet, qui diligenter conſiderârit, inveniens ejus ſcripta, diligentiæ non reſpondentia. Ego autem etiam illo vivo multos audivi Conſtantinopoli Jurisperitos, qui quasdam Viri illius opiniones reprehenderent, quòd non eſſent rectè prolatæ in canonum & legum interpretationibus, & aliis hujusmodi voluminibus. Reſtat igitur, ut veriſimili ratione dicamus, prædicta Scripta ab eo legi oportere, qui exactè jurisprudentiæ multiplicitatem novit, & in variis canonicorum textuum anfractibus doctè exercitatus eſt. Talis vir accuratè ſciet, quid extra reprehenſionem, quid non eo modo ſcriptum appareat. Eum ſanè, qui tali non glorietur experientia, nullo modo cum iis congredi oportet, ne, rudium mercatorum more, in auri & argenti ſpeciem habentibus & ſubæratis & ſtanneis negotians, æquo cum aureis & argenteis pretio, damnum & in ipſa ſorte ſuſtineat. Ita Cytrius.

BALUZIUS

BALUZIUS Stephanus, Presbyter Gallus, Tutelæ ſive Tulli inter Lemovicos natus an. 1631, initiô Bibliothecarium egit Colberti, Miniſtri Gallici, poſtea Juris Canonici Profeſſor, & regalis Collegii Director, demum ob Diploma quoddam, quod in ſtirpis Bullionicæ gratiam adverſus Parlamenti ſententiam propugnaverat, Pariſiis excedere juſſus, optimè quidem de re antiquaria meruit per veterum auctorum ac monumentorum collectiones, ac præcipuè per Regum Francorum Capitularia, duobus Tomis comprehenſa; aſt nimium illius cum heterodoxo Polyhiſtore Conringio Epiſtolare commercium haud dubiè illius animo labem afflavit, quæ demum in ejus pariter calamum ſeſe effudit, & incautum potiùs Scriptorem, quàm genuinæ veritatis aſſertorem, qualis à Conringio præpoſterè laudatur, demonſtravit. Inde profectò contigit, ut Baluzii geſta de Pontificibus: Cardinalium Faſti ad annum uſque 1707: ejusdem itidem partus de Concordia Imperii & Sacerdotii, in Romano Indice de annis 1681. 1709. 1716. 1752. deteriorem notam incurrerint. Vid. noviſs. Ind. p. 82. verbô: *Concordia:* p. 393 verbô: *Stephani Baluzii:* p. 436: verbô: *Vitæ Paparum Avenionenſium.* Neque meliorem locum aut mitius fatum ſibi re ipſa expoſceret ejusdem Baluzii in Capitularia Francica licentior ſanè præfatio: qua de re, uti & de Baluzio, Viro aliàs pererudito atque induſtrio, uberiùs conſuli poteſt P. Schwarz P. III. Colleg. à p. 313 ad 319. Pariſios denique ex Lugdunenſi exilio redux Baluzius, poſt Ludovici XIV deceſſum, ibidem prope nonagenarius vitam poſuit a. 1718. 18. Julii. BALUZIUS

BARONIUS Cæſar, S. R. E. Cardinalis & Romanæ Congregationis Oratorii Presbyter eruditiſſimus, ac meritò *Annalium Eccleſiaſticorum Parens* à doctiſſimis quibusque nuncupatus, quantum & orthodoxam fidem & ipſam veritatis puritatem tum per Martyrologium Romanum tum ac præcipuè per Annales Eccleſiaſticos illuſtrare ſtuduerit, adeò res ipſa loquitur, ut tutò ab ejuſdem encomiis ſuperſedere hìc poſſim. Videri de his poterunt Poſſevinus tam in Apparatu Sacro, verbô: *Cæſar Baronius*: quàm in Bibliotheca ſelecta de ratione ſtudiorum l. 16. de Hiſtoricis c. 47. p. 391. Hagiographi Antverpienſes T. VII. Maij in Paralip p. 103. col. 1. n. 5. & 6. & p. 14. col. 2. Propyleum Maij p. 3. n. 10. 11. in præfatione ad Conatum. T. I. Martii in præfatione vitæ Bollandi n. 41. Papebrochius in reſponſ. contra P. F. Sebaſt. à S. Paulo P. I. Art. VIII à n. 19. pag. 193. Graveſonius P. II Tomo VIII Colloq. V. p. m. 164 & ipſum Sixti V. teſtimonium laudatiſſimum, quod Baronii Annalibus inſertum legitur. Quanta verò BARONIUS

Imp. p. 47. 2dò. Annales Politico-Eccleſiaſticos, quorum tres Tomi in folio majore Roterodami a. 1706. lucem aſpexêre. Quid de Scriptoris hujus & Baroniani Cenſoris fide & auctoritate ſit ſtatuendum, pluribus in locis Antverpienſia SS. Acta nos docent. Sic v.g. Cuperus noſter in Hiſtoria Chronologica Patriarcharum C.P. T.I. Aug. p. 105. n. 610. Baſnagianam Hiſtoriam Eccleſiaſticam *mendaciis refertam* aſſerit. Sic Tomo IV Septemb. p. 661 ejuſdem Baſnagii *mala fides, atque mendacium* arguitur. Sic T. VI. Sept. à p. 202 ad 205 Stiltingus noſter Baſnagii temeritatem prolixè ſolidéque caſtigat, utpote qui S. Matthæi Evangelium ab eodem hebraicè ſcriptum contra plurium graviſſimorum teſtium Sanctorúmque Patrum teſtimonia putidè frivoléque negavit. Du-Meſnilius verò noſter, cùm Tomo II de Doctrina & Diſciplina Eccleſiæ Epheſini Concilii Acta copioſiùs ſinceriúsque expoſuiſſet, non aliam prolixitatis ſuæ rationem reddit, quàm malam Baſnagii fidem, qui Concilii hujus geſta perverterit ac infideliùs recitârit. Præterea Pinius noſter T. IV. Aug. p. 558. n. 9. Topographiæ Haſſicæ imperitiam Baſnagio improperat, qui Altenburgenſem Præmonſtratenſium Virginum Parthenonem, in Haſſia ſitum & Wezlariæ vicinum (ad quem B. Gertrudis à S. Matre Eliſabetha Thuringica fuerat translata) cum Synonymo Virorum Benedictinorum in Brugenſi Flandria cœnobio malè confudit. Tam Exercitationes hiſtorico-Criticæ, quàm Annales Politico-Eccleſiaſtici, à Baſnagio editi, in librorum prohibitorum Indice extant. Vid. noviſs. Ind. p. 140. & 375. Denique cum ejuſdem Baſnagii notis Henrici Caniſii Lectiones Antiquæ in Tres Tomos reductæ Amſtelodami an. 1715 prodiêre.

BECANUS ſeu DE BEKKA. BECANUS ſeu DE BEKKA Joannes, Canonicus Ultrajectinus, Sec. XIV. Scriptor, Chronicon lucubravit Epiſcoporum Ultrajectenſium à S. Willibrordo ſive à Sec. VIII. uſque ad an. 1346, illúdque dedicavit Joanni Epiſcopo Ultrajectino, & Wilhelmo Duci Palatino, ſive Principi Hollandenſis Provinciæ. Cetera, quæ ab an. 1346 uſque ad an. 1393 continuantur, non Becano, ſed aliis, haud minoris tamen auctoritatis, ſcriptoribus coætaneis deberi, abunde probavit noſter Conradus Janningus T. VII. Junii P. II. ſupplem. ad menſem Junium p. 175. 176. in peculiari Diſquiſitione in Chronicon Joannis de Beka. De *Buchelio*, Becani Scholiaſte, Vide: *Buchelius* :

BEDA BEDA Venerabilis, Seculi VIII. Scriptor Anglicanus, præter Hiſtoriam Eccleſiaſticam Anglicanam, & alia complura concinnavit Martyrologium, quod à multis pridem fuerit quæſitum, à nemine verò

verò detectum uſque ad an. 1668 : dum tandem Papebrochius noſter illud ex octo antiquis MSS. erutum, in Actis SS. Tomo II Martii feliciter produxiſſet. Illud enim, quod ſub Bedæ nomine Plantinianis typis a. 1564. Antverpiæ fuerat excuſum, & tam à Baronio in notis ad Martyrologium Romanum, quàm ab aliis paſſim conſueverat allegari, genuinum neutiquam eſſe, ſed non ita pridem ex Adonis Martyrolgio compilatum, & quibusdam etiam ex Rabani Martyrologio recentioribus Sanctis fuiſſe adauctum, idem Papebrochius cit. Tomo Martii in Præfatione ad Genuinum Bedam num. XIV, atque in Reſponſ. contra P. F. Sebaſt. à S. Paulo P. II. Art. XXIII. n. 54. oſtendit. Præterea (ùt mox laudatus Hagiographus P. II. Reſp. Art. XVIII. §. 1. n. 6. obſervat) primus equidem fuerat Beda, qui tale Martyrologii genus inchoârit, in quo non ſolùm pauci quippiam ſelectiores Martyres cum nudo eorundem nomine, loco, & die paſſionis (prout in Hieronymi Martyrologio factum, & eouſque in Romana Eccleſia fuerat uſitatum) ſed etiam cum brevi eorum, quorum paſſiones deſcriptæ extabant, elogio nominarentur. Verùm cùm imperfectum illud Opus dimiſerit Beda, Florus quidem, Lugdunenſis Diaconus, vacantes in eo complures dies aliquatenus ſupplere ſtuduit : ſtuduerunt & alii : aſt ceteris multò feliciùs negotium abſolvit & totius anni circulum complevit Uſuardus, Pariſinus ad S. Germanum Pratenſem Monachus Benedictinus, recentis Martyrologii conditor, quod an. 875. Carolo Calvo inſcripſit, ita ubique probatum, ut ab omnibus ferme Eccleſiis, etiam Romana, uſque ad finem Seculi XV. aliud jam nullum, quàm Uſuardinum legeretur.

Porro ſicut genuinum Bedæ Martyrologium paſſim ab Hagiographis noſtris laudatur in Menſibus Aprili, Majo &c. ita pariter illius, quod Bedæ ſuppoſtum, ſub Bedæ ſuppoſititii nomine ſæpiùs meminêre; quod ùtùt non modicæ fidei ob Adonis & Rabani auctoritatem debeat exiſtimari, longè tamen minoris ab illis habetur, quàm quod genuinus Beda conſcripſit. Quantum enim Beda verus à ſpurio, ejusdem editiones recentiores ab ipſomet Veteri autographo diſtent, partim Tomo II. Martii in Præf. cit. & T. III. April. p. 745. n. 2. & 3. partim T. IV. Aug. p. 97. n. 4. manifeſtum ſe facit. Sic in Beda recentiore fit mentio SS. Leovigildi & Chriſtophori, cùm tamen mors Bedæ plus quàm centum annis illorum paſſionem præceſſerit, ùt cit. T. Aug. noſtri Hagiographi notant. Collectanea, quæ operibus Bedæ ſolent adjungi, Bellarmino judice, nihil ferè habent, quod Bedæ ſit ingenio dignum. Vid *Bellarm.* de Script. Eccleſ. *Papebrochius* T. I. Maij in Ephemerid. Græco-Moſcis pag. VIII. col. 1. ab init.

De Martyrologio Bedæ & Flori conſuli etiam poterit *Sollerius T. VI. Junii* in Præfatione ad Uſuardum pag. XIII toto Articulo II.

ELLAR-INUS

BELLARMINUS Robertus S. J. & S. R. E. Cardinalis, quantum de Eccleſia per ſuas lucubrationes meruerit, opus haud eſt, ut pluribûs probatum hìc eam. Videri poterunt ejus opera atque Encomia apud Southwellum noſtrum in Biblioth. Scriptorum Soc. noſtræ, verbô: *Bellarminus.* Calumnias verò, quibus illius probitatem, candorem, ac eruditionem tum ſui, tum noſtri ſeculi Conviciatores Acatholici temerè laceſſivere, non modò Gretſerus noſter integris duobus Tomis (quos Defenſionem Bellarminianam inſcripſit) item in vindiciis Bellarminianis adverſus miniſtellum Zephyrium: ſed & alii inſignes biographi, & Hiſtoriæ Societatis Scriptores, oculati ſimul ac contemporanei teſtes, ipſa denique recentior authenticáque de Purpurati hujus Scriptoris meritis Virtutibúſque Relatio, ſeptennio abhinc ab Em. Card. Cavalchino ad Sedem Pontificiam facta, ſatis ſupérque jam confutârunt. Quòd ſi autem de præpoſtero partium Pontificiarum ſtudio Bellarminum quis arguere auſit (id quod præcipuè heterodoxi faciunt) ex eorum hominum claſſe ii eſſe noſcuntur, qui ſiniſtris adverſus ipſummet Romanum Pontificem præjudiciis toti quanti jam antè laborent, quàm de Orthodoxo Scriptore congruam ferre ſententiam poſſint. Unde qui Romanam Eccleſiam odit, Scriptorem quoque Romanum non odiſſe vix poteſt; ſed & hoc ipſum vatinianum odium nihil aliud facit, quàm ut abſona novatorum de Bellarmino judicia à cordato eruditóque lectore rectiùs contemni debeant quàm refutari. Conſultiùs ille egerit ſolus, qui magis in id unum incumbat, ut Bellarmini argumentis ſolidè reſpondeat, quàm ut Bellarmini doctrinæ ſuccenſeat. Illud mirandum, quòd Conringius, Bellarmini aliàs inſectator & hoſtis acerrimus, ſaltem Tomo II. Operum p. 626. eundem ab *Eximio de Scriptoribus Eccleſiaſticis libro* dilaudârit.

Auſus quidem eſt Nicolaus Comnenus Papadopolus, Doctor Patavinus, in Prænotationibus Myſtagogicis, quas Patavii an. 1697 edidit, Bellarminum plagii cujusdam arguere, utpote qui in quæſtione (quòd miracula ab hæreticis fieri non poſſint ad confirmandum errorem) quæpiam in rem ſuam ex Beſſarione exſcripſerit, *diſſimulato Beſſarionis nomine, ne quid Græco tribueret, qui tamen à Græco amico Andrea Evdemon-Joanne plurimum opis atque auxilii ſemper accepit.* Sed rectè Papadopolo reſpondet Cuperus noſter T. I. Aug. in Hiſt. Chronolog. p. 213. n. 1283: *hac clauſulâ Græcus diſputator perperam perſtringit Bellarminum, tanquam plagiarium, & ingratum erga Græcos, cùm toti orbi notum ſit,*

hunc

hunc Eminentiſſimum Virum ea pietate fuiſſe præditum, ut ab hujusmodi vitiis eſſet alieniſſimus: ea quoque eruditione, ut facilè per ſe poſſet adire eosdem fontes, ex quibus Beſſarion ſua argumenta hauſerat. Idem verò, quod Cuperus Papadopolo Græco, ego pariter reſpondere potero Graveſonio Gallo, qui P. H. Hiſt. Eccl. T. VII. Colloq. V. p. m. 167. ubi de Genebrardo agit, mox ſubjungit, quòd *Bellarminus plurima hauſerit ex Genebrardo, & in ſuos Commentarios de Pſalmis derivârit:* quaſi verò neſciêrit Graveſonius, 1ò. quòd Genebrardus & Bellarminus contemporanei, & Bellarminus quinque ſolummodo annorum ætate inferior fuerit Genebrardo. 2dò. Quòd eosdem fontes conſulere potuerit Bellarminus, quos Genebrardus; neque enim in ſcrutandis Auctoribus minùs induſtrius fuit Bellarminus, quàm Genebrardus. Neque, ùt opinor, tanta Bellarmino videri potuit recentiſſima Genebrardi, coætanei ſui, auctoritas, ut inde mox Commentarium ſuum ſit exſcribere auſus. Antiquiores itaque uterque auctores conſuluit, & hinc ambo non parùm convenêre: eſto, quòd Commentarius Genebrardi citiùs prodiêrit, quàm Bellarmini. Demum ait Bellarminus in præfatione ad Clementem VIII, quòd *propriâ potiùs quàm multa librorum lectione* hunc Commentarium compoſuerit.

BENNO Pſeudo-Cardinalis (quem cum Guiberto Ravennatenſi imperitè confundit Menkenius in Lexico Eruditorum) juratus S. Gregorii VII hoſtis, ejusdémque Guiberti Antipapæ ſive Pſeudo-Clementis III individuus aſſecla, creatus eſt (ſi famæ credimus) ab eodem Pſeudo-Clemente Cardinalis, tali ſcilicet creatore digniſſimus. Quantis verò de S. Gregorii VII vita mendaciis ſchiſmaticum & heterodoxum orbem (orthodoxus enim nec credidit unquam, nec credet) hucusque nutriêrit atque ingurgitaverit Benno, manifeſtum fecêre ex RR. *Bellarminus* l. IV de Rom. Pont. c. 13. *Gretſerus* tum in Apologia pro Gregorio VII, quam in prima editione mox Tomo II Defenſionis Bellarminianæ ſubjunxit: tum in Examine Myſterii Pleſſ. & l. 1. contra Replic. c. VII. *Chriſt. Lupus* T. VI. Comment. in Concilia p. 50. 60. 238. *Nat. Alex.* T. VI Hiſt. Eccl. ad Sec. XI. Diſſert. II Art. XII. ubi ſaltem contra Bennonis figmenta impudentiſſima Gregorius defenditur, licèt aliàs in hunc ipſum Pontificem integerrimum iniquiore calamo ſuo non parùm peccârit Alexander, ùt alibi dictum. Denique præter alios Card. *Gotti* in Colloquiis Theologico-Polemicis & Gregorii VII Vindiciis. Hisce verò Recentioribus Gregorii Hyperaſpiſtis dudum præluxêre teſtes Scriptorésque contemporanei, inter quos *S. Anſelmus* Lucenſis libris duobus contra Guiber- BENNO.

tum Anti-Papam apud Caniſium T. VI. Antiq. Lect. *Stephanus* Halberſtadenſis Ep. in Epiſt. ad Waltramum Ep. Naumburgenſem: item biographi ejusdem *S. Anſelmi*, *S. Gebhardi* & *B. Tiemonis* Archiep. Salisb. *S. Altmanni* Ep. Paſſav. apud Tegnagelium inter monumenta Vetera à Gretſero anno 1612 Ingolſtadii edita: *Paulus* Bernried. in Vita Gregorii VII per Gretſerum anno 1610 notîs illuſtrata: *Bertoldus* Conſtantienſis tam in Chronico ſuo, quàm in peculiari Opuſculo de vitanda excommunicatorum Communione, apud eundem Tegnagelium: *Lambert.* Schaffnab. in Chron. *Gerohus* Præpoſitus Reicherſperg. tum in Chronico, tum in Syntagmate de Henrico IV & V. Imp. & Gregorio VII, quod Gretſerus anno 1611 unà cum ineptiis Annæ Comnenæ à ſe confutatis publicavit: *Hugo* Flavin. in Chron. Virdun. *Domnizo* in Poëmate. *Marianus* Scotus in Chron. & *Dodechinus* hujus Continuator, omnes Scriptores Synchroni: *Otho* denique Friſing: L. VI Chron. c. 32. 34 & 36. Confer. etiam *Acta SS.* Propyl. Maji p. 177. col. 2. n. 4. T. VI. Maji ad diem XXV in vita S. Greg. VII. *Proſper Lambert.* L. I. cap. XLI §. 10. de Serv. DEI beatific. & Beatorum Canoniz. *Saudin.* in Vita Gregor. VII. n. 2 & 5. P. Schwarz P. III. Colleg. Q. V. §. V.

Ceterùm mihi præplacet, quod Bellarminus l. c. de hoc Bennone judicium tulit: " Ego, inquit, librum hujus Bennonis legens, & " impudentiſſimorum mendaciorum pleniſſimum inveniens, alterum " è duobus mihi perſuaſi: aut reverà nihil tale eo tempore ſcripſiſſe " Bennonem, ſed aliquem Lutheranum eſſe hujus libri Authorem, " qui eum ſub Bennonis titulo ediderit, aut Bennonem illum non " tam ſcripſiſſe vitam Gregorii VII, quàm ſub nomine Gregorii vo- " luiſſe depingere ideam peſſimi Pontificis, ad eum modum, quo " Xenophon ſcripſit vitam Cyri, qui non tam narravit, quid Cyrus " egerit, quàam quid agere debeat optimus Princeps. " Et ſanè parùm veroſimile videtur, ullum uſpiam Gregorii VII tempore extitiſſe Bennonom Cardinalem Schiſmaticum, aut ſi extiterit, & ſcripſerit, tam protervè fuiſſe mentitum. Quis enim per V. prope Secula hujus Pſeudo-Cardinalis meminit, aut illius nomen vel ſatyram vel verbulô tenus expreſſit, antequam Lutherus orthodoxam Germaniam unà cum Pontifice perſequeretur? quis Gregorii VII tempore vel minimam eorum criminum partem objectavit Gregorio, quæ Benno perſonatus objectat? nemo certè de Scriptoribus Synchronis, quos ſuprà nominavimus: nemo Imperatorum, aut Principum, etſi à Pontifice diſſiderent. Quis verò ſibi perſuadeat, Henricum IV nullo retorſionis jure uſurum, neque ſua Gregorio flagitia improperaturum,

rum, ſi in eodem, quo Imperator, luto ipſemet Gregorius hæſit? Aut quâ præſidentiâ & Imperatoriæ emendationis ſpe ita in Henricum animadvertere poterat Gregorius, ſi talis ipſe Pontifex fuerat, qualem Benno larvatus effinxit? Imò quô pactô Benno Schiſmaticus Scriptorque Germanus (Bennonis enim nomen Saxonicum eſt, ùt Eruditi nôrunt, & vel ſola Bennonis Saxoniæ Ducis, anno 1012 defuncti, item S. Bennonis, Miſnenſis Epiſcopi, Henricis pariter contemporanei, nomenclatio docet) adeò propriæ ſuæ famæ potuit aut voluit obliviſci, ut ea Gregorio affingeret, quæ propediem à teſtibus oculatis & Synchronis non ſine palmari Bennonis dedecore poſſent refelli? Profectò etiam peſſimus quisque, niſi omnem jam amiſerit frontem, Calumniatoris & mendaciſſimi impoſtoris notam publicam horret, aut certè ſuum nomen propalare vix audet, præcipuè ubi Cardinalitia dignitas (quantumvis ſpuria) Scriptorem etiam Schiſmaticum ornat. Multò itaque veriùs exiſtimaverim, aut nullum unquam Bennonem Pſeudo-Cardinalem vixiſſe: aut ſi vixerit: ſimilia nunquam ſcripſiſſe. Sub adſcititio Bennonis nomine recentior longè tenebrio latet, qui vel ex ſuo cerebro ad Romanæ Sedis opprobrium totam illam laciniam conſinxerit, vel ex Schiſmaticorum veterum Schediaſmatis, unde unde collectis, fabulam conſârcinâ-rit ſimúlque interpolamentis & additamentîs novîs adauxerit, atque, ut auctoritatem conviciis pareret, ipſummet excogitati Bennonis Cardinalitium nomen hederæ locò in libri fronte ſuſpenderit. Prodiit hic Cento primùm per Flaccum Illyricum, dein per Reineccium, & Wolffium, demum per Goldaſtum, ſeu Haiminsfeldium, Acatholicos omnes: de quibus vide *Gretſ.* l. 1. contra Replic. c. VII.

Noſter quidem Janningus T. VI Junii p. 198, etſi hunc Bennonem *Scriptorem fallaciſſimum & mendaciſſimum, hominem turpiter Schiſmaticum, & Gregorii Papæ VII Romanæque Eccleſiæ infenſiſſimum hoſtem* compellet, nihilominus pro definiendo Alexandri II obitûs die, de quo antea diſputaverat, Bennonis teſtimonium velut decretorium adhibet, aſſerens: *vix credibile*, Bennonem *in re adeò indifferenti, deſignando horam diei, quâ mortuus ſit Alexander, mentiri voluiſſe absque ſpe ullius in rem ſuam utilitatis.* Rectè id quidem Janningus, ſi ea ætate jam vixerit Benno: de quo tamen nemo antiquior teſtimonium feret. Potuit autem etiam Pſeudo-Benno, ſive recentior Bennonis figulus eundem obitûs Pontificii diem aliunde ex charta veteri eruere, eúmque paginis ſuis datâ operâ inſerere, ut ſic expeditiùs etiam reliqua ſatyra Auctorem Synchronum mentiretur.

BIVARIUS

BIVARIUS Franciſcus, Ord. Ciſterc. Scriptor Hiſpanus, qui anno 1636 è vita diſceſſit, tum Sanctorum quorumpiam Vitas, tum Apologeticum pro Dextri Chronico edidit. Aſt quòd nullam aut modicam hic Auctor inveniat fidem ſive in Sanctis quibusdam, Hiſpaniæ adſcribendis, ſive in Dextri Chronico propugnando: non modò teſtantur Hagiographi noſtri T. IV Aug. p. 429 & alibi ſæpiùs, ſed & Nicolaus Antonius, Hiſpanus pariter Scriptor eruditiſſimus, cujus de Bivario Cenſuram iidem Hagiographi exhibent T. II. Sept. p. 509. §. 11. Certè, quòd Chronicon Dextri ad meriſſima figmenta pertineat, omnibus hodie eruditis plus quàm notiſſimum eſt. Vid. etiam *Labbe* T. II. Script. Eccl. p. 331. 332 de Bivario, & Dextri Chronico.

BOEHMERUS

BOEHMERUS Juſtus Henningius, Halæ Magdeburgicæ Profeſſor Acatholicus, magni quidem nominis literator & Juris-Conſultus nuncupatur & laudatur à multis; aſt hominis in ſcripturiendo malignitatem mendaciſſimam aut penitius non inſpexiſſe, aut vecorditer diſſimulâſſe hi laudatores videntur. Edidit inter alia (qualia ſunt Tomi V. Juris Eccleſiaſtici Proteſtantium, & ipſum Corpus Juris, novo ordine pro indagantium facilitate digeſtum) 1mo *Inſtitutiones Juris Canonici tum Eccleſiaſtici, tum Pontificii ad methodum Decretalium, nec non ad fora Catholicorum, atque Proteſtantium compoſitas, & an.* 1738 *typis Halenſibus datas.* Sed mira ſanè hujus Juris pro Catholicorum ac Proteſtantium foris compoſitio! nam veritatis cum falſitate commiſtio, ſuccíque optimi per venena corruptio cuilibet verè orthodoxo quamprimùm ſe prodit, ubi fœtum ritè inſpexerit. Atque ut ex ungue Leonem, ſeu veriùs ex ſibilo anguem agnoſcas, mox in ipſa Præfatione de ratione methodi §. 3 & 4. ferocientem indolem Böhmerus expandit. Ait enim: " Juris Canonici collectionis eſt ea-
" dem (quæ Juris Romani ſive Juſtinianei) ſi non major, ratio;
" quippe quæ æmula compilationis Romanarum legum fuit, ut no-
" vum hoc Regnum, quod Pontifex Romæ exædificare, & ad ſu-
" premum apicem perducere jam dudum in animum induxerat, iis
" principiis inſtrueretur, ſub quibus tanquam ſolidiſſimis fulcris hæc
" *turgidiſſima* moles, quæ antiqui Imperii limites dudum ſuperaverat,
" ſuſtineri & conſervari poſſet. Hic ut obtineretur ſcopus, poſt
" mille annorum lapſum nova juris publici Papalis jacienda erant fun-
" damenta: *commentum duplicis gladii jingulorum animis, ſuperſtitione pe-*
" *nitus obductis, inſinuandum*, & ita tam *enormis & exorbitans* poteſtas ei
" ab aſſeclis attribuenda erat, ut in Eccleſiaſticis cauſis dirimendis *Si-*
" *tis ejus exſtingui non poſſet*, ſed quarumcunque cauſarum civilium arbitrium

" bitrium ſupremum ſibi appropriare, & quarumcunque *rerum publi-*
" *carum libertatem ſupprimere*, pedóque ſuo earum imperantes ſubijce-
" re conaretur. Et quidem res ex voto ei ceſſit, ut leges quibuſcun-
" que cauſis præſcripſerit, nihílque in omni jurium parte intactum
" reliquerit, ſed cauſas pariter publicas ac privatas, ſeculares & Ec-
" cleſiaſticas ſub ſuam cenſuram redegerit, denique *paraſiti Curiæ Ro-*
" *manæ* haud erubuerint, *hoc novæ & inuſitatæ poteſtatis monſtrum* huic
" verſiculo includere: *Rex ego ſum Regum, mea lex eſt maxima legum:*
" *Te facio Regem, tu rectam dilige legem.* Hoc dogmate infauſto *inſtru-*
" *xerunt quorumcunque imperantium fidem credulam ſub religionis involucro,*
" ut perſuaſiſſimum haberent, omnem regiam poteſtatem Sedi Papali
" accepto ferendam, omnésque ac ſingulos imperantes rationibus ei
" reddendis obnoxios eſſe debere. . . . Quamvis verò *hoc portento-*
" *ſum juris publici Romani ſyſtema* per reformationem Sæculo XVI erum-
" pentem graviſſimam acceperit cladem, & *potentia hæc Papalis omnem*
" *excedens modum* admodum infracta ſit, *ea tamen ſunt Curiæ Romanæ Ar-*
" *tes clandeſtinæ*, ut tempori inſerviendo nullam occaſionem præter-
" mittat, principia, quæ per compilationem Juris Canonici felici-
" bus, ùt putat, auſpiciis ſparſit, in uſum revocandi, & ſicuti *vi*,
" *clam*, vel *precariò* Sedes Papalis tandem immenſæ illius poteſtatis
" culmina occupavit, ita iisdem artibus eadem in priſtinum reſtitue-
" re ſtatum allaboret. Neque ſpes eam fallere poteſt, quamdiu Jus
" utrumque, Eccleſiaſticum & Papale, hoc eſt, integrum jus Cano-
" nicum omnium manibus teritur, & ſub ſchemate Juris communis
" in Academiis tam Catholicorum quàm Proteſtantium, diverſis licèt
" ſtudiis, traditur.

Tum verò in ipſis Inſtitutionibus lib. 1. Tit. I §. 27. pag. 10. ita
" inquit Böhmerus: Ad tantum faſtigium evecta Sacerdotum & in-
" primis Pontificalis poteſtas, ſub extremis ignorantiæ tenebris pro-
" mota, tandem reſtitutis literis optimis, deliquium paſſa, & repur-
" gatis per Lutherum aliósque ſacris effecit, ut plurima Regna & Pro-
" vinciæ in Germania ſe illi ſubducerent, & Eccleſias ab immani hoc
" jugo liberarent, novíque ſyſtematis Eccleſiaſtici fundamenta jace-
" rent, id quod factum eſt per exhibitam in Comitiis Imperii Augu-
" ſtanis a. 1530 Confeſſionem. Lib. III. Tit. XXVII. § 14. p. 451.
de jure ſpolii circa Bona Eccleſiaſticorum ſic cavillatur: " falluntur,
" qui ideò Pontifici jus ſpolii aſſignant, quòd ſit omnium beneficio-
" rum Dominus, & Diſpenſator arbitrarius, adeóque quævis com-
" moda ſibi reſervare queat. *Hæc ἀσύχατα horret Germania, & ridet*
" *Gallia, Italia verò ſola his ineptiis paſcitur.* Lib. V. Tit. VI. §. 1. p.

627. calumniatur Böhmerus Hiſpaniam & Portugalliam, quòd occultè judaizantes in his regnis rogo deſtinentur *ex crudelitate Genti propria.* Eodem Lib. V. Titulo VII. de hæreticis: audaciſſimè mentitur & ſycophantatur, dum perverſiſſima dogmata Orthodoxæ Eccleſiæ " Romanæ hîsce verbis affingit: *Hinc quæ aliàs iure divino prohibita ſunt,* " *in favorem fidei orthodoxæ dominantis permiſſa: quæ voluntaria aliàs ſunt,* " *& libera, in cauſa fidei neceſſaria ſunt, ſi Eccleſiæ expediat: quæ præce-* " *pta legibus divinis & imperata, omni nexu ſoluta ſunt in favorem fidei, ut* " *nec hæreticis fides ſervanda ſit: aliis permiſſa, indulta & conceſſa, pro-* " *hibita ſunt hæreticis ad conſervandam fidei formulariæ integritatem, quam* " *qui non amplectuntur abſolutâ obedientiâ, extorres judicandi: quæ jure di-* " *vino præcepta ſunt, in favorem fidei prohibita cenſenda: quæ aliàs valida,* " *in favorem fidei ſunt nulla: & quæ nulla, valida habenda: & in genere* " *quidvis pium, juſtum, & legitimum cenſetur, quod in favorem orthodoxæ* " *Religionis (prout à Romano Pontifice & Epiſcopis ei unitis firmata eſt) &* " *in odium hæreticorum fit ac ſuſcipitur.* Denique ut alia prætermittam, Lib. V. Tit. XXXII §. 2. p. 689 & 690 ita bacchatur hic Ardelio proteſtanticus: *Nil magis nocuit diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quàm exceſſus in exemtionibus concedendis & reſervatis caſibus augendis. Nil magis ſuperſtitionem promovit, religionémque corrupit, quàm exceſſus Aulæ Romanæ in novis quotidie Ordinibus confirmandis: in indulgentiarum quæſtu ſine ullo rubore exercendo: in diſpenſationibus pro nummis concedendis: in unionibus faciendis, commendis conferendis, & infinitis aliis abuſibus, hinc inde tactis, perpetrandis, ut dicere poſſis,* JUS PONTIFICIUM NIHIL ALIUD ESSE, QUAM COLLECTIONEM INFINITORUM EXCESSUUM AULÆ ROMANÆ. En! qualis in hac nuce malorum & mendaciorum Ilias! quàm bella in hiſce inſtitutionibus Juris Canonici compoſitio pro Catholicorum non minùs quàm Proteſtantium foris! ſcilicet verè Islebica atque Lutherica, neque grates alias promerita, quàm ut inter fœtidæ vetitæque mercis libros proſcriberetur. Vid. noviſs. Ind. Rom. p. 508. verbô: *Juſti Henningii* &c. in appendice de a. 1755.

Edidit 2dò. Böhmerus *Animadverſiones in Claudii Fleurii Inſtitutiones Juris Eccleſiaſtici*, quas a. 1733 Daniel Grueberus iterato prelo ſubjecit, & tum Francofordiæ tum Lipſiæ Erneſtus Grugius venum expoſuit. Sunt autem hæ pariter Animadverſiones malignantis naturæ zizania, ſeminatore ſuo Böhmero, nempe Proteſtantico, digniſſima. Prætereo plura dicacitatis & falſitatis ſpecimina; quæpiam duntaxat attingo. Sic " P. I. cap. I. §. 11. p. 22. lit. q. inquit Böhmerus: non omittenda " quoque erat (à Fleurio) Pontificum Romanorum Seculo XI & XII " indomita imperandi libido, quæ inprimis ſub Gregorio VII erupit,

" quã

" quâ Regum & Epiſcoporum poteſtatem conculcavit. Clementis " III & Urbani II mutuæ concertationes notiſſimæ ſunt. Imò quis " ignorat, hujus aſtutiâ expeditiones in terram ſanctam ſuſceptas " eſſe? quâ eſcâ etiam infiniti Epiſcopi & Prælati capti ſunt, ut cru- " cis ſignum avidè expeterent, ſed ſimul Pontifici Romano anſam " præberent, hiſce abſentibus ſuam poteſtatem augendi. . . Paucis " *primariò indomita Paparum ambitio tot infinitas peperit Decretales.* Ita hic inſanus Zelotes, qui maluit Orientem Chriſtianum in Turcarum manibus relinqui, quàm Cruciatas expeditiones Pontificis hortatu illuc inſtitui. Cap. I. §. 12. p. 23. & 24 lit. r. ipſummet Fleurium, qui Pontificum in jure Romano peritiam laudârat, ita perſtringit peſ- " ſimus Scholiaſtes: ſine ullo poteſt oſtendi negotio, Papas in deci- " dendis litibus, quæ ex jure Romano naſcebantur, ſemper ferè la- " pſos fuiſſe, quod non adeò mirandum, dum ſolidis juris Romani " fundamentis deſtituti fuêre. Magis ergo corruperunt hujus diſci- " plinam, quàm illuſtrârunt; & tamen eorum auctoritas effecit, ut " his erroribus etiam tritura forenſis fuerit infecta. Cap. I. §. 16. lit. x. p. 28. de Divo Thoma Aquinate hoc Scholion addit: *Thomas Aquinas ſubtilitate omnes ſuperare ſtuduit, inanibúsque obſervationibus omnia fœdavit. Hinc corruptelæ novæ eo tempore Eccleſiam infecerunt v. g. quòd calix laicis ſubtractus, auricularis confeſſio ſtabilita &c. Unde tanquam ex equo Trojano novæ propulluldrunt jura.* Ita nempe dc Aquinate herì natus Böhmerus: quaſi orbis orthodoxus & literatus neſciret, tantum ab Aquinate diſtare Böhmerum, quantum lippus aut luſcus ab Argo, & ſtellæ fatuæ à veris. Cap. VI. §. 1. lit. k. p. 81. de Lectoris, Exorciſtæ, & Acolythi ordine atque officio hanc criſin ſubiicit: *Non ergo alia de cauſa retinentur hi Ordines, quàm ut copia ſemper adſit, plures faciendi Clericos otioſos ſine titulo & officio vero, à quo more abhorruit priſca Eccleſiæ diſciplina.* Rectiùs nempe juxta Böhmerum facerent hi Clerici, ſi ex Clericis otioſis ſecundum Evangelium Proteſtanticum fierent Patres negotioſi, atque ex titulo & officio Patris *multiplicarent gentem*, etſi *non magnificarent lætitiam*, ùt Pſalmiſta inquit. Cap. XI. §. 1. p. 136. lit. l. de Epiſcoporum conſecratione: poſtquam juramentum fidelitatis, ab Electis Epiſcopis Apoſtolicæ Sedi præſtari ſolitum & XIV. hujus juramenti articulos recenſuerat Böhmerus, poſthæc ſubjungit: *qua conſcientiâ verò hæc capita juramenti ab Electis in uſum deducantur, aut deduci poſſint, non ſatis capio, præſertim, ſi juramentum, quod intuitu regalium, quibus à Cæſare & Regibus inveſtiuntur, præſtant, conſidero.* Aſt opus haud eſt, ut Böhmerus id capiat: ſufficit, quòd orthodoxi id capiant; quamvis & Böhmerus illud capere poterat, ſi voluiſſet. Illud potiùs difficile

ficile captu eſt, quomodò ſcioli & zoili protestantici de rebus Pontificiis & Eccleſiaſticis ſcribillare præſumant, quarum prima propè elementa ignorant, & ſicut ipſimet Catholicorum fora nunquam trivêre, ita non niſi peſſimè in hujuscemodi rebus hallucinari & ineptire coguntur. Cap. XIV. §. 5. p. 164. lit. h. Fleurium, qui Pontificem Romanum, verum Petri Succeſſorem, ideóque *jure Divino* Epiſcoporum Principem & viſibile Eccleſiæ caput aſſeruerat, ita corrigit: *Utrum Romanam Eccleſiam fundaverit Petrus, incertum eſt: Antiochenæ Eccleſiæ fundamenta jacta ſunt ab aliis Act. XI. v. 20. ſeq. Parùm quoque certi aſſerere licet de fundatione Eccleſiæ Alexandrinæ.* Quot apices, tot falſitates, & grandis in Hiſtoria Eccleſiaſtica Böhemeri inſcitia! Taceo cetera Böhmeri deliramenta; ùt cùm *Traditiones Apoſtolicas fulcrum ſiculneum* vocat (P. 1, c. 1. §. 7. pag. 16. lit. h.) cùm Presbyterum & Epiſcopum unum idémque re ipſa eſſe, neque Ordinis dignitate inter ſe differre contendit (p. 56. lit. g. & p. 144. cap. XII. §. 1. lit. q. r.) cùm denique unctionem Epiſcopalem non ex jure divino ſed ex *politicis* Eccleſiæ inſtitutis petendam audacter enunciat. Vid. Cap. XI. p. 139. lit. n. Quòd ſi autem Fleurii Inſtitutiones, etiam ſine notis Böhemerianis, cenſoriam virgam jam incurrêre; quodnam raſtrum, quale lixivium non merebuntur fanatica, quibus illæ adulteratæ nunc ſunt, Böhmeri glóſſemata? *Vid. Indic. Rom.* noviſs. p. 205. 206.

BONFINIUS

Bonfinius Antonius, Italus, Aſculi in Agro Piceno natus, ſed in Aula Mathiæ Hungarorum Regis diu verſatus, & finientis Sæculi XV Scriptor, *varia ſcripſit ſtylo ſatis eleganti*, ut ait Stiltingus noſter: inter quæ præcipuè V. *Decades Rerum Hungaricarum.* uſque ad an. 1495. Vocatur ab eodem Stiltingo T. I. Sept. p. 461. n. 18. 19. in vita S. Stephani Regis, *Scriptor certè diligentiſſimus, qui à factis confingendis longè abfuerit, etſi non æquè à conjecturis alienus fuiſſe videtur.* Nec minùs laudatur Bonfinius à Papebrochio T. V. Junii p. 316. n. V. in vita S. Ladislai Hung. Regis. Nihilominus, Chronotaxin quod attinet, ſicut ceteri Scriptores Hungari, ita etiam Bonfinius minimè accuratos ſe præſtitêre, ùt idem Stiltingus l. c. advertit. Vid. etiam *Labb.* T. I. Script. Eccl. p. 93.

BREVIARIUM

Breviarium ſive Diœceſanum illud ſit, ſive Romanum, quanta polleat fide (ſi facta Hiſtorica, in illo contenta, non niſi Scriptorum teſtiúmque auctoritate nitantur) Vid. Em. Card. *Proſp. Lambert.* L. IV. de Servorum Dei Beatif. P. II. c. 12. n. 15. Conradum *Jenningum* in ſua Apologia, quam pro Actis SS. Ant-

Antverpiæ edidit a. 1695. & Tomo I. Junii præfixit pag. 12. *Papebrochium* in Reſponſ. contra P. F. Sebaſt. à S. Paulo P. II. Art. XVII à p. 332 ad 338. & Art. XXI à n. 32. item in Propyleo Maij p. 52. n. 2. 3. & 4. p. 212. col. 2. de S. Sylveſtro. *Schelſtratium* in Antiquit. Illuſtrata, de Conciliis Diſſert. I. c. 6. *Didacum de Quadros* in Palœſtra Biblica T. II. p. 427. notando II. *Acta SS.* T. I. Aug. p. 428. n. 368. & T. V. Aug. p. 28. n. 91. in vita S. Bartholomæi, ubi ipſe Eminentiſſimus Card. Urſinus (poſtea Benedictus XIII) Breviarium Romanum opinioni ſuæ contrarium minimè admiſit. T. VI. Maij p. 777. n. 13. *Sandinum* in Vita S. Marcellini num. 2. *Van-Caſteel* in Controverſiis Eccleſiaſtico-Hiſtoricis Controv. XXX. p. 354.

Nimirum etſi permagna ſit Breviarii Romani, à Sacra Rituum Congregatione approbati, auctoritas, tanta tamen haud eſt, ut falſum penitus ſubeſſe non poſſit, aut circa quæſtiones hiſtoricas, necdum ſat eliquatas, diſputare piaculum ſit. Sic hodiedum de Conſtantini M. lepra, de Marcellini lapſu & ſynodo Sinueſſana, de Cleti & Anacleti identitate &c. non obſtantibus Breviarii lectionibus, in contrarium diſceptatur: & quæ antehac in Breviario Romano legebatur Catharinæ Senenſis Benincaſia Burgheſiáque nobilitas, poſtmodum ex Urbani VIII Decreto de die 28 Sept. A. 1641 è novis Breviarii Editionibus expungi eſt juſſa. Vid. *Apologiam Anonymi Romano-Catholici* pro Hagiographis Antverpienſibus edita Coloniæ an. 1734 p. 2. 3. 8. 9. Similiter Urbani VIII juſſu è Breviario Romano eliminata eſt damnati Doctoris Pariſini hiſtoria, quæ antehac Lectionibus de D. Brunone fuerat inſerta. Vid. *Van-Caſteel* Controv. XL. p. 479. n. II. Unde & Jacobus Echardus Dominicanus in Bibliotheca Prædicatorum T. II. p. 834. poſtquam prætenſam Catharinæ Senenſis proſapiam ipſemet " confutârat, paulò pòſt ſubjunxit: *Adeò* verum eſt, in hiſce Sanctorum Apotheſeos vel lectionum & officiorum approbationis negotiis ubi nihil apertè reclamat fama, nec communis populorum ab" horret ſenſus, nec ad Viri plurimùm refert ſanctitatem atque com" mendationem, non niſi leviter iſta tractari, fumosásque vel avo" rum imagines vel obſitas parùm iis attendi membranas. *Vid. Apolog.* Colon. mox cit. p. 8. 9. 12.

Longiſſimè verò abſit, ut ex erroribus, qui in Breviarium non minùs, quàm in Martyrologium irrepere poſſunt, in ipſis etiam fidei divinæ negotiis aberrandi periculum bardus quiſpiam. Ariſtarchus Eccleſiæ Romanæ affingere auſit. Multùm enim inter ſe differunt nuda factorum recenſio, & dogmatum credendorum religio; his di-

vina, illis non niſi humana fides debetur. Vid. *Chriſt. Lup.* T. IV. Operum p. 268.

BRUSCHIUS. BRUSCHIUS Caſparus, Schlackenwaldenſis Bohemus, Comes Palatinus Cæſareus, & laureatus Poëta, præter *Epitomen Epiſcopatuum Germaniæ* (Tomo unico comprehenſam) ſcripſit pariter *Centurias de Monaſteriis Germaniæ*: item de *Laureaco veteri* in Norica Civitate: *de Patavio* Germanico, & utriusque loci Archiepiſcopis & Epiſcopis. Aſt malum fuiſſe hiſtoricum, tot fabulæ oſtendunt, quibus V. credulus aut inſincerus ſua ſcripta ad legentium Criticorum nauſeam ſaginavit: ùt jam notârunt Hagiographi noſtri T. III. April. ad diem XXX. in vita S. Hildegardis p. 792. lit. e. ubi *fabulatoris* nomine Bruſchius compellatur. Plures Bruſchii fabulas, & craſſos errores Chronicos partim memorat, partim refutat Pinius noſter T. VI. Aug. à p. 493. in Vita S. Adelindæ, Abbatiſſæ Puchovienſis in Suevia: adeò ut vel ex unica hac vita jam pateat, quòd qui Bruſchium ſibi ducem ſelegerit, ubique eum illo cogatur impingere. Idem fabulatoris, aut certè Viri ad obtruſas ſibi fabulas temerè aſſentientis epiphonema promeruit Bruſchius à Conringio heterodoxo T. II Operum à p. 623 ad 626. Wolffgangus verò Lazius l. XII de Republica Romana cap. V. Sect. VII p. m. 1085. & 1086. non modò ex Hiſtoricorum Albo Bruſchium penitus expungit, ſed & patentiſſimi plagii graviter eundem accuſat: tacito quidem Auctoris nomine, ſed ea plagiarii hujus deſcriptione, ut in Bruſchium, *laureatum* ſcilicet *Poëtam*, & *Germaniæ Monaſteriologum*, mox digitum omnes intendere poſſint. Tractatum ſcilicet de *Veteri Laureaco*, quem ingenti cum labore Lazius conſcripſerat, & prelo proximè jam deſtinaverat, clàm illi ſurripuit Bruſchius, & Baſileenſibus Oporini typis, partum non ſuum; ſuo tamen ſub nomine edere non formidavit Æſopica hæc (ùt à Lazio dicitur) cornicula, ut cùm propriis non poſſet, alienis ſaltem ex plumis laureatas criſtas attollere poſſet. Unde meritò impoſturæ huic ſuccenſuit Lazius, & arrogantis corniculæ fraudem literato orbi detexit. Ceterùm orthodoxus num verè fuerit Bruſchius, an Proteſtanticus, an verò Scepticus ac Protheus, non parùm dubitatur. Eum poſtmodum *quinti Evangelii* (ſive Lutherici) *genio fuiſſe affatum* affirmat Gretſerus in præfatione ad Catalogum Epp. Euſtettenſium, & ex Gretſero Boſchius noſter T. I. Aug. in vita B. Gundecharii Ep. Euſtett. p. 175. n. 1. Inter 1æ Claſſis Scriptores prohibitos numeratur Bruſchius, ùt videre eſt in noviſs. Indic. Rom. p. 158. verbô: *Gaſpar Bruſchius*: item Vid. p. 62.

p. 62. ubi de *Centuria prima* Monaſteriorum Germaniæ pariter prohibita, fit mentio. Obiit Bruſchius an. 1559.

BUCELINUS Gabriel, ſuperioris Sæculi Scriptor Benedictinus Weingartenſis, labore non modico plurima lucubravit, inter quæ *Menologium Benedictinum*: *Nucleus Hiſtoriæ univerſalis, & hujus Auctarium*: *S. R. I. Majeſtas, Sanctitas, Potentia & Nobilitas*: *item tam Germania, quàm Rhoetia Topo-Chrono-Stemmato-Graphica ſacra atque profana &c.* Aſt ex eruditorum judicio non rarò velocior quàm felicior aut veracior in ſcriptionibus ſuis fuit Bucelinus, multa ſcilicet præpropera fide admittens, absque legitimo monumentorum examine, absque teſtium Synchronorum delectu, ſolis potiſſimùm ſive nobilium tabulis commentitiis, atque traditiunculis, ſive recentiorum conjecturis, ſive ſuo criterio, plus æquo innixus. Neque ſolus iſtud in Bucelino Conringius heterodoxus T. II Operum à p. 626 in Diplomatis Ludoviciani Cenſura perſtrinxit, ſed & Papebrochius noſter in Actis SS. T. I. Maji in vita S. Berthæ Abbatiſſæ & Martyris (quæ Avennaci in Diœceſi Remenſi colitur) p. 113 n. 7. de Bucelino, qui erroneum huic Berthæ cœnobium aſſignaverat, iſta ſubnectit: *Trium iſtorum monaſteriorum* (quæ ibidem Papebrochius nominat) *diſcrimen diſcere potuerat Bucelinus ex ipſo, quem citat, Flodoardo, diverſis Capitulis de unoquoque ſucceſſivè locuto: ſi paulò majorem accurationem, quàm feſtinationem libris in publicam lucem producendis adhibuiſſet; quod ſanè inviti reprehendimus: ſed oportet ſubinde hæc animadvertere contra eos, qui moleſtè ferunt, quòd non omnes continuò, quos tales Scriptores admiſère, recipiamus in Ordinem Benedictinum.* Certè de Bertha hac Benedictina Mabillonius ipſe dubitavit, ùt ibidem Papebrochius n. 8. advertit. unde p. 115. lit. o. non immeritò infert Papebrochius, verba illa: *ſicut S. Benedictus præcepit*: quæ in Berthæ Actis, ſeu Veteri Avenacenſi officio (Vid. num. 6.) nunc leguntur, non eſſe niſi merum Benedictini cujusdam gloſſema, hoc unum ſpectantis, ut S. Berthæ, quæ exeunte Seculo VII jam vixerat, Cœnobium jam à primis ſuis exordiis ſub S. Benedicti Regula vixiſſe faciliùs crederetur; cùm tamen & Monaſteria & regulam monaſticam, ambo à S. Benedicti inſtituto diverſa, antehac in Galliis floruiſſe ſit certum. Vid. *Graveſ.* P. 1. T. II. Colloq. VI p. m. 38. 39. 40. Quis enim neſcit S. Germanum, Pariſienſem poſtea Epiſcopum, jam anno circiter 540 Monachis ad S. Symphorianum à S. Nectario Ep. Auguſtodunenſi Abbatem fuiſſe præfectum (ùt ex Venantio Fortunato S. Germani biographo coætaneo liquet) in locum ſcilicet præcedentium Abbatum, qui ibidem floruêre, priùs for- BUCELINUS.

fortaſſe, quàm S. Benedictus naſceretur? Sed & ipſe Monachus Benedictinus San-Germanenſis, qui vitam S. Droctovei, ejusdem S. Germani diſcipuli, ſcripſerat (Vide *Acta SS. ad diem X Martii* & *T. VI. Maji* ad diem XXVIII p. 775. n. 5. 6. 7. ubi Papebrochius textum ex vita S. Germani excerpſit pro vita S. Germani) diſertiſſimis verbis affirmat, quòd S. Germanus *juxta normam Sanctorum Patrum Antonii & Baſilii (nam Sceptriger hujus Ordinis, Beatus ſcilicet Benedictus necdum his erat in partibus notus)* S. Droctoveum *vivens inſtituerit*. Præterea conſtat, quòd in Pariſienſe monaſterium San-Dionyſianum non niſi poſt longam tergiverſationem ſub Ludovico Pio Imp. vix demum Regula S. Benedicti introduci potuerit. Vide *Acta SS. T. 6. Maji* p. 775. 776. n. 5. 6. 7. & *X. Martii* in vita S. Droctovei. Huc profectò quàm optimè facit ipſius doctiſſimi Patris Mabillonii pronunciatum, qui in Præfatione ad Seculum II Benedictinum (Vid. *Graveſ.* P. II. T. VI. Colloq. V. p. m. 156. col. 2) reſpondens iis, qui contra eum querebantur, quòd plures Scriptores Monachos, quos illi Benedictino Ordini vindicandos eſſe cenſebant, ad extraneorum claſſem ablegâſſet, hæc num. VII reponit: *quid attinet, ementitos, & affictitios Ordini Benedictino affingere honores? ne illi ignavam & otioſam familiæ ſuæ expendunt Operam, qui ejus decora immodicis efferunt elogiis: nec tantum perficere in ejus injuriam poſſent injuſti contemptores aut vituperatores, quantum laudatores nimii & præcipites, qui dum laudibus ſine delectu ſtudent, & vera falſis immiſcent, etiam veritatem in diſcrimen adducunt, contingitque illis, ut nec vera dicentibus credatur.* Demum ut ad Bucelinum redeam, ſæpe minùs ad limam eundem ſcripſiſſe, multoties Hagiographi noſtri in ſuis Actis SS. jam obſervârunt v. g. T. I. Maji p. 274 n. 3. in Comm. præv. ad vitam S. Waldeberti. T. IV. Aug p. 470 n. 30 & 37. T. VII Maji in Paralip. p. 91. col. 2. ubi, quæ Bucelinus T. II. Germ. Sacræ & profanæ in Hiſtoria Agilolfingica p. 363 de *Guelforum* Origine narrat, fabulæ veriùs quàm hiſtoriæ videntur affinia.

BUCHELIUS. BUCHELIUS Arnoldus, Juriſconſultus Ultrajectinus & Sec. XVII Scriptor, inter alia edidit notas in Joannem de Becka ſive Becanum, optimi Auctoris peſſimus Scholiaſtes. " Subit mihi mirari (inquit " Cuperus T. IV Julii p. 456. n. 16. ad vitam S. Friderici ultrajecti- " ni Epiſcopi & M.) Arnoldum Buchelium in notis ad Joannem de " Beka p. 26. adeò fuiſſe impudentem, ut poſt talia beati Rabani " (Scriptoris Synchroni) teſtimonia auſus fuerit integerrimam San- " ctiſſimi Viri famam impiè proſcindere, eúmque tanquam diſcor- " diæ fautorem ac Optimorum Principum calumniatorem depingere,

" quem

" quem incauta & malè credula antiquitas inter Sanctos Martyres re-
" tulerit. Omitto reliquas ejusdem hæretici blaſphemias, ne ca-
" tholicas aures offendam. Stultum enimverò hominis ſuperbi di-
" ctum, quo vult aſſertionem ſuam præferre toti antiquitati, quæ
" ipſomet teſte Fredericum inter Sanctos Martyres retulit. Si Bu-
" chelius catholico Sanctorum cultui adverſabatur, debuiſſet vete-
" rum Scriptorum teſtimonio acquieſcere, qui Fredericum Epiſco-
" pum Ultrajectinum ùt Sanctum laudant; debuiſſet etiam aliquid
" deferre conſtanti traditioni Patriæ ſuæ, in qua ipſi heterodoxi Fre-
" dericum ſaltem tanquam Virum probum agnoverunt. Exemplum
" ſumere potuiſſet ab Ubbone Emmio, qui quantumvis hæreſi in-
" fectus, in hiſtoria rerum Friſicarum lib. 5. ad annum 838 ſic mo-
" deſtè (ſi pauca hæretico Spiritu prolata excipias) de Sancto Præ-
" ſule loquitur &c. " Ita Cuperus, qui eodem T. IV Julii p. 655 in vita S. Bernoldi ſeu Bernulphi Ep. Ultraject. n. 4. Buchelium corripit, tum quòd *ubique Sanctorum geſta & cultum arrodat*: tum quòd inſignem commiſerit *oſcitantiam*, ſcribendo, Bernoldi *Sanctimoniam & miracula Molanum latuiſſe*, *accuratiſſimum alioquin talium inquiſitorem*. Et tamen Molanus in natalibus Sanctorum Belgii, bis jam tum in lucem editis, utrumque de Bernoldo ad 19 Julii diſtinctiſſimè ſatisque prolixè teſtatur. Sugillavit itaque Buchelius Pſeudo-Criticus Molanum, quem nequidem inſpexit aut legit.

BURGUNDUS Nicolaus, proximè elapſi Seculi JC. è Belgio ad huiatem Academiam translatus, non modò Brunneri Annales Boicos proſequi, ſed & Ludovici Bavari contra Pontifices Apologetam agere aggreſſus eſt quidem: at non ea conatûs ſui felicitate, ut Domûs Boicæ gratiam inde promeruerit. Unde ad Patrios lares in Belgium redire maluit, quàm ſub offenſo Principe ac Electore Maximiliano I. ſtipendia poſthæc mereri, utpote qui non modò vehementiorem, ſed & ſæpiùs aberrantem Burgundi calamum ſummopere reprobavit. *Vid.* P. Schwarz P. III Colleg. Hiſt. à p. 483 ad 486. Quare nihil orthodoxum Lectorem faſcinare poterunt laudes, quas Conringius, Böhmerus, aliique Romanorum Pontificum hoſtes & dicacitatum Amaſii in Burgundum hunc contulêre. *Vid. P. Schw.* l. c. p. 484 in notis, ubi Conringii & Böhmeri de Burgundo encomia. BURGUNDUS.

BZOVIUS Abrahamus, Ord. Prædic. & Sec. XVII Scriptor (qui anno 1637 obiiſſe ſcribitur) Annales Baronii ad ſua usque tempora per XII Tomos continuavit, quorum Tres ultimi adhuc dicuntur inedi- BZOVIUS.

ti. Graveſonius quidem hos Bzovii Annales tanquam *fœcundiſſimi ingenii monumenta* dilaudat P. III Hiſt. Eccl. T. VIII Colloq. V. p. m. 188; Aſt Theophilus noſter Raynaudus advertit, Opus illud Bzovianum Annales potiùs eſſe Dominicanorum, quàm Eccleſiaſticos, quia Bzovius totus ſit in rebus domeſticis efferendis & dilatandis. Num verò adverſus eam Raynaudi cenſuram Graveſonius cit. loc. Bzovium ſuum ſatis vindicaverit, lectoribus excutiendum relinquo. Illud compertum, non eandem, quæ à Graveſonio, etiam ab aliis Viris eruditis laudem Bzovio adjudicari. Inter alios Herwartus Bavariæ Cancellarius eruditiſſimus, quique à Gretſero noſtro T. XV Operum novæ Edit. p. 433 Vir *omnis Chronologiæ peritiſſimus* nuncupatur, in Præfatione ad Sereniſſimum Ducem Maximilianum (quam Bzovio à ſe recognito & ſub Examen vocato præmiſerat & Monachii anno 1621 in lucem evulgârat) ſeveram profectò de Bzovio ſententiam ferre, eámque per plura ſpecimina Bzoviana, ex ſolis Ludovici Bavari rebus petita, ſtabilire non dubitavit : *Antiquæ*, inquit Herwartus, *hiſtoriæ peritorum judicium* (de Bzovio) *longè aliò tendit, Bzoviúmque non ignarum ſolùm rerum, ſed omnibus hiſtorici partibus deſtitutum, non modò deprehendunt, verùm etiam palam complures cenſent : quippe cui ſolertia verum indagandi nulla : acrimonia dijudicandi nulla : memoria dictorum in progreſſu nulla : diligentia ſcribendi parva : fides exigua : affectus partium plurimus.* Illud ſaltem non ab Herwarto ſolùm, ſed & ab aliis in Bzovio reprehenditur, quòd feſtinantiorẽ, atque oportuerat, calamo ſit uſus, & operam ſuam properârit magis, quàm accurârit. Certè ſi ad criterii trutinam ſolertiùs tum ſua ſcripta, tum Auctores, ex quibus ſua deprompſit, Bzovius expendiſſet, pauciora quidem ſcripſiſſet, ſed & in pauciores nævos offendiſſet. Aliquos duntaxat commemoro. Hic craſſum omnino contraxit errorem circa S. Jacobum, cùm minorem, ſeu Epiſcopum Jeroſolymitanum cum Jacobo majore confunderet, idcirco ab Herwarto non immeritò exagitatus, ùt notat *Caperus noſter* T. VI. Julii p. 5. n. 2. in Comment. præv. ad vitam S. Jacobi. Sæpiùs Alani Rupenſis fabulas ſecutum fuiſſe Bzovium, idem *Caperus* obſervat T. I. Aug. p. 409. 404. 470. Similiter Epiſtolam quamplam S. Dominico tribuit Bzovius, quam Dominici non eſſe idem *Caperus* clarè oſtendit l. c. p. 513. 514. 524. Nequè minùs temerè *exſcripſit* Paulum Jovium (Vid. *Graveſ.* P. II. Tomo V. Colloq. V. p. m. 178 col. 1.) ſcribentem, quòd Joannes Duns-Scotus infelici mortis genere fuerit extinctus, & cùm comitiali morbo laborans, feſtinatis nimis funere fuiſſet elatus, vita verò poſtliminio reduce, ſerius morbi impetum natura diſcuteret, fruſtra miſerabili mugitu opem inclamârit,

mârit, pulſatóque diu lapide, eliſo tandem capite interiêrit. Quod quidem cõmentum pluribus poſtmodum argumentîs confutavit Wadinghus; ſed & Bzovius jam ante Wadinghum facilè hujus fabulæ indicia ſubodorari poterat, ſi, ùt fieri oportuit, paulò magis indagarè libuiſſet in re ſanè non contemnenda, utpote quæ cum Viri celebratiſſimi, & integræ Scholæ ſubtilis Anteſignani fama publica non parùm connecteretur. Demum ait Cuperus T. IV. Julii in vita B. Ceslai p. 184. n. 9. quòd *Bzovius quidem diligenter omnia ad hunc beatum Virum ſpectantia collegerit, ſed hinc inde ſtylo ſuo nimiùm indulgeat, & ea narret, quæ verosimiliter fieri potuerunt potiùs, quàm quæ certò contigerunt*; id quod Cuperus intelligi vult *de incertis quibusdam circumſtantiis, oratoriâ facundiâ exornatis.* Nihilominus licèt Eruditiorum Criticorum judicia Bzovio usquequaque non faveant, negari tamen minimè poteſt, quòd ejusdem Annales inſignibus Veterum monumentis & documentis, ex tabulariis Romanis & inſtructiſſima Bibliotheca Vaticana depromptis, abundent, quibus Hiſtoria Eccleſiaſtica plurimùm poſſit illuſtrari.

C.

CÆSARIUS, Heiſterbacenſis in Colonienſi Archi-Diœceſi Monachus Ciſtercienſis & Sæc. XIII Scriptor, præter complura alia ſcripſit etiam libros ſive Dialogos XII *de miraculis & viſionibus ſui temporis.* Opus hoc jam aliquoties recuſum, tandem & à Tilmanno Bredenbachio V. C. aliisque recognitum & emendatum prodiit Coloniæ Agrippinæ anno 1599: in cujus poſtremæ Editionis Præfatione Cæſarius ab heterodoxorum, ejusdem Dialogos univerſim pro fabulis explodentium, morſibus (v. g. Joannis Jacobi Friſii, hominis Zwingliani, in additione ad Simleri Bibliothecam) ſolidè vindicatur, ſimúlque, quinam è priſcis PP. in eodem ſcribendi genere laborârint, ita piè doctéque diſſeritur, ut eadem fideliâ uberior hujus operis uſus liquidiſſimò conſtet. Conſentiunt quidem peritiores Critici, Cæſarium nimis credulum fuiſſe, utpote qui in ſuis XII Dialogis non ſatìs accurato Criterio veras hiſtorias à falſis ſecreverit, & interdum nugas & fabulas, quas undique corraſit, ſine ullo prorſus delectu inſeruerit. Ita *Graveſonius* P. II. T. V. Colloq. V. p. m. 157 col. 1. Attamen Cæſarii ſinceritatem teſtatur ipſum ejus proloquium, cùm dicit: *Teſtis eſt mihi Dominus, nec unum quidem Capitulum in hoc Dialogo me finxiſſe. Quòd ſi aliqua fortè aliter ſunt geſta, quàm à me ſcripta:* CÆSARIUS

magis eis videtur imputandum esse, à quibus mihi sunt relata. Dein lib. III. c. 33. p. m. 181 suæ de Conversо quopiam narrationi mox subjungit Cæsarius: *Sunt adhuc alia multa, & magna Conversi hujus Opera, quæ ad meam notitiam non pervenerunt, ex quibus tamen quædam audivi, quæ scribere nolui, eoquòd relata minùs bene retinuerim. Satiùs duxi etiam vera subticere, quàm falsa scribere.* Demum Editoris, sive Bredenbachii Præfatio ait: etiam Cæsario tacente, quid de ipso sentiendum sit, *res ipsa loquitur, dum non tantùm quid gestum, sed etiam à quo, loco quoque, tempore, & à quibus demum illud acceperit, tam accuratè recenset: idque oratione simplici absque omni verborum fuco, nullis non solùm hyperbolis, sed nec amplificationibus, nudæ scilicet apertáque dictione, veritatis amica, utens.* Nulla itaque insinceritatis aut fallaciæ nota in Cæsarium cadere potest, etsi narrationes ipsæ à veritatis linea subinde recedant; sed neque universim Cæsarii scripta falsitatis suspicione laborant, cùm multa verissimè scripserit, præcipuè in iis, quibus loco, & tempore vicinus fuit aut omnino conjunctus. Unde rectè Cuperus noster T. I. Aug. p. 406. n. 256 in vita S. Dominici: *Non ignoramus, Cæsarium illum facilem fuisse ad quaslibet relationes & populares rumores scripto consignandas: at hæc nimia ipsius credulitas non spectat ad rem, quam hoc loco examinandam suscipimus.* Atque hoc dicto singulare prodigium velut indubitatum ex Cæsario recenset Cuperus, quia Cæsarii temporibus factum. Neque aliter de illo sensit Stiltingus T. I. Sept. in vita Margaretæ Lovanienſis V. & M. p. 590. n. 44. ubi sic inquit: *Quod spectat ad fidem hisce Actis* (à synchrono Cæsario l. 6. Dialog. c. 34 conscriptis) *adhibendam, non eadem forsan omnium erit sententia, nisi diligenter fiat distinctio inter varia ab eodem Auctore narrata. Quippe fuit Cæsarius Vir pius, & doctus quidem, sed pro tempore, quo vivebat, simplex & credulus: atque ex eo fit, ut Dialogi ipsius non careant narratiunculis quibusdam, quæ pro fabulis leguntur hoc tempore. Verùm non rectè judicabimus, si idem planè de omnibus feramus judicium, quia multa narravit, quæ à verisimilitudine non sunt aliena, quæque exactè nôsse potuit, quòd iis & loco & tempore esset vicinus. Itaque cùm suspicio mendacii non cadat in Cæsarium, Virum utique pium & sincerum: cùmque in rebus tam vicinis, quàm eidem erant pertinentia ad Margaretam, nullum ferè sit errandi periculum, fidem in hisce negare non possumus Cæsario, ejusque auctoritas omnibus aliis, qui seriùs scripserunt, hic videtur præferenda. Qua de causa elogium Beatæ nostræ, quod ipse concinnavit, primo loco edam, uti posteriorum Scriptorum narrationibus præferendam.* Ita Stiltingus.

CALVINUS

CALVINUS Joannes, Calvinicolarum Protoplaſtes, quantus Hiſtoriæ & hiſtoricorum corruptor & adulterator extiterit, jam ſolæ *Religionis Chriſtianæ inſtitutiones*, ab eodem procuſæ, ad horrorem usque loquuntur; de quibus *Poſſevinus* noſter *in Bibliotheca ſelecta de ratione Studiorum* Tomo II. L. XVI de hiſtoricis c. 7. p. m. 404 meritò dixit: *qui hæc confert cum veris hiſtoricorum fontibus, vix ſe continebit (licèt Calviniſtus ſit) quin inſtitutionem illam & quidquid peſtis illa contagii ubique ſparſit, in ignem conjiciat.* Impoſturas detexit Joannes Duræus Scotus, Societatis noſtræ Theologus, in libro, quem adverſus Wittakerum heterodoxum Anglum conſcripſit, & legere quàm maximè expedit. Inter alia mendaciorum & calumniarum paradigmata illud non ultimum eſt, quò de Joanne XXII Rom. Pontifice l. IV. Inſtit. Cap. VII Sect. 28. mentiri auſus eſt Calvinus, quòd Pontifex ille docuerit, *hominum Animas eſſe mortales, eásque unà cum corporibus usque ad Reſurrectionem interire, & Cardinalium neminem tantæ inſaniæ ſe oppoſuiſſe.* Vid. *Bellarm.* l. IV de Rom. Pont. c. XIV. *Graveſon.* P. II. Tomo V. Colloq. III. p. m. 98. CALVINUS

DU CANGIUS, ſive CAROLUS DU FRESNE, à prædio ſuo gentilitio *Cange* Cangius dictus, Pariſinus primò Cauſidicus, poſtmodum Ambianenſis Theſaurarius regius, lucubravit varia, inter quæ *Chronicon Paſchale cum notis: Conſtantinopolis Chriſtiana: Commentarius* Gallicus de capite S. Joannis Bapt. apud Ambianenſes ſervato. Eminet autem *Gloſſarium mediæ & infimæ latinitatis*: item *mediæ & infimæ Græcitatis.* Obiit anno 1688. 23 Octobr. ætatis 79. Duriùs quidem de illo Cangii Gloſſario pronuntiavit Eckhartus T. II Comment. de Rebus Franc. Orient. p. 492, ita rotundè aſſerens: *quid ſit Baſtonicum, Cangius, ut plerumque ſolet, ignorat.* Aſt quisquis totius Gloſſarii molem ampliſſimam attentiùs evolverit, incomparabilem Viri induſtriam & eruditionem non poterit non admirari, etſi forſitan non ubique, & ad ſingulorum onomatum paraphraſin Criticorum votis ex aſſe ſatisfacere videatur. Certè Papebrochius noſter longè honoratius de Cangio judicium tulit T. I. Junii p. 179. n. 12. dum Cangium *cum magno reipublicæ literariæ damno* Pariſiis defunctum ſcripſit. CANGIUS.

CANTACUZENUS Joannes, Sæc XIV Hiſtoricus Græcus & Imperator, ſub *Chriſtoduli* nomine concinnè ſimul atque prolixè conſcripſit Hiſtoriam rerum ab Andronicis Imp. & à ſe ipſo geſtarum ab anno 1320 ad 1357, in IV libros partitam: quæ latinè poſtmodum ex Jacobi Pontani noſtri verſione, unà cum hujus atque Gretſeri notis Ingolſtadii anno 1603: Pariſiis verò anno 1645, & Venetiis anno 1729 CANTACUZENUS.

in Hiſt. Byzant. T. XV græcè ſimul atque latinè cum iisdem utriusque Interpretis Scholiis prodiſt. Poſſevinus quidem in Biblioth. ſelecta T. II. l. 16. c. 24. p. m. 352 à ſcriptionis *ſinceritate* dilaudat; aſt rectiùs Cuperus in eo obſervat T. 1. Aug. in Hiſt. Chronolog. p. 176. 177, 178, quòd partibus Andronici Junioris faveat: quòd vitia ſuorum Patriarcharum taceat: quòd hæreſi Palamitarum ſuffragetur: item num. 1083, quòd partium ſtudiô in Hiſtoria ſua laboret. Leo Allatius l. II. de Orient. & Occident. Eccl Conſenſ. c. 17 à p. 830 n. 2. usque ad p. 863 omnino aſſeruit, *palàm mentitum* Cantauzenum, cùm Barlaamum Monachum (qui poſtmodum Hieracenſis inter Latinos Epiſcopus creatus eſt) ad Palamæ dogma acceſſiſſe ſcriberet; contrarium enim tum ex ipſomet Patriarchali *Tomo*, tum ex Gregoræ teſtimonio probari.

CATALOGUS PONTIFICUM.

CATALOGUS PONTIFICUM, qui præ ceteris ſit memoriâ dignus, alius dicitur *Bucherianus*, alius *Reginæ Sueciæ*. Priorem, qui usque ad initium Liberii Pontificis progreditur, præ manibus habuit tum Joannes Cuſpinianus, qui eum Commentario ſuo in Aurelii Caſſiodori Conſules inſeruit, tum Nicolaus Fabricius, Pereſci Dominus & Senator Aquarum. Catalogi hujus apographum olim Bollandus communicaverat noſtro Ægidio Bucherio, qui poſtmodum illud in Commentario ſuo in Canonem Paſchalem Victorii edidit: indéque *Bucheriani Catalogi* nomen originem traxit. Catalogus alter ex Bibliotheca Reginæ Sueciæ deſumptus usque ad Felicem IV & Juſtiniani Imp. tempora Pontificum geſta recenſet. Utrumque Catalogum ex integro exhibet *Henſchenius* T. 1. April. in ipſa Operis fronte, ubi de veteribus Pontificum Catalogis ſit ſermo: recudit verò *Papebrochius* in Propyleo Maji ſive in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogos Pontificum: item *Scheleſtratius* in Antiquitate Illuſtrata T. 1 à p. m. 401, ubi non modò utrumque hunc Catalogum, ſed & librum Pontificalem, vulgò Anaſtaſio tribui ſolitum, caſtigatiùs edidit ac notîs ſuis illuſtravit. Tam Henſchenius, quàm Papebrochius l. c. item *Boſchius* T. 1. Aug. p. 122 n. 45 & 46 in vita S. Stephani I, & *Pagius* in Critica ſua Catalogum Bucherianum *vetuſtiſſimum* nominant, & ceteris Catalogis præferunt, utpote qui jam ſub Liberio vel Damaſo ſit exaratus, & Conſulum Romanorum annos exactè conſignet. A vel Ex pluribus Auctoribus contemporaneis ille quidem cenſetur conſcriptus; at quinam illi, certò haud liquet. Vid. *Papebroch.* in Propyl. Maji l. c. à n. 8 ad 10. *Janningus* T. V. Junii p. 408. n. 39. item Vid. T. III. April. p. 5. n. 1. & p. 409. 410. à n. 2. ad 5. T. VI. Sept. p. 542. n. 15.

15. *Sandin.* in Vita S. Lini num. 2. Nihilominus etiam hunc Catalogum Bucherianum mendis haud esse penitus immunem, ostendit Boschius l. c. n. 49. Et neque in annotandis singulis Urbis Præfectis illum semper exactum industriúmque fuisse, probat Pinius T. II. Aug. p. 617 n. 23 in Actis SS. Tiburtii & Chromatii.

Alterius autem, qui Reginæ Sueciæ fuit, Catalogi compilator, Seculo VI scripsisse creditur (Vid. Boschius l. c. n. 47. item T. III. April. l. c. Henschenius & Papebrochius, ùt suprà) & *Bucherianum præ oculis habuit, ùt alibi demonstratum est*, inquit Boschius l. mox laudato; *sed eum vel ipse vel librarius aliquis per oscitantiam non satis integrè exscripsit*, ùt Boschius ait, & jam Henschenius apud Papebrochium in Propyleo n. XI observârat; nam secundi hujus Catalogi collector non satis fideliter Consules ex Bucheriano desumpsit: imò & alia, etiam erroris aut interpolationis indicia ibidem se produnt, ùt advertit Papebrochius in Propyl. p. 52. n. 2. in notis post Liberii gesta.

Demum ambo hi, quorum meminimus, Catalogi (Boschio teste l. c. n. 48) Auctori *Libri Pontificalis* facem prætulêre. Qui quidem liber, ùt Boschius n. 44 ait, Anastasio Bibliothecario vulgò tribuitur (Vid. etiam Propyl. Maji l. c. n. 12. & 5) ast pluribus nævis aut interpolationibus minimè caret, ùt notat Boschius l. c. n. 47. 51. 52. Atque, hoc ipso ex capite, libri Pontificalis auctoritas, etsi plerumque sit magna, nullatenus tamen comparari potest cum Catalogi sive Bucheriani sive Suecici antiquitate atque prærogativa, prout unà cum Boschio l. c. n. 47. 51. 52 tum Vignolius in notis ad Librum Pontificalem tum Scheleſtratius in notis ad eundem Librum, item Clarissimus Holstenius agnovêre. Vid. etiam lit. A. verbô: *Anastasius.*

CATALOGUS EPISCOPORUM SALISBURGENSIUM, qui Tomo VI Antiq. Lectionum apud Henr. Canis. vitæ S. Hartwici à p. m. 1224 subjicitur, valde corruptus est atque confusus; unde Hundius & Cointius aliique magnam confusionem in nobilissimam Ecclesiæ Historiam induxêre, & ad Sec. VII atque VIII omnia turbârunt. Ita *Ant. Pagius* T. III Crit. Baron. ad an. 697 n. 14. 15. Sed nempe de non paucis aliis, imò plerisque forsitan, Episcopatuum Catalogis idem passim observant Critici, quòd videlicet nec in illis exactus indubitatúsque Præsulum Ordo, tempus & numerus ubique servetur: sive quòd sinceriores tabulæ primis cujusque Ecclesiæ temporibus à coætaneis Scriptoribus penitus exaratæ non fuerint (id quod difficulter crediderim) sive quòd temporum, bellorum, flammarúmque injuriis interiêrint, aut ad tutiora depositæ, postmodum inquirentium notitiam subterfugerint: CATALOGUS EPISCOPORUM SALISBURGENSIUM.

fugerint: five denique, quòd ſolâ poſterorum ſocordiâ ſubinde contigerit, ut cùm primigeniæ tabulæ carie jam eſſent exeſæ, aut certè charactere jam minùs legibili eſſent (nam ſicuti tempus, ita & ſcribendi ratio ac literarum ductus ſuas paſſa ſunt vices) ut, inquam, nemo graphiorum autographa ipſa tranſcribere, & obſoleto calamo recentiorem, lectioni jam antiquatæ planiorem, verbô, autographo apographum, quod pro ſuo cuilibet tempore ſervire poſſet, deinceps ſubſtituere, & verbum ex verbo fideliter reddere aut ſciret, aut vellet.

CAVEUS. CAVEUS Guilielmus, Scriptor Anglus ac heterodoxus, obiit ſenio gravis anno 1713. 4. Aug. Opera illius ſunt: *Cartophylax Eccleſiaſticus*: *Antiquitates Apoſtolicæ*: *Antiquitates Eccleſiaſticæ & Patrum Primitivorum*: *Vitæ Scriptorum Eccleſiaſticorum*: ac præcipuè *Hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, duos majores Tomos complexa, unà cum *Appendicibus & Diatribis adverſus Joannem Clericum*. Laudatur quidem Caveus ùt Vir probus atque ſincerus à Menkenio & Iſelino: ſed nempe heterodoxus ab heterodoxis. Intigniter profectò vel mentitus vel deceptus eſt Caveus in Hiſtoria literaria, dum ad Sec. Eccleſiæ XV p. 63 ſcribere non erubuit, Joannem Huſs, tam cum Imperatoris Sigismundi, quàm cum ipſius Pontificis & Concilii fide publica ſive ſalvo conductu Conſtantiam veniſſe, ideóque datæ fidei vinculum à Pontifice atque Concilio turpiter violatum reſciſſúmque, cùm injuſtè non minùs quàm atrociter in Huſſum, Huſſique diſcipulum, Hieronymum Pragenſem, palam animadverſiſſent. Hanc certè putidiſſimam calumniam, apertiſſimumque mendacium luculentis ex argumentis, atque ex ipſius Huſſi literis aliorúmque Huſſitarum contemporaneorum ſcriptis nullo negotio poſſe refelli atque exſufflari, jam ante Caveum oſtendêre plures Scriptores Catholici, ùt Odoricus *Raynaldus* in Annal. Eccleſ. *Du Pin* T. I. Concil p. 484. *Nat. Alex.* T. VIII Hiſt. Eccl. Diſſert. VII ad Sec. XV à p. 495 ad 503. poſt hos *Graveſonius* P. II. T. VI Colloq. III. à p. m. 96 col. 2. ad p. 100. Neque minùs temerarium fuit Caveo effatum, cùm in Præfatione ad Partem II Hiſt. liter. contra tot aliorum, etiam Acatholicorum, torrentem, imò contra ſolem eſſ ſcribere auſus, quòd Antverpienſia Acta SS. non niſi *ſtultus cuipiam labor*, nec non *fabularum ungarumque plauſtra* debeant exiſtimari. Aſt quid mirum, quòd heterodoxus hic Anglus riſerit Acta Sanctorum, qui riſerat Sanctos, quibuscum partem nunquam foret habiturus? Similiter Caveus ex iis eſt, quibus Sacræ Inquiſitionis nomen bilem vehementiùs commovet, & ſtomachum propè excitat; nam in Seculi, ùt vocat, Scholaſtici conſpectu, ſeu decimi

mi tertii ſuæ Hiſtoriæ literariæ, infrunito ore Officium illud appellat *graviſſimum & ab Orco petitum Chriſtianæ Religionis dedecus, ſimul & flagellum, conſcientiarum carnificinam, ſummæque tyrannidis, & crudelitatis officinam, quâ Siculi non invenêre tyranni majus tormenti.* Vid. *Graveſ.* l. c. T. V. Colloq. III. p. m. 69, ubi hanc Cavei furentis inſaniam ſale critico defricat atque refutat. Ejusdem Cavei tam in Chronotaxi, quàm in Actis Joannis Jejunatoris Patriarchæ CP. examinandis ſeu *malam fidem* ſeu *ignorantiam* meritò reprehendit Cuperus noſter T. I. Aug. in Hiſt Chronol. p. 69 à n. 382 ad 386; nam 1mò Caveus in patentiſſimum trium annorum parachroniſmum prolabitur. 2dò Joannem Jejunatorem cum Joanne Cappadoce perperam confundit, & debitas Cappadocis laudes ad ſuperbiſſimum Jejunatorem peſſimè transfert. 3tiò Græcum Sophronii Jeroſolymitani pro Cappadoce textum, qui apud Photium Cod. 231 legitur, truncavit Caveus, dum unam Græci textûs partem lectori obtruſit, & alteram omiſit, ex qua videlicet error ipſius, & præpoſtera Jejunatoris cum Cappadoce confuſio detegi facilè potuiſſet. Alium Cavei errorem Chronologicum notat Cuperus l. c. in Actis Joannis Xiphilini p. 128. n. 760. Denique idem Cuperus T. IV. Aug. in Actis S. Sidonii Apollinaris p. 623 & 624 à n. 151 ad 154 dilucidè oſtendit, quàm parùm accuratus in Hiſtoria ſua literaria extiterit Caveus, dum 1mò Satyram quandam Sidonio velut Auctori temerè affingit, cùm tamen ipſe Sidonius id coram Cæſare rotundiſſimè neget. 2dò Dum inter deperdita Sidonii Opera duos Panegyricos ad Majoranum & Anthemium Imperatores numerat; cùm tamen hi ipſi inter XXIV Carmina Sidonii, quæ ipſe Caveus etiamnum extare fatetur, hodiedum reperiantur. Plura alia prætereo, atque id unum addo, quòd non ſolùm Cavei Hiſtoria Literaria, quæ à Chriſto nato usque ad Seculi XIV Scriptores ſe porrigit & Genevæ anno 1693 recuſa prodiit, ſed & omnia ejus Opera 22 Dec. 1700 à Sacra Congregatione Indicis publico Decreto Romano fuerint prohibita, ùt videre eſt in noviſſ. Ind. Rom. p. 172. Eandem prohibitionem incurrit Appendix ad Cavei Hiſtoriam literariam ab anno 1300 ad 1517 Auctore Henrico Warton, ſimiliter Genevæ edita anno 1693. *Vid. noviſſ. Indic.* p. 28.

CEDRENUS Georgius, Monachus Græcus & Seculi XI rapſodiator, *Compendium hiſtoriarum* texuit ab initio mundi usque ad Iſaaci Comneni tempora. Editum illud eſt Baſileæ anno 1566. Pariſiis Græco-latinè cum notis Xylandri, Fabroti & Goaris anno 1647. Venetiis in Hiſtoria Byzantina recèns excuſa Tomo VI anno 1729. Dicitur au- CEDRENUS

tem Cedrenus à Sollerio nostro T. V. Junii in Hist. Chronolog. n. 368 ferme nil nisi exscriptor Theophanis, cujus propè verbis sit usus. Similiter ex Curopalate sive Scylitze sua maximè deprompsisse Cedrenum, observat Cuperus T. 1. Aug. in Hist. Chronolog. p. 121. n. 715. Stiltingus T. 1. Sept. in Comm. præv. ad vitam S. Stephani Regis p. 472 n. 65. ita de Cedreno inquit: " Dubium non est, quin Cedrenus sua descripserit ex Scylitze, quem ferè verbo tenus imitatus est ab imperio Michaëlis Curopalatæ usque ad Isaacium Comnenum teste Oudino de Scriptoribus Eccles. Tomo II col. 1130, qui varios citat Scriptores, inter quos Leo Allatius de Georgiis & eorum Scriptis pag. 334 de Cedreno sic loquitur: *Opus è variis historiis non sententiis solum, sed verbotenus consarcinatum absolvit: quæ si ab Auctoribus repeterentur, nudus ipse æquè ac cornicula illa remaneret. Nescio quâ fronte, quæ exscripsit, pro suis divendidit, adeò ut vix unam alteràmve periodum in tam vasto volumine Cedreni propriam ac legitimam reperias.*" De eodem Cedreno ait Stiltingus l. c. p. 473. n. 68: *Cedrenus, qui anilium fabularum Scriptor & veri incuriosus meritò vocatur à Lipsio apud Oudinum citatum, quique Curopalatem descripsit, nomina liberiùs* (in rebus Hungaricis) *expressit, quàm veriùs.* Sic & Germaniæ Regem, quem cum Curopalate *Othonem* debuerat compellare, Cedrenus *Joannem* vocitavit, qualem nunquam Germania vidit. Vid. *Stilting.* l. c. p. 469. n. 55. Graviùs verò vapulat Cedrenus tum apud Pagium T. IV. Crit. ad annum 1057 n. 5. tum apud Gravesonium P. 1. T. IV. Colloq. V. p. m. 100, quorum uterque *insignis plagiarii* notam Cedreno impingit. Et Gravesonius quidem l. c. suum de Cedreno judicium ita concludit: " Constat itaque, Georgium Cedrenum, undecimi Seculi Scriptorem Græcum, qui Annales seu Compendium historiarum ab orbe condito ad annum usque 1062 conscripsit, fuisse insignem plagiarium, & opus ab ipso editum nihil aliud esse à capite ad calcem, quàm centonem ex multis pannis sordidis, purpureis, malis, bonis, integris, laceris, promiscuè consutum. Gratias tamen illi eo potissimùm nomine rependere debemus, quòd Auctores præcipuos & raros suo ipse furto nobis conservavit. " Vereor autem vehementer, ne justo severius cum Cedreno egerint Allatius, Pagius & Gravesonius, cùm *insignis plagiarii* nomine Cedrenum dehonestarunt; Plagiarii enim, & quidem insignis ὄνομα in illum, ni fallor, literionem solummodo cadit, qui non nisi furtîs ditescit, & nihilominus rem alienam suo unius nomine venditare præsumit. At verò quô istud pacto de Cedreno poterit affirmari, cùm ipse Cedrenus in collectitii Operis sui præfatione exertè luculentérque fateatur, se primam suæ

Histo-

Hiſtoriarum ſynopſeos partem uſque ad Imperatores Maximianum & Maximinum deductam, ex Georgio Syncello tranſcripſiſſe: ſecundam verò partem uſque ad Nicephorum ſe debere Theophani tertiam uſque ad Iſaacium Comnenum ſe petiiſſe ex Joanne Protoveſtiario, cognomine Tharaceſio, qui juxta Allatium in Diatriba de Georgiis, Voſſium l. 2. de hiſtoricis Græcis c. 16. Lambecium l. 2. Biblioth. Cæſar. c. 7. Pagium in Critica Baroniana, Natalem Alex. T. VI. Hiſt. Eccl. Cap. IV. Art. IV. p. 503. n. 3. & 4. Graveſonium loc. cit. alius non eſt, quàm Joannes Scylitza ſeu Curopalates; denique poſt Joannis Protoveſtiarii mentionem ſubjungit Cedrenus: *Nos autem evolutis horum libris, indéque iis, quæ attinebat, collectis: adjectis etiam, quæ, cùm non eſſent ſcripta, ab antiquis hominibus tradita didiceramus: non pauca etiam ex parva Geneſi, Eccleſiaſticis hiſtoriis, aliisque libris complexi, curſim omnium unum compoſuimus volumen.* Quare, ſi proprio Cedreni teſtimonio ſtare velimus, ex ipſiusmet aſſertione & confeſſione nullatenus plagiarii, ſed compilatoris, compoſitoris & collectoris nomine multò rectiùs erit compellandus, utpote qui non niſi aliorum libros & ſcripta, ſeparatim priùs ab iis edita, nunc verò à ſe *collecta* in unum idemque volumen ſe comportâſſe & compaginâſſe fatetur. Quoniam verò etiam alia illis aliunde adjecit, inde contigit, ut fabulas, aut recèns ſibi obtruſas, aut jam in antiquioribus libris inventas, ipſe bonâ forſitan fide, majoréque credulitate quàm delectu judicióque admitteret, atque ita pannos laceros ſordidóſve, ùt Graveſonius ait, purpureis intermiſceret. Ceterùm prætereunda non eſt impoſtura, quâ ſe ſuámque fidem fœdavit Guilielmus *Xylander*, ſive *Holzmann*, cùm Cedrenum è Græco in latinum idioma transferret Nam ùt Gretſerus in notis ad Tomum II de Cruce jam animadvertit, non uno in loco Cedrenum interpres heterodoxus ſua verſione corrupit: locósque ab eodem corruptos etiam Poſſevinus pag. 23. Appendicis II ad Tomum I Apparatûs Sacri verbô: *Cedrenus*: ex eodem Gretſero allegavit. Plura de Cedreno vide apud *Poſſevinum* T. I. Apparatûs, verbo: *Cedrenus*: & in dicta Appendice ad hunc Tomum: item apud *Labbeum* T. I. Script. p. 345 & 783. *Nat. Alex.* l. ſuprà cit.

du CHESNE Andreas, ſive alio nomine *Quercetanus*, Scriptor Gallicus & Hiſtoriographus Regius, maximo cum labore Hiſtoriam Francicam illuſtravit, extinctus a. 1640 20. Martii, cùm plurium adhuc Operum editionem ſeu veriùs collectionem meditaretur. Inter ejus collectiones ſunt 1ò. Scriptores Rerum Normanicarum: 2dò. Hiſtoria Pontificum à B. Petro uſque ad Innoc. X. 3iò. Omnia Opera B. du CHESNE.

Alcuini ſeu Albini Flacci. 4ò. Bibliotheca Auctorum, qui Hiſtoriam & Topographiam Franciæ conſcripſerunt. 5ò. Alia, quæ Helinus in Lexico Baſil: verbò: *Cheſne*, & Menkenius in Lexico Eruditorum verbò: *Quercetanus*: Moreryus in Diction Gall. T. II. p. 147. 148. comemorant. Palmam verò præ ceteris ferunt Tomi quinque Scriptorum Francicorum: quorum tres poſtremos, primùm poſt Andreæ obitum, ejusdem filius Franciſcus du Cheſnius ad poſthumam lucem promovit. Nomina verò, ſive Syllabum Scriptorum, quos quisque Tomus ſingillatim ex his quinque complectitur, Buderus enumerat in Biblioth. Script. Germanicorum, quam Struvius in fronte Corporis Hiſt. Germ. exhibet § 59. à p. 105 ad 118. Summam profectò, ſi quis alius, laudem æternámque poſteritatis memoriam ſibi vindicavit, ſempérque vindicabit Du-Cheſnius, quòd incomparabili prorſus induſtria (qualem nemo hactenus impenderat) tam vaſta Scriptorum, eouſque ignotorum ac deliteſcentium volumina, tandem in apricum feliciſſimè produxerit: unde ſepulta hactenus antiquitatum notitia, ùtùt per innumeras prope ſchedas chartásque diſperſiſſima, copioſiùs veraciúſque pòſſit eruderari & elucidari. At tamen non immeritò Du-Cheſnium reprehendit Henſchenius noſter T. VII Maji in Exegeſi prælimin. de Epiſcopatu Tungrenſi & Trajectenſi C. X. n. 69, quòd ex apographis nunquam antehac viſis nec editis (quæ tamen ex ſolo Bollandiſtarum beneficio atque humanitate ad eundem Du-Cheſnium in Gallias benevolè fuerant transmiſſa) ipſe dein gloriam ſit aucupatus, & iisdem his benefactoribus ſuis, quibus grates potiùs oportuerat agi, quodammodo inſultaverit ob recentem ſuam Chronici Proſperi editionem: poſtquam videlicet Chronici hujus antiquiſſimum genuinúmque exemplar, utpote jam A. 632. exaratum atque à recentioribus editionibus v. g. Pithœana diverſiſſimum, à Bollandianis autem Du-Cheſnio facillima liberalitate communicatum, hactenus in Bollandianorum Muſeo (ùt Du-Cheſnius loquitur) velut in omnigenarum *antiquitatum ſepulchro* inglorium atque otioſum delituiſſet: quaſi verò neſciiſſet Du-Cheſnius, quòd Bollandiſtæ tum temporis in Actis SS. non modò colligendis, ſed & criticè illuſtrandis toti quanti inſudaverint, atque idcirco tantum illis otii, quantum Ducheſnio, tunc minimè fuerit, ut Chronicorum editores jam agerent, alio certè, ùt Henſchenius teſtatur, iſtud tempore facturi, ubi horæ magis vacâſſent, & grande, quod jam occeperant, Opus aliquantò altiùs è primis ſuis incunabulis emerſiſſet. Quoniam verò is ipſe Du-Cheſnius eadem tempeſtate illos hujuscemodi intempeſtivo labore levare potuit & voluit, inde factum, ut Hagiographi dictum Chronici Proſperi apographum Du-Cheſnio promptiſſimè

simè communicarent, quandoquidem publicæ potiùs utilitatis & editionis accelerandæ, quàm privati sui cimelii, seriùs aliquantò à semet ipsis producendi, rationem illi sapientissimè habuêre. Sed nempe ita persæpe contingit, ut quibus maximè benefeceris, illos non modò non gratos, sed & insultantes experiaris.

CHRONIC. ADEMARI.

CHRONICON ADEMARI Cabannensis. Vide ADEMARUS.

ADONIS.

CHRONICON Adonis Vienn. Vid. ADO.

CHRONIC. ALEXAND.

CHRONICON ALEXANDRINUM, seu Breviarium temporum, ab orbe condito usque ad Imperatoris Heraclii annum regiminis vigesimum unà cum Consulum notis continuatum, Raderus noster ex Bibliothecæ Augustanæ MSo. desumpsit, & ab ipsa Operis præfatiuncula, quod Petri Alexandri nomen præferebat, *Alexandrinum* nuncupans, illud Monachii a. 1615 græco-latinè cum Animadversionibus quibusdam, lectu dignis, edidit. Antehac verò sub *Chronici Siculi* seu *Fastorum Siculorum* nomine illud allegaverat Panvinius, eoquòd in perantiqua Bibliotheca *Sicula*, & vetustissimis quidem literis exaratum Hieronymus Surita illud primus detexerit: unde Romam aliásque in terras hic prætensus antiquitatis thesaurus advectus, magno in pretio apud eruditos, ùt Panvinium, Sigonium, Casaubonum &c. cœpit haberi. Chronici nomen postea mutavit Du-Cangius, cùm a. 1680 Parisiensibus typis illud recuderet, & *Chronicon Paschale* maluit appellare, haud dubiè ex eo capite, quòd (ùt jam antè Raderus in Animadvers. suis pag. 9. advertit) Chronici hujus Auctor de Agno typico ex Paschalibus & Matheseos rationibus frequenter disputet. Atque hæc Cangiana Editio repetita est typis Venetis, & Tomum XIX Historiæ Byzantinæ conficit. Papebrochius rursus aliam nomenclationem substituit, illúdque *Constantinopolitanum* rectiùs quàm *Alexandrinum* esse vocitandum multiplici ex argumento statuit T. III. Mart. in Ia. Exegesi Prælimin. de Theophanis Chronographia p. VII. n. 13.; hujus enim Exegeseos auctorem Papebrochium esse, Sollerius affirmat T. V. Jun. in Hist. Chronol. Patriarch. Alex. p. 69. n. 367 in fine. Quare ùt paucis Sollerius l. c. p. 1. n. 2. admonet, illud ipsum Chronicon, quod Radero dicitur *Alexandrinum*, Papebrochio est *CPlitanum*, *Paschale* Cangio (imò & Scaligero *Casaubonianum*) atque una eadémque res sub diversis nominibus cubat. Auctor Chronici quis sit, hodiedum latet. Nonnemo Georgium Pisidem CPlitanæ Ecclesiæ Carthophylacem incogniti fœtûs parentem suspicabatur: quem tamen refutavit Rade-

rus l. c. p. 7. 8. Idem verò Raderus ipſum Petrum Alexandrinum, utpote cujus nomen Chronico præmittitur, quique a. 640 Alexandrinæ Eccleſiæ præfuit, Chronici hujus compilatorem fortaſſis extitiſſe divinat, ùtùt non unum Petrum, ſed plures ſenſim auctores in eo Chronico laborâſſe veroſimilius putet. Oudinus in Supplem. de Scriptoribus Eccl. illud tribuit Georgio Patriarchæ Alex. S. Joannis Eleemoſynarii Succeſſori. De Opere porro ipſo, ſive Operis auctoritate non eadem eſt Criticorum aſſertio atque conſenſio. Laudârunt illud antehac Panvinius atque Sigonius; Scaliger, qui hoc ipſum Chronicon ex Caſauboni libraria ſupellectile acceptum ſub *Compendii temporum* nomine in ſuum Antiquitatum Theſaurum a. 1606 jam inſeruerat, *opus utiliſſimum*, ob Conſulum videlicet notas, & *hominis quidem idiotæ centonem, ſed ex bonis aliquando pannis conſutum, præſertim ex Euſebii & Africani analectis inſtructum* indigitavit. Raderus *Chronicon prorſus juſtum & Catholicum uno tantùm alterove errore excepto*, pronuntiavit. Graveſonius P. I. Tomo III Colloq. V. p. m. 76 col. 2. poſtquam plura de hoc Chronico præmiſerat, ait, quòd Chronicon iſtud non modò *ob continuam Conſulum ſeriem*, ſed & *ob complura vetuſtatis monumenta* in eo contenta *apud Viros eruditos magnum auctoritatis pondus obtineat*. Aſt ùt multa edocet dies, ſic non eadem hodie eſt Criticorum ſententia. Stiltingus noſter T. III. Septembr. p. 525 in vita S. Pulcheriæ n. 108 & 111. affirmat, quòd Chronicon iſtud *fabulis ſit inquinatum & frequenter mendoſum*. T. IV. Sept. in vita S. Chryſoſtomi paucis multa complectitur idem Stiltingus, dum ait: *Auctoritas illius Chronici ob multas, quibus redundat, fabulas nullius eſt momenti*. Alia hujus Chronici aberratio circa genealogiam Sephoræ adducitur T. II. Sept. p. 24. n. 78. Tomo autem III. Sept. p. 509. n. 31. ex hoc Chronico refertur Hiſtoria *mirabilis magis quàm certa*. Attamen licet tanta non ſit hujus Chronici Auctoritas, quanta quibusdam, atque etiam Pagio (aliàs Critico, multoties tamen Chronicon hoc alleganti atque ſequenti, ùtùt interdum etiam reprobanti v. g. ad a. 565. n. 3. a. 562. n. 5.) eſt hactenus viſa, illo tamen in rem pariter ſuam ſubinde uti non dubitavit Sollerius noſter T. V. Junii in Hiſt. Chronolg. Patr. Alex. (v. g. p. 4. n. 19.) tum videlicet, cùm nihil aliudſi contrarium obſtat; nam & paleis ſubinde triticum ineſt.

Denique quid de cujusdam DOROTHEI ſcriptis, quæ Du-Cangianæ, non item Raderianæ hujus Chronici Alexandrini editioni inſerta leguntur, ſit ſentiendum, pluribus examinat Cuperus noſter T. I. Aug. in Hiſt. Chronolog. Patr. CP. à pag. 4. ad pag. 10. ubi *ignoti* hujus *fabulatoris*, & *impoſtoris* ſive *Pſeudo-Dorothei* aut *Dorothei-Procopii* nugamenta

menta exponit atque aliorum etiam Scriptorum criticorúmque auctoritate refellit.

CHRONIC. ALB. ARG. &c. &c.

CHRONICON Alberti Argentin. Vid. ALBERTUS.

CHRONICON Alberti Stadenſis. Vid. ALBERTUS.

CHRONICON Andreæ ſive Agnelli. Vid. AGNELLUS.

CHRONICON Andreæ Ratisbonenſis. Vid. ANDREAS.

CHRONICON Joannis de Beka. Vid. BEKA ſive BECANUS:

CHRONICON BENEVENTANUM non ab Anno 1113, ùt Baronius exiſtimavit, ſed ab Anno 1102 uſque ad An. 1140 adornavit Falco Beneventanus, Sacri ibidem Palatii notarius & ſcriba, tandémque in eadem ſua Patria Judex, ùt contra Baronium, qui ex homine laico Clericum fecerat Falconem, ex Camillo Peregrinio probat Pagius. Vid. PAG. T. IV. Crit. ad An. 1113. n. 1. & 2. & ad An. 1140. n. 13. *Baronius* T. XII. ad An. 1113. n. 1. ad A. 1137. n. 1. 7. 12. Scriptoris hujus Synchroni fidem exactámque induſtriam ſummoperè laudârunt, ſibíque in Annalibus imitandam ſumpsêre Baronius & Pagius loc. cit. Dolendum, quòd tam initio quàm in fine mutilum ad nos pervenerit Chronicon iſtud, ùt Pagius notat; unde profectum haud dubiè fuit, quòd Chronicon iſtud primùm ab Anno 1113 Falconem auſpicatum fuiſſe Baronius judicârit. Scriptor hic Annum à prima Martii die ſolet exordiri, ùt ex Camillo Peregrinio Pagius monet. CHRONIC. BENEV.

CHRONICON BERTOLDI, Presbyteri Conſtantienſis, qui Hermanni Contracti Chronicon continuavit ab Anno 1054 ad an. 1066. addidítque hiſtoriam rerum ſuo tempore quot annis geſtarum uſque ad a. 1100. Extat illud 1ò. apud Urſtiſium T. I. Script. Germ. p. 341. 2dò. Apud Gretſerum T. 7. novæ Edit. 3iò. Pars hujus Chronici ab an. 1056 ad an. 1085. in Actis SS. T. VI. Maij. in vita S. Greg. VII. à p. 143 ad p. 148. Fuiſſe Bertoldum fideliſſimum Hiſtoricum omnes boni conſentiunt, inquit Labbeus T. I. Script. Eccl. p. 202 & Nat. Alex. T. VI. Hiſt. Ecc. ad Sæc. XI. Cap. V. Art. V. p. 505. Neque enim moramur heterodoxos, quibus nihil arridet, niſi quod vibrato fulmine in Capitolium denotat, ùt Labbeus ait. Varia alia hujus Bertoldi CHRONIC. BERTOLDI

di (qui & Bernaldus, & Bernoldus dicitur) pro Gregorio VII opuſcula Ingolſtadii edidêre Sebaſtianus Tegnagelius, Bibliothecarius Cæſareus, & Jacobus Gretſerus, *fortiſſimus* ille, ùt à Labbeo vocatur, *Catholicæ Veritatis adverſus Novatores à fide majorum ſuorum Apoſtatas Athleta.* Eundem Bertoldum *Ordinis Romani* Auctorem faciunt Honorius Auguſtodunenſis c. 14. libelli ultimi de luminaribus Eccleſiæ ſeu Scriptoribus Eccleſiaſticis, Trithemius de Script. Eccl. Aſt, ùt rectè advertit Alexander l. c. multò antiquior eſt hic *Ordo Romanus*, & vel ad Gelaſii, vel certè ad Gregorii M. tempora revocandus. Ceterùm licèt Bertoldi teſtimonium de temporum ſuorum, præcipuè Henrici IV & Gregorii VII geſtis, ùt fideliſſimum & maximi ponderis argumentum Scriptores frequenter adhibeant, ùt Nat. Alex. T. VI. Hiſt. Eccl. ad Sec. XI, Pagius T. IV. Crit. Hagiographi item Antverpienſes: notat tamen idem Pagius T. IV Crit. ad an. 1055. n. 5. an. 1058. n. 6. an. 1064. n. 1. & 3. an. 1083. n. 2 & 4. an. 1084. n. 2. an. 1088. n. 10. an. 1089 n. 1. an. 1090. n. 6. &c. quòd Bertoldus non modò circa Chronologiam, ſed & circa res in Italia, Gallia & Oriente geſtas, utpote exterus frequentiùs in Chronico ſuo aberret; unde alii pariter nationis cujuſque Scriptores domeſtici in Chronotaxeos & narrationis legitimæ ſubſidium debebunt advocari. Notandum pariter, quòd Bertoldus in Chronico anni initium à Natali Dominico ducat, ùt benè monet Pagius ad an. 1070. n. 6.

CHRONIC. CASAURIENSE. CHRONICON CASAURIENSE, ſive Piſcarienſis Abbatiæ, in Aprutia ulteriore ad mare Adriaticum ſitæ (quod Joannes Berardus ibidem Monachus Sæc. XII conſcripſerat) partim Du-Cheſnius T. III Script. Franc. & Ughellus in Italia Sacra, partim Dacherius Tomo V. Spicilegii edidêre. Chronici quidem hujus editio ab an 854 non niſi ad a. 1082 progreditur; Aſt Pagius T. III Crit. ad an. 774. n. 15. teſtatur, quòd ejus Chartarium ad an. uſque 1161 reipſa pertingat. Meminêre hujus Chronici Pagius ad dictum an. item ad a. 892. n. 2. ad an. 900. n. 14. Eckhartus T. II. Comment. de rebus Franc. Orient. p. 599. 600. n. 215. & 725. n. 399.

CHRONIC. CASSINENSE. CHRONICON CASSINENSE, quatuor continet libros, quorum tres primos uſque ad libri III caput 34 vel 35. (Vid. *Act. SS.* T. V. Sept. p. 378. n. 24. 25.) conſcripſit Leo Marſicanus exeuntis Seculi XI & ineuntis XII Scriptor, ex Caſſinenſi Monacho & Bibliothecario, S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus, primùm Sueſſanus in Regno Neapolitano, dein Oſtienſis; reliqua libri III Capita unà cum libro IV. dein adjecit, totám-

totámque Hiſtoriam ad ſua uſque tempora proſecutus eſt ejusdem Cœnobii Alumnus Petrus Diaconus. Prodiît Marſicani Chronicon Venetiis an. 1513, tum Pariſiis an. 1602 : dein Neapoli cum notis Matthæi Laureti, Abbatis S. Salvatoris de Caſtellis an. 1616, atque iterum Pariſiis an. 1668 unà cum commentario ſive adnotationibus Angeli de Nuce Neapolitani, Abbatis Caſſinenſis & poſtmodum Archiepiſcopi Roſſanenſis. Hanc ipſam denique Angeli de Nuce editionem poſtremus repetiit Muratorius Mediolani an. 1723 T. IV Script. Italic. Vid. *Acta SS.* l. c. n. 26. Non defuêre quidem, qui adverſus hoc Chronicon, etiam ùt à Nuceo editum, & primigeniæ cum autographo fidei reſtitutum, iniquiore calamo inſurgerent, ùt Franciſcus Dinus in Diſſertatione Hiſtorico-Critica de Translatione corporis S. Bartholomæi, alius item Anonymus Mediolanenſis, regius Ticini Lector, quem Tomo X. Script. Ital. Muratorius edidit. Verùm tam Leonis quàm Petri auctoritatem ſtrenuè vindicârunt Eraſmus Gattula partim in Hiſtoria Caſſinenſi, partim in Apologia, eidem Hiſtoriæ ſubjuncta (Vid. T. V. Sept. p. 377. 378. 379. n. 22. 26. 28. 32. 33. &c.) Muratorius in Præfatione ad Chronicon Caſſin. (Vid. T. V. Septemb. p. 378. 379. n. 26. 28. & T. V. Aug. p. 79. n. 144.) Stiltingus noſter T. V. Aug. in Actis S. Bartholomæi à p. 78. §. 2. n. 144. & T. I. Sept. p. 733 in vita S. Aigulphi : Urbanus Stickerus T. V. Sept. in Comment. præv. ad vitam B. Victoris III à p. 378. §. 3. Nihilominus errores quoſdam Chronologicos in Chronicon Leonis, etiam ùt à Nuceo primigeniæ fidei reſtitutum, irrepſiſſe obſervant PAGIUS T. III ad an. 827. n. V. T. IV. ad an. 983. n. 1. ad an. 1053. n. V. an. 1054. n. 1. Baronius ad an. 827. n. 26. Quòd ſi autem de illa Chronici hujus editione ſit ſermo, quam Lauretus anno 1616 curaverat, multò ſanè rigidiùs de illa ſentiendum eſſe, ipſe Angelus de Nuce nos admonet, qui de altero hoc editore ſeu veriùs corruptore graviſſimè hisce verbis conqueritur, quæ ex Papebrochio P. II. Reſponſ. contra P. F. Sebaſt. à S. Paulo ad Art. XXII §. 2. p. 423. 424. n. 17. 18. 19. hìc ſubijcimus : " Matthæus (*inquit Nuceus in Præfatione ad hoc Chronicon*) Matthæus Lau-
" retus, Abbas S. Salvatoris de Caſtellis, hoſpes olim cœnobii Caſſi-
" nenſis (rogatúne Caſſinenſium, an ſua ſponte, obſcurum) hanc
" ipſam Hiſtoriam Neapoli edendam curavit, ſed ita, ut omnia ſe fi-
" deliſſimè ex Archetypis expreſſiſſe teſtaretur, illúdque jactaret, vin-
" dicatam ab ſeſe à probris & repurgatam fuiſſe, ad fidem Originalis,
" Venetam editionem anni 1513. Eſt hìc ſanè, Lector, quod plus
" ſatis mireris : Nemo ſuam fidem plus vendit, quàm qui fide ſub-
" leſta eſt & infirma. Qua fronte ſcilicet homo iſte fuit, ut de ſuæ

" editionis fide tam impudenter ementiretur? Quàm ſæpe ab eo, " quàm multarum rerum ordo perturbatus! Annorum ac temporum " quàm depravata ratio! quàm temerè infarta & inculcata multa è " ſuo! Quid quòd Matthæi ſomniis, nomen prætexit & auctorita- " tem Leonis & Petri (*auctorum ipſius Chronici*) eáque his tribuit, " quæ ipſis dicere nunquam venit in mentem? Alicubi ſecurim, ali- " cubi ſpongiam, ubique ſcilicet temerè ac ineptiſſimè, adhibet. " Multis narrationem periodis, multísque capitibus diminutam & " decurtatam ac mancam exhibet, & in extremo integram Hiſtoriam " proſcribit. Verba innumera, quæ minùs intelligit, non putat ir- " religioſum eſſe immutare, multárúmque proinde rerum & eruditio- " num notitiam lectoribus invidet, ſubducit, ac detrahit. Quid ver- " bîs opus? Vix unum ſine flagitio mendóque verſum deprehendas; " ut non tam Leonis Hiſtoriam, quàm errorum Odyſſeam edidiſſe " videatur. Et tamen quaſi fidei & veritati thura quotidie adoleret, " nihil magnificentius quàm illarum lucem ac vibrantes radios loqui- " tur. Ita planè falſitas non deciperet, niſi ſub larva fidei & verita- " tis deliteſceret. Hactenus de Coabbate ſuo Laureto Abbas Caſſi- nenſis Angelus: quibus, ùt Papebrochius inquit, nolim addere, quæ de ejusdem Laureti fide, in allegandis circa aliud argumentum Bullis ſentiunt Benedictini Galli, contrarias eorundemmet Pontificum, quo- rum ille, Bullas habere ſe prætendentes.

Demum contra Baronium & Poſſevinum nôſſe oportebit, quòd Leo Card. Oſtienſis & Chronici hujus Auctor diverſus ſit ab alio Leone Oſtienſi, pariter Cardinali, qui Regiſtrum Epiſtolarum Urbani II collegerat. Vid. PAG. T. IV. Crit. ad an. 1088. n. 3 Nat. Alex T. VI. Hiſt. Eccl. C. VI. art. 3. p. 514. Juxta Labbeum T. II Script. Eccl. obiit Leo Marſicanus ſeu Caſſinenſis Chronographus primùm poſt an. 1112. Plura de hoc Auctore apud cit. *Labb. Nat. Alex*, *Poſſevinum* in Apparatu, verbô: *Leo Marſicanus*: *Bellarm.* de Script. Eccl. *Graveſ.* P. I. T. IV. Colloq. V. p. m. 255. 256 ubi de Abbatibus Italiæ, qui doctrinâ & ſcriptîs claruêre.

CHRONIC. CENTULENSE. CHRONICON CENTULENSE, ſive Monaſterii S. Richarii, Ambianenſis diœceſeos in Gallia ſive Picardia, Auctorem præprimis habet Hariulfum Monachum Centuſenſem, Sec. XI. Scriptorem, qui ab anno circiter 625 uſque ad obitum S. Gerwini Abbatis ſive ad an. 1074 illud deduxit, & anno 1088 ſe opus hoc abſolviſſe teſtatur: ùtùt adhuc 54 annis ipſe vixerit ſuperſtes, utpote anno 1097 ad Aldenborgenſem in Flandria Abbatiam admotus, quam uſque ad an. 1143 XVI Auguſti ſapien-

pientiſſimè rexit. Chronicon illud anno primùm 1492 continuavit & lucubravit Joannes Capella: Utriuſque verò, tam Hariulfi quàm Capellæ laborem, Tomo IV Spicilegii inſeruit Dacherius. Meminêre hujus Chronici *Nat. Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. ad Sec. XI. Cap. V. Art. IX. de Chronicis p. 510. PAGIUS T. III. Crit. ad an. 814. n. 30. ac præcipuè *Henſchenius* & *Papebrochius* T. VII Maji ad diem XXX p. 263. n. 4. 5. 7. p. 264. n. 1. 2. p. 265. num. præcipuè 4 & 5.

CHRONICON CONRADI URSPERGENSIS

CHRONICON CONRADI URSPERGENSIS, ſive Conradi à Liechtenau, Abbatis Urſpergenſis in Sevia, qui vitam ad an. uſque 1240 produxit. Editum eſt ſub ejus nomine Chronicon à Belo primo Aſſyriorum Rege uſque ad annum Chriſti 1229, ſeu Frid. II. Imper. nonum. Manifeſtum verò eſt, quòd Chronici hujus non unus idémque ſit auctor, cujus nomen præfertur; nam ſi quis geſta annorum 1099. 1100. 1101. 1102. 1104. 1106 cum iis, quæ ab an. 1198. 1202. 1205. 1207 narrantur, ac præterea ſtylum cum ſtylo exactè contulerit, Auctores omnino plures & tam calamo quàm moribus, imò toto cœlo diverſos nullo negotio palpabit, aut certè concludet, quòd, ſi unus idémque fuiſſet, pluribus in locis à poſterioris ævi maledicentiſſima manu Chronicon hoc peſſimè fuerit depravatum & interpolatum. Indubitatam auctorum iſtorum in eo Chronico pluralitatem & veritatem jam obſervaverat Bellarminus l. de Script. Eccl. omnium verò diligentiſſimè (etiam Labbeo teſte T. I. de Script. Eccl. p. 759 inter addenda: item *Vide* eundem Labb. T. I. p. 234.) argumentum hoc excuſſit Gretſerus noſter L. II. rerum variarum toto capite X. à p. 244 ad 261: quod poſthumum Gretſeri Opuſculum ex ejusdem adverſariis, poſt fata repertis, collegit Georgius Stengelius noſter & an. 1628 primus Ingolſtadienſibus typis commiſit. Pagius quoque T. IV Crit. ad an. 1100. n. 3. an. 1101. n. 3 & 6. an. 1102. n. 1. an. 1105. n. 1. veriſſimè ait, Urſpergenſem qui ineunte adhuc (imò jam adulto) Seculo XIII. vixit, de rebus multò antiquioribus ſæpiùs in prima perſona velut auctoris coævi eloqui, etſi illa nec viderit ipſe, neque audiêrit, ſed longè alii, quorum tamen ipſe nomina tacet. Id quod etiam aliis Actorum Sanctorum interpolatoribus & abbreviatoribus familiare fuiſſe, ſubjungit Pagius; unde ex hac ipſa animadverſione plura circa Hiſtoriam & Hiſtoricos dubia atque errores poſſint præverti aut enodari. Denique quòd Chronici Urſpergenſis conſarcinator plures Auctores in unum Opus congeſſerit, patet v. g. ex geſtis Caroli M., quæ verbotenus ex Eginhardo deſcripſit: item ex Anonymo Scriptore Cremonenſi, quem p. 220. ipſe Urſpergenſis diſertè allegat. Dolen-

dum verò, quòd minus ſincera hujus Chronici editio ſit, utpote per additamenta corrupti; unde Poſſevinus T. II. Biblioth. Selectæ de ratione Studiorum p. 314. lib. 16. cap. XI. ita monet: *à quo Chronico abſit appendix ab hæreticis addita, & inſcripta, Paralipomena, quæ ùt alibi monuimus, ſunt hæreſibus aſperſa, ac proinde proſcripta ab Eccleſia in Romano Indice.* Vid. noviſs. Ind. Rom. p. 17. *Annotationes in Chronica Abbatis Urſpergenſis*: & p. 84. ita inter libros prohibitos legitur: *Conradi à Liechtenau Abbatis Urſpergenſis Chronicon ubique impreſſum: Noviſſima verò Editio Argentoratenſis anno* 1609, *ablatis duabus Epiſtolis, in quibus hæreticorum Encomia continentur, permittitur. Paralipomenon quoque aliàs prohibitum cum omnibus poſtillis & additionibus eidem Editioni inſertis prohibetur.*

Sed neque hæc Argentoratenſis Editio, etiam ablatis duabus illis Epiſtolis & Paralipomenis, ſuis adhuc vitiis atque convitiis caret. Nam p. 171 inſeruntur ipſius Chronici contextui geſta Gregorii VII, velut ex contemporaneo Cardinali Brunone deſumpta. Verùm jam antehac Gretſerus l. 1. contra Replicatorem Goldaſtum c. 7. reſpondit, verba illa non eſſe Urſpergenſis, ſed interpolatoris cujusdam hæretici, qui ſimul per inſignem inſciţiam Bennonem Pſeudo-Cardinalem in Brunonem transformârit. 2dò. pag. 167 ex intercalari Scholio, quô Chronici editor & veterator circa Henrici IV geſta Lectorem fallaciſſimè præmonet atque præmunit, ſimiliter ejusdem Scholiaſtis odium in Pontificem ſe apertiſſimè prodit, prout idem Gretſerus l. c. jam animadvertit. 3iò. p. 235 tam in ipſa Chronici narratione, quæ incipit: *Vix enim remanſit aliquis Epiſcopatus* &c. quàm in marginalibus notis (quæ ita habent: *Quæſtus Romanæ Curiæ*: &: *Roma vincit orbem non religione, ſed malitia*) denuo tam Chronici Editor, quàm Auctor aut veriùs interpolator animum ſanè protervum atque mendaciſſimum pandunt. 4tò. p. 142. in margine hæc nota ponitur: *Simultas inter Romanos & Pontificem Formoſum: ubi hic Spiritus Sanctus?*

Ad extremum hìc addere juvat, quæ Gretſerus L. II. Variarum C. " 10. p. 260. de hoc Chronico notat: Chronicon hoc præfatione " ſua contaminavit Philippus Melanchton, & Crato Mylius Antver- " pienſis, diſcipulus Melanchtonis; qui cùm Chronicum hoc recu- " dere cogitaret, Melanchtoniam præfationem velut hederam appen- " dendam curavit, ut merx vendibilior fieret; cúmque Cratonem " Melanchton laudâſſet, ille ut ſatisfieret proverbio: *mutuum muli ſca-* " *bunt*: viciſſim verbosè ſui Præceptoris laudes decantat, ùt & illius, " qui ad Chronicum hoc Paralipomena adjecit, qui planè fanaticus " holophanta fuit: nec Lutheranus, nec Calvinus, nec Anabaptiſta,

" ſed

" ſed omnia ſimul ; à cujus ùt & Melanchtonis & Cratonis ſordibus
" ſi quis Chronicum hoc liberaret, grande operæ pretium faceret.

CHRONICON, quod S. DATII dicitur. Floruit hic Epiſcopus Mediolanenſis ſub medium Seculi VI, ſeu tempore Caſſiodori, ùt hujus ad Datium Epiſtola probat, quæ inter Caſſiodori Epiſtolas libro XII. vigeſima ſeptima extat. Bellarminus, Poſſevinus, Puteanus, Miræus, Ughellus, aliíque ab hoc Datio Hiſtoriam ſui temporis fuiſſe conſcriptam, ſuppoſuerunt magis quàm examinârunt. *Ex tali autem* (ùt inquit Papebrochius T. VII Maji in Exegeſi de Epiſcopis Mediolanenſibus p. LXIV.) *perſuaſione quidam Ambroſianæ, ùt videtur, Bibliothecæ Præfectus, veteri Codici, ante annos facilè ſexcentos* (nunc propè ſeptingentos) *ſcripto, hunc titulum præſcripſit* (*eſt enim tituli manus recentior*) CHRONICA DATII ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI NUNCUPATA. *Rem ipſam accuratiùs diſcere cupiens diligentiſſimus Joannes Mabillo, quædam circa Codicem eum quæſivit, & mediante Claudio Caſtellano Pariſienſi Canonico, reſponſum accepit, quale inſeruit Tomo I. Analectorum ſuorum pag. 5. deſinere Chronicon illud in anno MLXVII, ac ferè narrare ea, quæ contigere in Eccleſia Mediolanenſi tempore Alexandri II, eſſe autem non modò non eadem manu deſcriptum, verùm neque ab eodem Auctore; nam* PRIMAM PARTEM, *inquit*, SCRIPSIT LANDULPHUS SENIOR, SECUNDAM ARNULFUS, ET TERTIAM LANDULFUS JUNIOR, OMNES HISTORICI MEDIOLANENSES. *Addiderim* (pergit Papebrochius) *idem Chronicon aut parùm aut nihil facere ad Hiſtoriam Epiſcopalem, cùm ex eo nihildum ii protulerint, qui illam Mediolani tractárunt, ipſúmque Codicem potuerunt legiſſe.* Idem de tribus Chronici, Pſeudo-Datiani, compilatoribus illis judicium repetit Papebrochius T. VII Maji in Paralip. ad Conatum Chronico-Hiſtoricum p. 89. col. 2. ſub finem. Dein ſola Datii ætas, qui Seculo VI jam vixit & circa annum 552 è vivis exceſſit, abunde jam ſufficit, ut alius longè Chronici Auctor ſtatuatur, utpote in quo etiam geſta Seculi VIII uſque ad Alex. II tempora ſive ad an. 1067. referuntur. Sed & Hugo Menardus (ùt advertit Labbeus T. I. Script. Eccl. p. 250.) in notis ad ritum antiquum unctionis Regum Francorum, & ex eo Theophilus noſter Raynaudus in Erotematis jam monuêre, ſtylum, quô liber ille pſeudo-Datianus exaratus eſt, neutiquam Juſtiniani tempora redolere, ſimúlque talia de geſtis in Sanctorum Ambroſii & Auguſtini alloquio ibidem narrari, quæ ipſimet Sancto Auguſtino atque Poſſidio planè adverſentur. CHRONICON S. DATII

Plura de hoc Chronico Datiano eruditè pertractat Pagius T. II. Crit. ad an. 552. n. 26. 27. 28, ubi ſolidis ex argumentis illud Datio

abjudicat, & *ſoli* Landulfo Seniori, Sec. XII ſcriptori adjudicandum oſtendit (Confer Pagium T. IV. ad an. 1045. n. 11.) utpote cujus contenta aliud non ſunt quàm IV Hiſtoriarum libri, jam in Veteri MS. pergameno, cujus Puricellus meminit, Landulfo Seniori adſcripti: quæ Pagii ſententia multò mihi verosimilior videtur, quàm quòd tres propè ſynchroni ſcriptores, ac præcipuè Arnulfus & Landulfus Senior, prorſus contemporanei (niſi quòd Arnulfus, etiam ſeniore Landulfo aliquantùm ſenior jure poſſit exiſtimari) circa rem eandem eodem tempore laborârint; diverſa enim Codicis manus, cujus Mabillonius in Analectis meminit, non illico ipſorum Auctorum, ſed ſolam amanuenſium idem etiam Auctoris opus deſcribentium & ſibi invicem ſuccedentium diverſitatem arguere debet.

CHRONIC. DITMARI. CHRONICON DITMARI. Vid. DITMARUS.

CHRONIC. EUSEBII. CHRONICON EUSEBII. Hic ob ſingularem cum Pamphilo Martyre amicitiam *Pamphili* cognomen adeptus, & ab an. circiter 315 ad annum 340 Cæſareenſis in Palæſtina Epiſcopus plura edidit Scripta, quæ *Labbeus* T. I. Script. Eccl. p. 301. ſeq. & p. 779.: *Poſſevinus* T. I. Apparatûs Sacri à p. 462. *Nat. Alex.* T. IV. Hiſt. Eccleſ. *Sixtus* Sen. in Biblioth. *Graveſ.* P. I. T. I. p. m. 142. aliique enumerant. Notiſſimum eſt illius Chronicon, quod, (ùt rectè notat Labbeus l. c. p. 302) non à prima mundi fabrica, prout varii & ex Recentioribus Graveſonius perperam cenſuêre, ſed ab Abrahami, credentium Patris, natalibus eſt auſpicatus. Quidquid enim Abrahami temporibus ab Euſebio præmittitur, vices potiùs Exordii ſubit, & compendiarii omnium temporum computi præambulum nomen meretur. Genuinum verò Chronici, æquabili deinceps ordine per diſtinctas annorum & rerum ſeries progredientis, initium ab Abrahami ætate petendum, ipſa Chronici Euſebiani exemplaria, eorúmque multiplex editio docent. Porro Chronicon ſuum, Græco idiomate ſcriptum, Euſebius pertexuit uſque ad an. Chriſti 329, ùt Arnaldi Pontaci Editio habet: Labbeus tamen & Graveſonius illud in anno Chriſti 326 terminari aſſerunt. Ex Græco dein in latinum *fideliſſimè* illud ſe tranſtuliſſe fatetur *D. Hieronymus*, ſimúlque primus continuavit uſque ad an. 381. poſt Hieronymum *Proſper Aquitanus* uſque ad an. 449. juxta editionem Pontaci, juxta Labbeum verò atque Du-Cheſnium uſque ad an. 455: item *Marcellinus Comes* ab an. 379. ad 535: *Victor Tunnunenſis* in Africa Epiſcopus, qui teſte Iſidoro Hiſpalenſi Chronicon ſcripſit ab initio mundi uſque ad primum Juſtini Imperatoris annum, ſeu Chriſti 565, cujus tamen

ea

ea ſolummodo pars modò ſupereſt, quæ ab anno 444 uſque ad an. 565 perducitur : dein *Marius* Lauſannenſis ſive Aventicenſis Epiſcopus ab anno 455, in quo deſiit Proſper, uſque ad an. 582. Denique *Joannes* Biclarienſis in Hiſpania Abbas ab an. 566 uſque ad 591. Cardinalis Aguirrius in Notitia Conciliorum Hiſpaniæ pag. 95 (Vid. Pagium T. II Crit. ad an. 589. n. 7.) meminit additionis ad Biclarienſe Chronicon, ab Anonymo factæ, ab an. 601 ad 742.

Variæ ſunt tam Euſebiani, quàm ceterorum Chronicorum editiones. Et EUSEBIANI quidem una eſt Pariſienſis de an. 1513. Altera Burdigalenſis de an. 1604 per Arnaldum Pontacum. 3ia Batavo-Lugdunenſis de an. 1606 in Theſauro temporum Joſephi Scaligeri : præter alias plures, quas Pontacus vidit. HIERONYMI & PROSPERI appendices exhibent hæ ipſæ Euſebiani editiones: PROSPERUM verò etiam recudêre Henricus *Caniſius* in Lection. Antiq. *Du-Cheſnius* T. I. Script. Franc. *Labbeus* T. I. Biblioth. MS. MARCELLINUM COMITEM edidit *Scaliger* l. jam cit. multò tamen perfectiùs ac caſtigatiùs; Labbeo Teſte, *Sirmondus* noſter Pariſiis an. 1619 unà cum Chronico Idatii Lemicenſis. VICTOREM publicârunt tam *Caniſius* quàm *Scaliger* loc. cit. MARIUM prima luce donavit Petrus Franciſcus Chiffletius, dein T. I. Script. Franc. inſeruit du-Cheſnius. JOANNEM denique Biclarienſem prelo dedêre *Scaliger* atque *du-Cheſnius* l. cit. de quo Joanne vide Pagium T. II. Crit. ad an. 591. n. V. & ad an. 593. n. 3.

Quidnam verò negotii in Euſebii Chronico ſuſceperit D. Hieronymus, ipſe ſe explicat. " Sciendum eſt (inquit in Ep. ad Vincentium " & Gallienum) me & interpretis & ſcriptoris ex parte officio uſum, " quia & Græca *fideliſſimè* expreſſi, & nonnulla, quæ mihi intermiſſa " videbantur, adjeci, in Romana maximè hiſtoria, quam Euſebius " hujus conditor libri, non tam ignorâſſe, utpote eruditus, quàm ùt " græcè ſcribens parùm ſuis neceſſariam perſtrinxiſſe mihi videtur. Ita- " que & à Nino & Abraham uſque ad Trojæ captivitatem pura Græ- " ca translatio eſt : à Troja uſque ad viceſimum Conſtantini annum " nunc addita, nunc mixta ſunt plurima, quæ de Tranquillo & ce- " teris illuſtribus hiſtoricis *curioſiſſimè* excerpſimus. A Conſtantini " autem ſupradicto anno uſque ad conſulatum Auguſtorum Valentis " Sextum & Valentiniani, iterum totum meum eſt. Quo fine con- " tentus reliquum temporis Gratiani & Theodoſii latioris hiſtoriæ " ſtylo reſervavi.

Nihilominus contigit Euſebii & Hieronymi Chronicis, quod Hieronymus ipſe in ſua Chronici præfatione jam præſenſiſſe videtur, cùm ait:

ait: *nec ignoro, multos fore, qui ſolita libidine detrahendi omnibus (quod vitare non poteſt, niſi qui omnino nil ſcribit) huic volumini genuinum dentem infigant. Calumniabuntur tempora, convertent ordinem, res arguent, ſyllabas eventilabunt: & quod accidere plerumque ſolet, negligentiam librariorum ad Auctores referent.*

Et ſanè vatem veriſſimum Hieronymus egit; nam *primò* Joſephus Scaliger, Julii Cæſaris à Burden filius, cùm in ſuo Theſauro temporum idem Euſebii Chronicon ex antiquis, ùt jactitabat, Codicibus emendatum, & animadverſionibus à ſe illuſtratum recuderet, tam Auctorem Euſebium, quàm interpretem Hieronymum tot convitiis, calumniis & contumeliis flagellavit ac laceravit, ac ſi uterque ipſius mancipium fuiſſet neque plus in literis, præcipuè in Chronologia ſapuiſſet, quàm aliquis de Leidenſi trivio literator. Verùm hunc idiomatis græci oſtentatorem vaniſſimum & Hieronymianæ verſionis criminatorem inſulſiſſimum pro merito ſuo non ſegniter dedolavit, ſimúlque Hieronymum vindicavit Gretſerus in opere poſthumo ſive lib. III. Variarum cap. V & VI à p. 312 ad 338, ubi plura, ùt Gretſerus loquitur, *impudentiæ & inſcitiæ Burdonianæ* ſpecimina exhibentur ac proteruntur. Imò ipſe Hieronymus, prout advertit Gretſerus l. c. p. 337. 338, jam in ſuo ad Hebraicas quæſtiones Epiſtolari proëmio ſatis ſuperque adverſus Burdonicos hoſce ruditus ſeſe præmuniſſe videtur, cùm inquit: *Qui in principiis librorum debebam ſecuturi Operis argumenta proponere, cogor priùs reſpondere maledictis, Terentii quippiam ſuſtinens, qui comœdiarum prologos in defenſionem ſui ſcenis dabat; urgebat enim eum Luſcius Lavinius, noſtro Luſcio ſimilis, & quaſi publici ærarii furem, Poëtam criminabatur. Hoc idem paſſus eſt ab æmulis & Mantanus Vates, ùt cùm quoſdam verſus Homeri tranſtuliſſet ad verbum, compilator veterum diceretur; quibus ille reſpondit, magnarum eſſe virium, Herculi clavam extorquere de manu. Sed & Tullius, qui in arce eloquentiæ Romanæ ſtetit, Rex Oratorum & Latinæ linguæ illuſtrator, repetundarum accuſatur à Græcis. Non mirum ergo, ſi contra me parvum homunculum immundi ſues grunniant, & pedibus margaritas conculcent: cùm adverſus doctiſſimos Viros, & qui gloriâ invidiam ſuperare debuerant, livor exarſerit.*

Secundò: in Euſebiani Chronici Apographa per promiſcuam diverſiſſimorum ubique Amanuenſium ſive incuriam ſive licentiam innumera prope menda & lectionum varietates ſenſim irrepſêre, dum tandem Arnaldus Pontacus, Vaſatenſis in Aquitania Epiſcopus, non modò ad viginti octo MS. Codicum, ſed & ad octonarum quà loco quà tempore diverſarum Editionum fidem incredibili profectò cum labore Chronicon illud emendatius redderet, & poſt innumeros er-

rores

rores expunctos primævæ, quantum fieri poterat, fontis ſinceritati reſtitutum, anno ſuperioris Seculi quarto felicioribus typis elucubraret. Dixi: *quantum fieri potuit*: neque enim parachroniſmi, aut errata hiſtorica, Chronico huic quantumvis emendatiſſimo deſunt, prout complures Critici v. g. Pagius & Hagiographi Antverpienſes paſſim advertunt (Vid. Act. SS. T. V. Junii in Hiſt. Chronolog. Patriarch. Alexandr. p. 22. n. 113. T. III. Julii ad diem XI p. 179. n. 4.) ſive quòd ex Codicibus, qui hodiedum ſuperſunt, nævi omnes non potuerint detegi, ſive quòd Euſebius ipſe (id quod veroſimilius) jam in ſuo fonte atque autographo ſubinde exerrârit. Attamen licèt Euſebii Chronicon hodiedum ſuis mendis laboret, illum tamen ùt Chronographum antiquiſſimum & eruditiſſimum meritò Sollerius laudat, neque ab illo facilè ſe dimovendum ſæpiùs profitetur; niſi quando luculenta neceſſitas cogit. Vid. T. V. Junii l. c. p. 19. n. 102 & T. III Julii ad diem XI. l. c.

Sed neque *Hieronymi Chronicon* in Chronotaxi ubique legitimum eſſe, idem Sollerius notat T. V. Junii l. c. p. 41. n. 216. De *Proſperi Chronico* illud memorandum occurrit, quod Henſchenius noſter T. VII Maji in Exegeſi Prælim. de Epiſcopatu Tungrenſi p. 69 & 70 jam inculcaverat, diverſiſſimas omnino editiones inter ſe eſſe, quarum unam Pithæus, alteram curârat Du-Cheſnius; nam Pithœanum Chronicon non modò eſt interpolatum, ſed & erroribus & mendis refertum eſſe, l. c. Henſchenius probat: contrà verò Du-Cheſnianum, quemadmodum ex Hagiographorum noſtrorum Antverpienſium Codice vetuſtiſſimo, & jam ſub annum circiter 623 conſcripto fuit excerptum, ita multò ſincerius illud eſt exiſtimandum, multisque narratiunculis caret, quibus Pithœanum eſt contaminatum. Atque in hoc ipſo antiquiſſimo Antverpienſium Codice (quem probabiliùs Pontaeus nunquam adhuc viderat) primo loco extat Chronicon Euſebii, dein Hieronymi, poſtea Chronicon Proſperi, ac denique Marii.

Pithœanum Proſperi exemplar etiam Labbeus T. I novæ Biblioth. MS. edidit, illúdque ſubjunxit genuino, quod primo loco dederat. Solet præterea Pithœanum, *Proſperi Tyronis Chronicon*: item *Imperatorium* appellari, quia per annos Auguſtorum neglectis Conſulibus progreditur; aſt Du-Cheſnianum vocatur *Conſulare*, quia Epocham per Conſules firmat. Quoniam verò Du-Cheſnius non niſi appendicem quandam ex Proſperi Chronico, ab anno ſcilicet 379 usque ad 455, Hieronymi Chronico addiderat, idcirco Labbeus integrum Proſperi Chronicon ab exordio mundi usque ad annum Valentiniani Auguſti octavum (cujus jam meminerat Victorius Aquitanus in Epiſtola ad

Hilarum Romanæ urbis Archidiaconum, quam Canoni Paſchalis Feſti præfixit) in ejusdem MS. Bibliothecæ Tomo I recenſuit, ut plurium Eruditorum, dudum id expetentium, deſideria tandem expleret. Plura de Proſperi & Pſeudo-Proſperi Chronico vide apud *Labbeum* T. II. Script. Eccl. p. 247. 248. 259. 260. *Pagium* T. II. Crit. ad an. 445. n. 22. 23. *Nat. Alex.* T. V. Hiſt. Eccl. *Poſſevinum* in Apparatu, aliósque.

De *Marcellini* Chronico obſervant Critici, quòd in notationibus temporum non usquequaque ſit accuratum. Vid. *Act. SS.* T. III. Sept. p. 505. n. 9. 10. 13. p. 517. n. 69. *Pagius* T. II. Crit. ad an. 446. n. 12. an. 450. n. 3. an. 444. n. 13. an. 498. n. 6.

De *Mario* ait Pagius T. II ad an. 581. n. 17: *Is cum ſtante Burgundiæ Regno vixerit, in perſequendis Burgundionum rebus accuratior fuit, ſed in ils, quæ ætate ſua geſta ſunt, non rarò in Chronologiam peccat, ut identidem obſervavi.* v. g. ad annum 575. n. 3. an. 556. n. 19. & 14. an. 554. n. 8. &c.

De *Victore Tunnunenſi* idem Pagius T. II ad an. 484 n. 14. *miram in ejus Chronico per hos annos perturbationem temporum* notat.

Ceterum, ùt monet Poſſevinus in Appar. p. 465 verbò: *Euſebius: cavendum eſt à Chronicis, quæ addita ſunt Chronico tum Euſebii tum Hieronymi & aliorum Catholicorum. Nam cùm hoc Seculo* (XVII) *edita fuerint auctiora, juſtiſſimis de cauſis additiones ad Chronicon Euſebii ab anno 1513 usque ad 1556 à Theologis Hiſpanis in eorum Indice expurgatorio fuêre indicatæ, ubi inſperſa ſunt erroribus ab hæreticis.*

CHRONICON FARFENSE.

CHRONICON FARFENSE, ſeu Farfenſis Monaſterii (quod & *Acutianum* dicitur) in Ducatu Spoletano ſiti. Partem illius ſive Excerpta quæpiam dedit Du-Cheſnius T. III. Script. Franc. p. 650. Sed jam Mabillonius, qui in illo Cœnobio diverterat, T. I. Muſei Italici P. II. p. 62 animadvertit, dignum illud eſſe, quod integrum ederetur, ob varia Acta publica, quæ in eo continentur. Mabillonii votis demum ſatisfecit Muratorius, qui T. II Script. Ital. P. II. p. 287 integrum illud produxit. Meminêre hujus Chronici *Pagius* T. III Crit. ad an. 839. n. 3. an. 892. num. 3. *Eckhartus* T. II Comment. de Rebus Franc. Orient. p. 181. n. 192 ad an. 823 & p. 236. n. 266 ad an. 829. *Papebrochius* T. VII Maji in Paralip. p. 84 n. 8. in Geſtis Gregorii V. ad an. circiter 998: ubi tamen addit, quòd Chronographus Farfenſis Joannem Epiſcopum Placentinum cum Arnulpho Archiepiſcopo Mediolanenſi malè confuderit.

CHRONI-

CHRONICON FLODOARDI Remenſis. Vid. *Flodoardus.* CHRONIC. FLODOAR.

CHRONICON FONTANELLENSE, ſeu S. Wandregiſili, Diœceſeos Rotomagenſis, conſcripſit Monachus Fontanellenſis, qui teſte Pagio T. III Crit. ad an. 841. n. 9. circa medium noni Seculi vixit. Partem hujus Chronici, ſive ab an. 841 ad 856 Du-Cheſnius T. II. Script. Franc: Totum verò Chronicon Dacherius T. III. Spicilegii dedit. Chronicon hoc allegant *Pagius* T. III Crit. ad an. 682. n. 8. an. 698. n. 12. an. 719 n. 11. an. 726. n. 18. an. 841. n. 9. an. 855. n. 19. & ad an. 885. n. 6. ubi de Chronici hujus Præfatione fit mentio: quam præfationem unà cum Appendice geſtorum usque ad an. 1053 alius Continuator & Seculi XI Scriptor addidiſſe conjicitur. *Eckhartus* T. II p. 400 & 402. ad an. 849. p. 415 ad an. 851. *Nat. Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. ad Sec. XI. C. V. Art. IX de Chronicis p. 510. Plura menda chronica in hoc Opere ſparſa jam detexit Henſchenius noſter T. II. Febr. in vita S. Ansberti Archiep. Rotomag. p. 346 n. 22 in Comment. prævio. CHRONIC. FONTANELLENSE.

CHRONICON FREDEGARII Scholaſtici, qui Gregorii Turonenſis Chronicon, ùt ipſe in præfatione ſua teſtatur, continuavit usque ad an. 642, ſive usque ad Willibadi interitum & Floccoati obitum. Unde Chronicon illius reipſa in Capite 90 deſinit, ùt inter eruditos jam convenit. Vide *Henſchenium* T. I. Febr. p. 214 à n. 43 ad 46. *Pagium* T. II. Crit. ad an. 642. n. 8. 9. T. III Crit ad an. 736. n. 2. *Eckhartum* l. ſuprà cit. T. I. p. 217. n. 12. Fredegarii fidem longè graviſſimam commendat *imò* temporis ætas, quò ſcripſit: utpote qui juxta Pagium T. 2. ad an. 642 n. 8. Sæculo 7. ſub Clotario III ſcripſiſſe, imò Cap. 90 ipſe ſuam ætatem per verba: *Creditur à plurimis* &c. Rem ſcilicet adhuc in memoria hominum recentem ſignificantia manifeſtâſſe videtur. *2dò*: diligentia & accuratio non modica, quam huic Chronico ſe impendiſſe Fredegarius in præfatione fatetur Vid. *Henſchen.* l. c. Fabulis tamen haud penitus vacare hoc Chronicon exiſtimat Pagius T. II ad an. 593. n. 3. ubi de cap. IX Fredegarii ſeu de converſione Regis Perſarum fit mentio. CHRONIC. FREDEGARII.

Fredegarium continuârunt tres Anonymi, omnes ſimiliter coævi: primus à Cap. 91 usque ad peractam Pippini Regis electionem: alter usque ad electionem Regum Carolomanni & Caroli: tertius usque ad an. 791. Et primus quidem appendicem ſuam edidit jubente Childebrando, Regis Pippini Patruo: & Caroli Martelli Germano: alter jubente Comite Nibelungo, Childebrandi filio; nam in vetuſtiſſimo Codice Reginæ Sueciæ ad finem 1mæ appendicis ſeu à primo

Anonymo ſcriptæ, poſt memoratam Pippini Regis electionem capitalibus literis hæc exarata leguntur: *Usque nunc Inluſter Vir Childebrandus Comes, avunculus prædicti Regis Pippini hanc hiſtoriam vel geſta Francorum diligentiſſimè ſcribi procuravit. Abhinc ab inluſtre Viro Nibelongo, filio ipſius Childebrandi, itémque Comite ſuccedat auctoritas.* *Vid. Pag.* T. II ad an. 642 n. 9. & T. III. ad an. 736. n. 5. *Eckhart* l. c. T. I. p. 321. n. 6. & p. 217. n. 12. Quercetanus quidem ſive Du-Cheſnius T. I. Script. Franc. & Oudinus T. I. Script. Eccl. p. 1799 exiſtimant, utramque hanc appendicem à Fredegario fuiſſe adjectam, indéque infert Oudinus, Fredegarium Chronicon ſuum anno primùm 769 vel 770 ſcripſiſſe. Aſt contrarios ſibi habent ceteros Scriptores Criticos, ùt Henſchenium, Pagium, Eckhartum, *locis cit.* Et ſanè ingens illa narrationis & ſtyli diverſitas, quæ in utraque appendice invenitur, diverſos à Fredegario Auctores loquitur. Pagius T. III. Crit. ad an. 736. n. V. ita ſe explicat: " Utraque Appendix ad Continuationem Fredegarii ab Auctore coævo edita, ſed incertum, an utraque unius ejusdémque Scriptoris fœtus ſit. Illud certum, in neutra Appendice res geſtas quasque ſuis annis accuratè adſcribi, ſed pleraque nullo Ordine ſervato confuſa ac indigeſta proponi. Sed tam Fredegarii quàm ejus Continuatorum vitia temporibus, quibus vixêre, imputari debent, ùt rectè Valeſius l. 20. Rerum Franc. tradit, Ope Annaliſtarum, qui poſt illos ſcripſêre, utriusque Appendicis errores corrigi, brevitásque poteſt ſuppleri." Notandum porro, quòd tam Fredegarius, quàm ejus Continuatores annum à Kalendis Martiis auſpicentur. *Vid.* PAG. l. c. n. 2 & 3. ſingulos verò ſeu Fredegarium cum duobus continuatoribus ſuis edidêre *Freherus* in Corp. Hiſt. Franc. Sinceræ & Veteris: *du-Cheſnius* T. I. Script. Franc. *Ruinartius* in editione Operum Greg. Turon. an. 1699. *Baſnagius* T. II. Antiq. Lect. Caniſian. De tertia inſuper Appendice (quæ à translatione reliquiarum S. Gorgonii in monaſterium Gorzienſe ſive ab an. 765 incipit, & in an. 791 ſive in Hunnici belli initiis & prævia triduana ſupplicatione abſolvitur) meminit, ſimúlque conjectat Eckhartus T. I. p. 743. n. 44, eam ab Angelramno, Epiſcopo Metenſi & Caroli M. Archi-Capellano, fuiſſe confectam, qui in hac ipſa Hunnica expeditione obiit, proindéque Scriptionem ſuam ultra belli hujus initia proſequi non potuit. Aſt mera conjectura hæc eſt. Num denique Fredegarius *Geſta Francorum Epitomata*, ſive ex Turonenſis Gregorii libris X contracta, quæ apud Freherum Annalibus Nazarianis ſubjiciuntur, ipſe pariter contraxerit, res admodum incerta videtur, ùtût id affirmet Pagius ad an. 642. n. 5.

CHRO-

CHRONICON BREVE S. GALLI, inde ſic appellatum, quòd in Monaſterio S. Galli apud Helvetos fuerit ſcriptum atque repertum, extat apud du-Cheſnium T. III Script. Franc. atque ab an. 748 uſque ad an. 926 temporum geſta complectitur. Ejus ſæpiùs meminêre *Eckartus* in Comment. de Franc. Orient. v. g. T. I. p. 671. n. 183. &c. *Pagius* T. III. ad an. 791. n. 4. & an. 910. n. 3. &c. CHRONIC. BREVE S. GALLI.

CHRONICON *Godefridi Viterb.* Vide *Godefridus.*
CHRONICON *Helmoldi.* Vide *Arnoldus Lubec.*

CHRONICON *Hermanni Contr.* Filius is fuit Wolferadi, Verin-genſis in Suevia Comitis, ex Hiltrude conjuge progenitus; Mona-chus dein Augiæ Majoris ſeu Divitis prope Conſtantiam ad lacum Acronium, pietate & doctrinâ conſpicuus, vivere deſiît in Aleshu-ſen, prædio ſuo, ibíque ſepultus. Chronicon apud Scriptores æſti-matiſſimum multo labore collegit atque conſcripſit ab ortu Mundi usque ad an. Chriſti 1054, continuatum dein à Bertoldo Conſtan-tienſi, de quo ſuprà. Extat illud tum ſeorſim excuſum, tum T. I Script. Germ. ab Urſtiſio gemino contextu expanſum, item T. I. Vet. Script. Germ. apud Piſtorium: denique adhuc auctius, atque, ùt ait Labbeus, correctius T. I. Antiq. Lect. apud Henricum Cani-ſium, Tomo verò III earundem Lectionum Amſtelodami à Baſnagio recuſarum an. 1725. Tria itaque Chronici hujus ſunt exemplaria: Primum, quod juxta Urſtiſii in hoc Chronicon præfationem ex Mo-naſterio S. Galli fuit tranſcriptum, eſt brevius: alterum, quod ex Bibliotheca S. Georgii Hercyniæ ſylvæ eſt erutum, à rebus anni 378 mul-tò eſt amplius & emendatius, illúdque una cum priore edidit Urſti-ſius. Tertium, quod ex MS. Codice Auguſtani Monaſterii Sancto-rum Afræ & Udalrici deſumpſit Caniſius, altero adhuc eſt auctius, ſimúlque in Chronotaxi non rarò mutatio intercedit. Præterea utrum-que prolixius Chronicon, tam Urſtiſianum, quàm Caniſianum, ex aliis Scriptoribus antiquioribus, ſcilicet Euſebio, Hieronymo, Ruffi-no, Proſpero, Jornande, & Beda usque ad an. 726 fuit congeſtum, ùt ex intermediis Chronici textibus liquet ad an. 326. 375 & 378. 395. 454. 550. 726. Cetera usque ad an. 1054 (quæ de rebus potiſſimùm Francicis agunt) tum ex veruſtioribus Auctoribus Francicis, ac præ-cipuè ex Annalibus Fuldenſibus Freherianis usque ad an. 900 (ùt ob-ſervat Eckhartus T. II Comment. de rebus Franc. Orient. p. 714. n. 338) tum ex Majorum traditione & propria rerum temporúmque notitia diligenter conquiſita fuêre atque conſcripta. CHRONIC. HERMAN. CONTR.

Num verò Hermannus Contractus ipſemet triplicis hujus Chronici, etiam ùt dupliciter aucti emendatique ſit auctor, an alius Hermanno poſterior, qui quæpiam addiderit, quæpiam reſecuerit, dubitant Eruditi. De Antiquiore ſive breviore San-Gallenſi vix quispiam erit, qui ambigat, illud Hermanno deberi. Neque de Urſtiſiano multùm videtur controverti, & in præfatione ſua Urſtiſius pro Hermanno Auctore pronuntiat; quam opinionem pariter illud confirmat, quod in editione Urſtiſiana ad an. 1053 Hermannus de ſuo fratre hisce verbis teſtatur: *Werinharius frater meus Augienſis Monachus, admodum doctus, & religioni verè deditus juvenis, cum alio Monacho Linthario. . . peregrinationem clam pro Christo aggreditur, literis remiſſis licentiam Abbatis poſtulans & impetrans &c* De Caniſiano apographo non eadem eſt Eruditorum conſenſio. Caniſius ipſe in ſua Præfatione potiùs in alium propendet auctorem, qui partim largiora illa (quæ in prioribus Editionibus deſunt) additamenta adjecerit, partim alia, quæ in Urſtiſiano Codice extant, penitus reſecuerit, ſimúlque annorum ordinem, præcipuè in antiquioribus geſtis permutârit. Caniſio ſuffragatur Miræus in notis ad cap. XII libri Honorii Auguſtodunenſis de Scriot. Eccleſ. Papebrochius in Propyleo Maji p. 145. n. 4. rem in medio relinquit, neque quidquam definit. Imò interpolationis quodammodo ſuſpectus creditur Codex Caniſianus, ideóque Piſtorianus præhabendus cenſetur in Actis SS. T I. Septembr p. 540. n. 338: ubi ad an. 1031 de Pace cum Stephano Rege fit mentio: ùtùt commoda ſimul Caniſiani textûs explicatio ibidem addatur. Conradus Janningus, licèt T. VI. Junii in Appendice ad diem X Junii ſive ad vitam B. Bardonis Archiep. Moguntini p. 89. n. 10 & 11 utriusque Chronici, tam brevioris, quàm locupletioris Caniſiani Parentem eſſe Hermannum primò videatur innuere, ipſe tamen numerum XI. hisce verbis concludit: *His deductis, nolim tamen exiſtimari, auctius Hermanni Chronicon ab ipſomet auctum fuiſſe, nullo ſufficienti argumento id mihi perſuadente; poteſt enim ab alio deinde auctum & interpolatum fuiſſe.* Attamen num. 10 ait: præferendam Hermanni Scriptionem poſteriorem (ſiquidem ille hujus ſit auctor) Scriptioni priori; *quis enim vir prudens mutat ſententiam, niſi meliora doctus?* ſimúlque corrigit Pagium, qui ad an. 1019 n. 1. potiùs poſterius Chronicon, ſive Caniſianum, quàm illud brevius erroris arguere maluit. Denique Janningus l. c. n. 11. convenientiſſimè explicat, quomodo Hermanni ſequaces, ùt Lambertus Schaffnaburgenſis, Marianus Scotus, Conradus Urſpergenſis & Chronographus Hildeshemienſis diverſos ſubinde annos in Chronicis ſuis notare potuerint, quàm Sigebertus; potuit enim hic habuiſſe

Her-

Hermanni Chronicon auctius, illi brevius; quæ Janningi responsio adaptari similiter poterit ad ea, quæ cit. T. I. Sept. de Pace cum Stephano, seu Pacis témpore, ex ceterorum Scriptorum diversitate adversus Chronicon Canisianum peti posse sunt visa. Pagius T. IV Crit. ad an. 1054 n. 20. ita de tertia hujus Chronici editione statuit: *cùm Hermannus se ipsum in prima persona nominans, modò diem & annum suæ nativitatis, modò diem & annum, quo ad studia missus fuit, modò Parentum suorum nomina, & quæ eis contigère, memoret, non video dubitandi locum, quin ipsemet primum suum partum* (addo ego, etiam secundum, sive Urstisianum) *uti imperfectiorem, postea auxerit, vel correxerit; cùm illud olim, hodieque aliis Scriptoribus in more positum fuerit. Editionem Canisianam omnium optimam Baronius Anno tantùm MXXXV num. II. citare incipit.* Ita Pagius: qui tamen ipsa Chronici verba non allegavit, quibus sua dicta in lectoris gratiam luculenter firmaret. Ita igitur in *solo* Canisiano Codice legitur. Ad an. 1009. *Wolferadus Comes Hildrudem, Piligrim & Bernhardi filiam, uxorem duxit, ex qua postea me Hermanno annumerato* 15 *liberos produxit.* Ad an. 1010 *Senior Wolferadus Comes, paternus Avus, in ensibus clemens, & justitiæ tenax, inter suósque præclarus* 4. *Nonas Martii jam senex moritur.* Ad an. 1013. *Herimannus ego XV Cal. Augusti natus sum.* Ad an. 1020 *Ego Herimannus literis traditus sum* 17. *Cal. Octob.* Ad an. 1021. *Werinharius Frater meus Calendis Novemb. nascitur.* Ad an. 1032. *Bertha Avia mea, fœmina satis religiosa, XXIII viduitatis anno, II Calend. Januarii decessit.* Atque hæc singula, quæ tum de Hermanno tum de Hermanni familia quoad dies & annos tam exactè vix quisquam alius præter ipsummet Hermannum scire poterat, adeòmihi videntur perspicua, ut de eodem Hermanno, tanquam verissimo Canisiani Chronici auctore & emendatore, nullam penitus apud me dubitationem relinquant. Neque enim ulla verosimilis apparet ratio, cur ea sola, quæ mox recensuimus, ab ipso quidem Hermanno, cetera verò ab aliis addita arguere liceat, præcipuè cùm uniformitas styli in eodem Chronico, maximè circa X & XI seculi gesta, præ cæteris elaborata, servetur. Sæpiùs itaque lambendo fœtum, eundem magìs magísque perpolìt Hermannus, & prouti cum rebus tempora identidem sibi perspectiora reddiderat, ita pro industria sua & unius veritatis studio quæpiam addidit, nonnulla rejecit, & minùs fidelibus annis veriores substituit: præcipuè si illi ipsi, in quorum manus primus æquè atque secundus Hermanni labor pervenerat, certiora postmodum Hermannum edocuêre; id quod verosimillimè factum.

Nihilominus, etiam post tam insignem Hermanni conatum, in Chronologicis ac præprimis in paulò anteriorum temporum calculis eun-

eundem frequentiùs ceſpitâſſe affirmat Pagius v. g. T. IV ad a. 972. n. 1. an. 974. n. 1. an. 975. n. 5. an. 1019. n. 1. quanquam hìc diſcutere non allubet, num ubique ſat ſolidè Pagius Hermanni Chronologiam impugnet: an potiùs ipſe, dum impugnat, quandoque impingat, & cum errantibus, quos ſequi maluit, auctoribus erret. Illud verò de Hermanni Chronico non omittendum, quòd anni Principium à Nativitate Domini repetat (Vid. PAGIUS T. IV. ad an. 983. n. 6.) dein quòd annos inchoatos pro integris accipere ſoleat Hermannus (Vid. *Papebroch.* in Propyl. Maji p. 178. n. 2. de Joanne XVIII) id quod aliis etiam Scriptoribus, ùt Origeni, Theophani &c. imò & Scripturæ Sacræ eſt admodum familiare. Vid. *Acta SS.* T. I. Aug. in Hiſt. Chronolog. Patriarch. CP. n. 438. T. IV Julii p. 17. n. 4. ad diem XV. Cornel. à Lapide T. I. in Lib. Regum p. 142. *Pagius* ad an. 1086. n. 7. in fine, & ad an. 1125. n. 6.

CHRONIC. HILDESH. CHRONICON HILDESHEMIENSE. Vide ANNALES.

CHRONIC. HISPANIC. CHRONICA HISPANICA, ſive quæ in Hiſpania partim ſub finem XVI partim ſub initium XVII ſeculi ſub nomine *Lucii Dextri: Marci Maximi: Juliani Perezii: Luitprandi: Helecæ: Liberati: Hauberti Hiſpalenſis:* unà cum *Gregorii Granatenſis* Epiſcopi Martyrologio &c. tum ex noſtri Hieronymi Higueræ, tum ex Lupiani Zapatæ & Gregorii Argaizii Benedictinorum figlina aut veriùs ſiculneo cerebro fuêre progenita, initio quidem acerrimos ſui vindices, ùt Franciſcum Bivarium, Thomam Tamayum de Salazar, Laurentium Ramirez &c. aliquamdiu habuêre; aſt hodie ab omnibus, qui paulò magìs ultra illiteratæ credulæque plebis quisquilias ſuum nomen attollunt, cum nauſea rejiciuntur, atque inter primæ claſſis nugamenta & fabulamenta plus quàm Cretenſia amandantur. Integra certè Virorum eruditorum acies contra fanatica hæc Chronica, abſurdiſſimósque Chronicaſtros ſuum calamum ſtrinxit, & luculentiſſimas fabulas orbi retexit. Conſuli de his poterunt *Papebrochius* noſter P. II. Reſponſ. contra P. F. Sebaſt. à S. Paulo Art. XV. à n. 364 ad 374. ac præcipuè Art. XXI à n. 3 ad 26, ubi plurium Eruditorum nomina ac lucubrationes contra hæc Chronica allegantur. *Labbeus* T. II Script. Eccl. p. 35. 36. 332. *Cuperus* in Diſſertatione de Guzmannica S. Dominici ſtirpe Antverpiæ edita an. 1740. p. 34. 35. n. 56. 57. 58. *Xaramilius* in Apologia pro veritate & pro Hagiographis Antverpienſibus cap. X. p. 85. 86. *Didacus de Quadros* in Palæſtra Biblica T. II. p. 440. 441. *Acta SS.* T. I. Febr. in Præfatione pag. XVII. T. II. Martii p. 383 in vita S. Longini: item p. 44. n. 2. ubi, quòd ex

Epi-

Epiſtola Dextri, qui fuit filius S. Paciani, ſurrepta occaſio fuerit, Dextri Chronicon confingendi. T. I. Maji in Ephemeridibus Græco-Moſcis pag. VII col. 2. in fine : item p. 10. n 20. in vita S. Philippi Apoſtoli p. 10. n. 20. ubi fingit Pſeudo-Dexter, quòd Gentiles illi, qui à Philippo videre Jeſum deſiderayerant, fuerint Hiſpani. T. VI. Maji p. 23. n. 2. col. 1. in vita S. Paſicratis. Item p. 450. n. 3. in Actis SS. Guinizonis & Januarii. T. V. Junii p. 159. n. 8. ubi comminiſcitur pſeudo- Julianus, Joannem & Paulum MM. Romanos fuiſſe Hiſpanos Saguntinos. T. I. Julii in Tract. Prælim. p. 42. 43. 44. & p. 58. 59. 60. ubi plura de Tamayii & Bivarii ad figmenta, Sanctósque Hiſpaniæ arrogandos & corradendos prurigine. Item p. 642. ubi rurſum de Tamayo fit mentio. T. VI. Julii in Tract. Prælim. de Liturgia Hiſpanica p. 11 & 12. n. 55. 56 57. 58. & p. 7. col. 1. n. 10. 11. T. I. Aug. p. 6. lit. d. e. ubi pſeudo - Julianus ridiculè tradit, Machabæos Martyres ex Hiſpania oriundos. T. IV. Aug. p. 17. n. 8. in Actis S. Amatoris Eremitæ. p. 428. in Actis SS. Bonoſi & Maximiliani MM. p. 562 n. 9. uſque ad n. 23 in Actis SS. Minervii & Eleazari MM: & p. 594. 595 in Actis S. Lupi M. T. III. Sept p. 11. n. 7. p. 765. n. 14. Innumera alia, quæ in Actis SS. occurrunt, libens prætereo.

CHRONIC. HUGONIS.

CHRONICON *Hugonis* Flaviniacenſis, Vide *Chron. Virdun.*

CHRONICON MAGNUM Belgicum, quod à 54 anno Chriſti usque ad *an.* 1474 deducitur, & à Joanne Piſtorio inter VI Scriptores Rerum Germanicarum eſt editum, collegit Anno 1498 anonymus quispiam Canonicus Regularis prope Nuſſiam in Diœceſi Colonienſi : prout liquet ex iis, quæ hic Collector tum p. 348 de anno ſuæ Scriptionis, tum p. 347. 348. 349 & ſeqq. de Monaſterio Nuſſienſi copioſiſſimè diſſeruit, atque geſtis anni 1409 immiſcuit. Non modicæ auctoritatis cenſetur hoc Chronicon, quia collectum ex Scriptis antiquioribus, partim adhuc reſiduis, partim jam deperditis, aut certè in lucem nondum hactenus datis : multúmque tam Chronici fidem, quàm lectorum attentionem promovit Collectoris induſtria, quòd, in ſingulis prope narrationibus ſuis, Auctorum, Chronicorum, aut aliorum monumentorum, ex quibus ſua ille excerpſerat, nomina diſtinctè expreſſerit. Attamen *priora*, ſive vetuſtiora *Secula vel fabulis vel anachroniſmis deturpata* inquit Pagius T. IV. Crit. ad an. 1177 n. XX. Gundlingius in Hiſt. Imp. p. 832. Collectorem hunc *Albericum* compellat ; quo verò iſtud ex argumento aut conjecturâ, non ampliùs addit.

CHRONIC. MAGNUM.

CHRONIC. MALLEAC.

CHRONICON MALLEACENSE, ſeu S. Maxentii (quod apud Labbeum extat T. II Biblioth. MS.) conſcripſit medii circiter XII Seculi Auctor. Meminêre illius Chronici, ùt fide digni, *Papebrochius* T. VII Maji in Paralip. p. 89 col. 2. ad num. 7. p. 93 col. 2. ad num. 27. *Pagius* T. IV ad an. 1055. n. 5. an. 1062. n. 11. an. 1096 n. 2. an. 1099. n. 10. an. 1120. n. 25. an. 1124. n. 3. an. 1130 n. 43, ubi ſimul advertit Pagius, quòd annum à Paſchate hic Chronographus ordiatur.

CHRONIC. MARIANI SCOTI.

CHRONICON MARIANI SCOTI. Hic relictâ Scotiâ, ſeu veriùs Hiberniâ, primò Colonienſis, dein Fuldenſis Monachus, demum Moguntiæ Recluſus & ſanctimoniæ laude decorus ad ſuperos ibidem abiit anno 1086, poſtquam inter ſolitariæ cellæ ſilentia Chronicon à Chriſto nato ad annum usque 1083 concinnârat. Meminit hujus Chronici Sigebertus in Catalogo Virorum Illuſtrium tum cap. 159, tum cap. ult. ubi Marianum *Virum ævo ſuo longè diſertum* nominat. Teſtatùr verò Labbeus T. II Script. Eccl. p. 53 & 758, quòd Jacobus Wæus l. 1. de Script. Hiberniæ nonnulla, ſcitu non indigna, de Mariani Chronico obſervârit. *Primum*: quòd in ejus Chronici impreſſo Codice plurima ſint omiſſa, quæ in MSS. exemplaribus habentur, ùt ex Briano Twuino liquet de Antiquitate Academiæ Oxonienſis libro II. *Alterum*, quòd ex hoc opere quàm plurima Chronico ſuo inſeruerit Florentius Wigornienſis, qui Marianum *Hibernienſem* vocat. Sunt verò etiam, quæ in Mariani Chronico, ceterà laudatiſſimo & inter Scriptores vulgatiſſimo, meritò improbentur. 1. Frequentes, qui in antiquiorum Pontificum Chronologia occurrunt, anachroniſmi. Vid. *Nat. Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. ad Sec. IX Diſſert. III de Joanna Papiſſa p. 233. 234 reſponſione ad primum. 2. Quòd ab impoſtore quopiam fuerit interpolatum ac depravatum: ùt patet ex commentitia Joanna Papiſſa: qui propudioſus ſimul & ridiculus cento in nullis antiquioribus Mariani Chronicis MSS. legitur, ùt omnes Eruditi & oculati teſtes conſentiunt. 3. Baronius T. X Annal. ad an. 891 ait: *Marianus Scotus poſt Marinum Papam Agapetum ejus Succeſſorem ſomniat: & poſt Hadrianum Baſilium nunquam viſum vel auditum collocat: & poſt Baſilium ponit Stephanum. Quin & idem ipſe Sigebertus eodem errore de Agapeto & Baſilio imaginariis Pontificibus abducitur.* Vid. de Mariano *Poſſevinum* T. II Apparatûs, verbô: *Marianus Scotus*: & p. 217 verbô: *Sigebertus. Nat. Alex.* T. VI Hiſt. Eccl. ad Sec. XI Cap. V. Art. V. p. 505. n. V. *Labb.* l. c. &c.

Num autem hic Marianus Scotus idem ſit cum Mariano Scoto Ratisbonenſi, qui colitur IX Februarii, dubitârunt nonnulli. Guilielmus

mus Eiſengrienius in Catalogo teſtium veritatis, Menkenius in Lexico Eruditorum, David Camerarius &c. unum eundémque Marianum eſſe crediderunt. Aſt Raderus in Bavaria Sancta: Bollandus T. II Febr. ad diem IX. in vita BB. Mariani & Murcherati p. 362. n. 11. diverſos omnino Marianos eſſe, etſi eadem ætate vixerint, ſatis jam evicêre. Bollandum ſequitur Natalis Alex. l. c. Colitur enim Marianus Ratisbonenſis 9 Febr.; aſt Marianus Fuldenſis ſive Chronographus (etſi Wionius l. 2. ligni vitæ c. 22 hunc pariter Marianum, pro more ſcilicet ſuo, Sanctum abſolutè compellet) à Bollando tamen T. II Januarii ad diem XXX meritò inter *Prætermiſſos* reponitur. Vid. *Bollandus* ad dictam XXX Januar. & IX Febr. ubi etiam de Wione fit mentio. Dein plura, de quibus inter Eruditos facilè convenit, opera lucubravit Marianus Fuldenſis, eáque recenſet Poſſevinus l. c. Aſt de Mariano Ratisbonenſi vix quidquam certi compertum habemus, quàm quòd commentationes quaspiam in Pſalmos, & quidem aliena ex ſupellectile compilârit.

Excuſum eſt Mariani Chronicon unà cum Martino Polono Baſileæ anno 1559. dein Francofordiæ an. 1583 & rurſus Hanoviæ an. 1613 T. I. Script. rer. Germ. apud Piſtorium: item Ratisbon. 1726, inter Scriptores à Struvio editos, T. I.

Marianum Scotum continuavit usque ad annum 1200 *Dodechinus*, ſub finem Sec. XII Abbas S. Diſibodi in Comitatu Spanhemienſi. In Chronotaxi tamen eundem ſubinde falli docent ea, quæ *Pagius* T. IV Crit. ad an. 1139. n. 1 & 3. item *Stiltingus* T. V. Septembr. p. 632. n. 10 in Comment. præv. ad vitam S. Hildegardis. *Janningus* T. VI. Junii p. 46. n. 10 obſervat, quòd in Dodechini Chronico ad an. 1126 duo ſphalmata lateant, textúsque ſit mancus, in librariorum fortè, aut typothetarum negligentiam, ſaltem ex parte rejiciendus. Gretſerus verò l. 2. contra Replic. c. 13. antequam Paſchalis Pontificis ſermonem, à Dodechino ad an. MCXI relatum, commemoret, paucîs præmonet, aliter rem enarrari ab aliis auctoribus contemporaneis, quos Baronius T. XII Annal. ad an. MCXI in medium profert. Unde his major fides adhibenda, quàm Dodechino, nonaginta circiter annis poſteriori. *Dodechinum* unà cum Mariani Chronico idem edidit Piſtorius, & ſæpiùs poſthæc fuit recuſum, ùt videre eſt apud Buderum p. 58 in Biblioth. Script. quæ Struviano Corpori Hiſt. Germ. præmittitur.

CHRONICON MARTINI POLONI. Martinus, natione Polonus, in Ordinem S. Dominici adſcitus & ſub Nicolao III primùm Pœnitentiarius Romanus, dein an. 1278 Gneſnenſis in Polonia Archiepiſcopus, inter

cetera ſcripſit Chronicon, quod, ùt ipſe præfatur, *ex diverſis Chronicis & geſtis Summorum Pontificum & Imperatorum* congeſſit & usque ad an. 1277 eſt proſecutus. Unde nec major hujus Chronici fides, quàm illorum, ex quibus ſua petiît Polonus. Poſſevinus in Appar. T. II p. 410 de illo ait: *Hiſtoriæ ſuæ plures admiſcuit fabellas, ac ſi hiſtoriæ probatiſſimæ fuiſſent.* Bellarminus l. de Script. Eccl. ad an. 1250 p. m. 360 ita de Polono pronunciat: *quem Auctorem in hoc meo libro non poſuiſſem, niſi citaretur ab hiſtoricis Magdeburgenſibus atque ab aliis hæreticis; fuit enim Martinus Vir ſimplex, & fabellas pro hiſtoriis obtrudit; qualis inprimis eſt illa de Joanna Papa fœmina.* Caſimirus Oudinus cùm adhuc Catholicus ſcriberet, in ſupplemo de Script. Eccl. p. 550, ſimiliter inquit, Martini Chronicon ſcatere fabulîs, *ſed quas jam conſtat immiſſas eſſe ab hæreticis.* Vid. *Stilting.* T. V. Aug. in Gloria poſthuma S. Bartholomæi p. 94. n. 222. ubi contra Adverſarium Dinum, Scriptorem Italum, tam Oudini, quàm Bellarmini de Polono judicium profert, ſimul tamen addit, non ubique Poloni teſtimonium eſſe reſpuendum, ſicubi & alii Scriptores probati ſuffragentur. Erroneum verò eſt, quod Bellarminus & Poſſevinus (ex ſinceriorum videlicet Codicum MSS. vel defectu vel neglectu) ob unius Martiniani Chronici, tunc jam impreſſi, auctoritatem ſcripſêre, Joannam Papiſſam inter *Martini fabulas* eſſe connumerandam. Neque enim in antiquioribus Martini exemplaribus MSS. eam fabulam legi certiſſimum eſt, & nobis quoque diſtinctior alibi ſermo redibit.

Editum eſt Martini Chronicon 1mò Baſileæ an. 1559 unà cum Mariano Scoto. 2. Antverpiæ an. 1574 operâ ſuffridi Petri Friſii in forma 8va unà cum Annotationibus. 3. Inter Scriptores Germanicos, qui, qui (ùtùt re ipſa ſit una eadémque Scriptorum Collectio) ſub diverſorum tamen Collectorum, ſcilicet Böcleri, Kulpiſii, & Schilteri nominibus Argentorati an. 1685 & 1702 prodiêre. Quæpiam hujus Chronici MS. Excerpta etiam dedit Sagittarius l. 2. Antiquitatum Regni Thuringici p. 241. Demum huic Martini Chronico continuationem Auſtriacam addidit Anonymus, ab Rudolpho I Habspurg. usque ad an. 1343; quam continuationem Corpori Hiſtorico medii ævi Tomo I inſeruit Georgius ab Eckhart.

CHRONIC. MOISSIAC. CHRONICON MOISSIACENSE. Vide *Annales.*

CHRONIC. ORIENT. CHRONICON ORIENTALE, ſeu HISTORIAM PATRIARCHARUM (ùt à Sollerio dicitur T. V. Junii p. 18. n. 95 in Hiſt. Chronol. Patr. Alex.) latinè vertit Abrahamus Ecchellenſis, natione Maronita, ſuperioris Seculi

culi Scriptor, illúdque Parisiis ex Typographia regia edidit an. 1651. Recusum verò Venetiis T. XX. Hist. Byzantinæ. Plurimum quidem hujus Chronici auctoritati tribuit, & præsidentiùs usus est Montfauconius, è Congregatione S. Mauri Scriptor Benedictinus in vita S. Athanasii, recens cum notis edita. Ast eam ob causam non parùm reprehensus est à Sollerio T. V. Junii l. c. ubi à p. 44 in Mantissa sua Chronicon illud multiplici ex capite vocat *mendosissimum*, *toties falsi convictum & convincèndum*. Vid. p. 45. n. 234. Dein pag. 1. l. c. n. 4. ait Sollerius: " Dolendum, illinc plus affusum esse caliginis, unde lu-" cis aliquid sperabatur. Scriptores Ægyptios intelligo, ab annis " nondum quinquaginta editos, & juris publici factos, *Eutychium* " Alexandrinum: *Severum*, ex quo *Chronicum Orientale* Echellensis: & " *Abulbaracatum* Vanslebii; quorum hic Seculo XIV: Chronici Col-" lector XIII: primi duo Seculo X floruêre; ac proinde non sunt " tantæ aut vetustatis aut auctoritatis, ut ex eorum fide, antiqua & " probata Ecclesiæ monumenta concuti, nedum convelli possint. " Equidem, quò attentiùs eorum scripta considero, ut quàm mo-" destissimè dicam, suspecta habeo plurima, tum ad temporum ra-" tionem, tum ad res ipsas spectantia. Alii apertè edicunt, eos " ineptiis, fabulis, mendaciis, seu mavis incertissimis popularibus " traditiunculis plerumque adeò scatere, ut difficillimum sit verum " à falso discernere. " Paginâ 2. n. 5. 6. 7. ostenditur, quòd Eutychius Patriarcha Alexandrinus fabulas adhuc magìs adauxerit, & eapropter pessimè audiat apud Raynaudum, Naironum, Pearsonium, Pocochium. " Paginâ 2. n. 8. pergit Sollerius: Chronicon Orientale " edidit Ecchellensis Parisiis an. 1651, eique inseruit Historiam Pa-" triarcharum Alexandriæ, desumptam, ùt creditur, ex Historia Am-" bæ Severi, Jacobitæ Episcopi Ischmunim, quem vixisse ait Vans-" lebius anno Martyrum 687, Christi 970; quam deinde Auctor " Coptita, nescio quis, ad usque Seculum XIII, eodem quo cœpta " est stylo continuavit. Eam historiam passim ineptissimè consutam, " certioribus monumentis destituti, nonnunquam sequi cogimur; " ceterùm in iis, quæ de Marco narrat, eo mihi ferè loco est, quo " Eutychius: nec satìs capere valeo, quænam hic Scriptor monu-" menta antiqua consuluerit, adeò Symmistis suis repugnantia, ut " eis passim adversetur. Audi paucula. „ Probat postmodum Sollerius, quomodo hoc Chronicon non modò Eutychio in multis contrarium sit, sed & sibi ipsi contraria asserat; unde parvi pendenda hæc Chronica. Similiter Abulbaracati Catalogum *mendosissimum* esse, notat Sollerius p. 2. n. 10. & confer p. 54. 55. à n. 278 ad 288.

Denique p. 3. n. 11 ita concludit Sollerius : " Itaque, ut ſemel " dicam, de Annalibus illis Arabicis ita ſtatuendum eſſe exiſtimo, " ut quoties noſtris (ſcilicet Euſebio, Hieronymo, aliisque proba- " tiſſimæ notæ Scriptoribus) conſentiunt aut ſaltem cum iis conci- " liari poſſunt, admittantur; ſin repugnantia, vel, more ſuo, de- " pravata tradiderint, tanquam dubia & incerta repudientur; donec " aliunde roboris aliquid ſeu majoris lucis acceſſerit; idque in iis " maximè, quæ primorum Seculorum res geſtas complectuntur. Aliàs " verendum puto, ne iſtiusmodi fabuloſis narratiunculis rerum no- " ſtrarum Hiſtoriæ enerventur potiùs quàm confirmari queant. Vid. etiam *Henſchenius* T. III April. ad diem XXV in Comment. præv. de S. Marco §. 2. ubi de Chronico Orientali ſive Severo fit mentio.

CHRONIC. REGINON. CHRONICON REGINONIS Abbatis Prumienſis, quod ab adventu Domini uſque ad ſua tempora, ſive uſque ad an. 908 deductum, tum ipſe Regino in Epiſtola ſua nuncupatoria, tum Harigerus Abbas Lobienſis, ejusdem Sec. X. Scriptor in Epiſcoporum Leodienſium geſtis apud Martenium T. IV. Collectionis Vet. Monum. col. 849 §. 7. de Reginonis Chronico diſertè teſtantur. Hodierna tamen, quam habemus, Chronici hujus editio in anno 905 jam deſinit; niſi fortè duo trésve poſtremi anni in unum fuerint compacti, ùt ſuſpicatur Labbeus T. II. Script. Eccl. p. 289. Illud poſtmodum uſque ad Othonis II tempora (qui imperare cœpit an. 972.) proſecutus eſt alius Anonymus, atque (ùt Pagius T. IV ad an. 964 n. IV exiſtimat) etiam contemporaneus. Simlerus, & cum eo Voſſius l. 3. de Hiſtoricis Latinis cap. V. Partis IV. *Romerium* illum fuiſſe conjectant. Vid. *Labb.* l. c. Quanquam haud inveroſimile putem, quòd Regino, poſtquam primam Chronici ſui lucubrationem jam abſolverat eámque Adalberoni Epiſcopo dicârat, ipſe deinceps quampiam Continuationis partem priori partui adjecerit, aut in chartis reliquerit. Nam, ùt ex Actis SS. T. VI Julii p. 175. n. 39. in Comment. præv. ad vitam S. Magnerici Ep. colligitur, Regino ad annum circiter 921 vitam extraxiſſe videtur.

Prima Reginonis Editio prodiit Moguntiæ, an. 1521, opera Sebaſtiani de Rotenhan: *altera* Francofordiæ 1566 per Simonem Schardium: *tertia* eáque caſtigatior itidem Francordiæ an. 1583 per Joannem Piſtorium. *Quarta* Argentorati an. 1609. *Quinta*, quæ Piſtorianæ conſonat, Hanoviæ an. 1613. *Sexta* Ratisbonæ an. 1726. per Burchardum Struvium inter Scriptores Germ. quos tribus Tomis complexus eſt. Has inter Editiones ea meritò reprehenditur, quam Schardius

dius ſcholiis ſuis marginalibus, ùtùt pauculis, maledicis tamen atque inſulſis dehoneſtavit, ùt videre eſt ad an. 753 & ad an. 801.

Ea porro, quæ Regino in primum ſui Chronici librum uſque ad an. 741 congeſſit, ferme omnia ex Eutropio & Paulo Warnefrido repetiît; cetera, quæ ab an. 741 ad 814 narrantur, unde deſumpſerit Regino, ipſus ita ſe explicat ad c. a. 814. *Hæc quæ ſupra expreſſa ſunt, in quodam libello reperi, plebejo & ruſticano ſermone compoſita* (Annales Loiſelianos intelligit) *quæ ex parte ad latinam regulam correxi: quædam etiam addidi, quæ ex narratione Seniorum audivi. Cetera, quæ ſequuntur, meæ parvitatis ſtudio deſcripta ſunt, prout in Chronicorum libris adnotata inveni, aut ex relatione Patrum auditu percipere potui. Et de Ludovici quidem Imperatoris temporibus perpauca literis comprehendi: quia nec ſcripta reperi, nec à Senioribus, quæ dignæ eſſent, memoriæ commendandæ audivi. De Lotharii verò Imperatoris & fratrum ejus Regum Francorum geſtis, plura deſcripſi; ubi verò ad noſtra tempora ventum eſt, latiùs ſermonem narrationis protraxi; aliter enim, ùt Hieronymus ait, narrantur viſa, aliter audita; quæ meliùs ſcimus, meliùs & proferimus.* In Præfatione verò ſua ad Adal-
" beronem ita inquit: Chronica, quæ de noſtris & anteceſſorum
" noſtrorum temporibus literis comprehendi, veſtræ ſingulari pru-
" dentiæ examinanda transmiſi, ut veſtro perſpicaci judicio aut ap-
" probarentur aut condemnarentur. Ea autem in duos libellos di-
" ſtinxi, exordium capiens à primo Incarnationis Dominicæ anno,
" & conſummans cœptum Opus uſque in præſentem annum, qui
" computatur à præfata incarnatione Domini *nongenteſimus octavus.* In-
" dignum etenim mihi viſum eſt, ut cùm Hebræorum, Græcorum
" atque Romanorum aliarúmque gentium hiſtoriographi res in die-
" bus ſuis geſtas ſcriptîs uſque ad noſtram notitiam transmiſerint,
" de noſtris, quanquam longè inferioribus, temporibus *ita perpetuum*
" *ſit ſilentium*, ut quaſi in diebus noſtris aut hominum actio ceſſave-
" rit, aut fortaſſis nil dignum, quod memoriæ fuerit commendandum,
" egerint, aut ſi res memoratu dignæ geſtæ ſunt, *nullus ad hæc literis*
" *mandanda idoneus inventus fuerit, notariis per incuriam otio torpentibus.*
" *Hac itaque de cauſa non paſſus ſum tempora Patrum noſtrorum, & noſtra*
" *per omnia intacta præterire, ſed ex multis pauca notare curavi*, & ubi ad
" præſentia tempora ventum eſt, ſtylo temperavi, propter quorun-
" dam offenſam, qui adhuc ſunt ſuperſtites, latiùs hæc poſteris exe-
" quenda reliquens. Accipite ergo hoc parvum munuſculum, ea be-
" nignitate, quâ devotione miſſum eſt à mea parvitate. In calce
" autem obſecro lectorem, ut ſi illi hæc noſtra dicta, qualiacunque
" ſint, placuerint, & *ea ſibi deſcribi voluerit* hanc præfatiunculam nul-
" latenus

" latenus omittat, quin eam in prima fronte libelli annotari faciat. Atque ex hiſce, quæ prolixiùs adduximus, Reginonis verbis alia videtur dirempta quæſtio; num videlicet Regino Annaliſtam Metenſem, an hic Reginonem exſcripſerit. Prius illud ſupponit potiùs, quàm probet, Pagius. Alterum affirmat Gundlingius in Hiſt. Cæſ. p. 241 & 265; quanquam nec iſte aſſertionis ſuæ rationem alleget.

Ait autem Regino *primò*. Quòd de temporum ſuorum rebus *perpetuum ſit ſilentium, neque ullus ad hæc literis mandanda idoneus ſit inventus.* Quâ verò præfidentiâ ita ſcribere potuit Regino, ſi ipſe Annaliſtam Metenſem verbotenus exſcripſit? num perpetuum ſilentium argui, aut nemo ſcriptioni idoneus à Reginone palam poterat jactitari, ſi ipſe Annaliſtam Metenſem idoneum cenſuit, quem ad ſingulos propè apices expilaret? Ait *ſecundò*. Quòd ipſe *paſſus non ſit tempora Patrum ſuorum per omnia penitus intacta præterire, ſed ex multis pauca notare curaverit, ſtylo tamen temperaverit, ubi ad ſuæ ætatis homines adhuc ſuperſtites ventum, poſteris tamen latiùs ea exequenda relinquens.* An verò tota hæc Reginonis locutio non abunde commonſtrat, quòd poſtremorum temporum hiſtoriam pro ſui potiſſimùm ingenii atque induſtriæ partu is venditet? quomodo autem venditare ſic potuit, ſi jam ante ipſum intacta ea geſta præterire paſſus non eſt Annaliſta Metenſis? *Tertiò*. Ad an. 814 ea, quæ ſive *ex libello veteri* ſive *ex Chronicis* excerpſit Regino, apertè diſtinguit ab iis, quæ vel *ipſe ex Senioribus audiit, vel ipſe poſtmodum vidit*: ſimúlque in iis, quæ ipſe vidiſſet, prolixiorem ſe fore teſtatur. Itaque non alterius calamo, & furtivæ penui, ſed ſuæ ſolertiæ poſtremam ſui Chronici partem Regino debet. *Quartò*. Si Annaliſtam Metenſem jam in ſubſidiis habuit Regino, ibi ſanè non invenire non potuit, quæ ſatis copiosè tum de Ludovici pii Imperatoris, tum de ſubſequentium Regum temporibus, partim ex Annalibus Laurishemienſibus & Bertinianis, partim ex aliis v. g. ad an. 687. & 843 ipſe Annaliſta Metenſis decerpſit atque collegit. Quô pactô igitur ſive ab an. 655 uſque ad an. 741, ſive ab an. 814 uſque ad an. 850 complures annos penitus intactos prætermittere, illos verò annos intercalares, quorum meminit, parciſſimè attingere potuit, eo ſolùm ex capite, quòd *nec ſcripta* quæpiam hac ſuper re *repererit, nec à Senioribus memoriæ digna audiverit?* Planum itaque fit, quòd Regino Annaliſtam Metenſem præ manibus necdum habuerit, cùm Chronicon ſuum abſolveret, illúdque Adalberoni nuncuparet. *Quintò* demum: fuit Regino Annaliſtæ Metenſi *ſaltem* contemporaneus, ſi non prior; cùm ergo uterque eodem tempore ſcripſerit, minùs eſt verosimile, quòd Regino Metenſem Scriptorem recentiſſimè cum inſigni

plagio

plagio exſpoliârit, & alterius laborem, pro ſuo temerè obtruſum, Adalberoni Epiſcopo palàm dedicare ſit auſus. Multò itaque verò ſimilius erit, quòd cùm Regino opus ſuum non privatæ, ſed publicæ Germanorum notitiæ deſtinârit, etiam *ab aliis, ſicubi placuiſſet, deinceps deſcribendum*, quòd, inquam, Reginonis Chronicon, jam ab ipſa ſui ad Epiſcopum inſcriptione publica notiſſimum, etiam in Annaliſtæ Metenſis, Reginone poſterioris, manus pervenerit; qui ſicut ex aliorum ſcriptis Annales ſuos locupletavit, ita etiam Reginonis Chronicon vulgatiſſimum inter ſua tranſcripſerit, atque ad annum usque nongenteſimum (ùt Pagius ait ad an. 687. n. 8.) vel ad an. 904. (ùt aliis placet) neque ulteriùs deſcribendo pervenerit, ſive quòd fatò præventus, ſive quòd aliis negotiis præpeditus, opus proſequi ultra vel non poſſet, vel non vellet. Erravit proinde Pagius, qui T. III. Crit. ad an. 887. n. 8. an. 890. n. 1. an. 892. n. 8. an. 894. n. 1. & 17. an. 898. n. 1. Reginonem ex Annaliſta Metenſi ſua mutuatum fidenter ſupponit.

Verius illud eſt, quod idem Pagius ad an. 863. n. 4. an. 892. n. 8. an. 894. n. 5. an. 898. n. 10. ac præcipuè ad an. 902. n. 12. obſervat, Reginonis Chronicon, ùtùt ipſe rebus non paucis, à ſe narratis, ſynchronus fuerit, multoties tamen in Chronotaxi minùs eſſe legitimum; ſive quòd ipſe Regino ſit memoriâ lapſus, ſive potiùs, quòd poſteriorum temporum librarii, tranſcriptores, aut Editores (cùm vel characteres detriti jam eſſent, vel characterum veterum ipſi minùs eſſent periti) temerè mutaverint calculum, aliásque temporum notas ſuis ex conjecturis ſubſtituerint, quod ipſum injuriæ aut inſcitiæ genus Medii Ævi annales atque Scriptores ſæpiùs ab imperitis graphionibus & amanuenſibus paſſos, ipſe Pagius, Eckhartus, Hagiographi Antverpienſes, aliſque frequentiſſimè adverterunt. Labbeus certè T. II de Script. Ecc. p. 280 non tam Reginoni, quàm ejus editoribus culpam tribuendam exiſtimat, dum illud *à Germanis ſuis aliisque deinceps mendoſiſſimè editum* ait.

De eodem Reginonis Chronico notat Suyskenus noſter T. V. Sept. p. 540. à n. 30. ad 34 in vita S. Lamberti, quàm malè illud partim truncârit, partim amplificârit Anſelmus Leodienſis Sec. XII Scriptor, aut veriùs Anſelmi interpolator; qui in vita S. Lamberti ex altera Chapevillii editione apud Martenium T. IV. Collect. Vet. Monum. ea dicta, eósque parachroniſmos Reginoni affingit, de quibus in Reginonis editione Argentoratenſi nec jota nec veſtigium extat.

Quàm erroneè autem *Adalberoni*, ſive *Metenſis* (ùt ex Sigeberto ſcripſit Labbeus) ſive *Trevirenſis* (ùt prima Moguntia Editio fecit)

Epiſcopi nomen fuerit tributum, vel ex eo jam patet, quòd ab anno 883. usque ad an. 930 nemo alius Sedem Trevirenſem tenuerit, quàm *Ratbodus* & *Ruotgerus*. Vid. *Regino* & *Reginonis Continuator* ad an. 895 & 923 & 28. *Browerus* in Annal. Trevir. *Acta SS.* T. VI Julii p. 175. n. 40. & p. 223 n. 76. in vita S. Magnerici & S. Glodeſindis V. *Martene* T. I. Collect. Vet. Monum. col. 268, ubi Diploma Caroli Calvi Regis ad an. 916, & Ruotgeri ſive Rotgarii Archiep. Trevirenſis nomen ſubſcriptum. *Pagius* T. III. ad an. 918. *Eckhart.* T. II. p. 844 & 855. Ad *Metenſem* verò Epiſcopatum *Adalbero* primùm an. 927 fuit admotus (quando Regino jam è vita migravit) ùt ipſe Reginonis continuator affirmat, & ex contemporanei pariter Flodoardi Hiſtoria Remenſi colligitur. Alius itaque *Adalbero* non ſupereſt, quàm Epiſcopus *Auguſtanus*, qui Reginonis ætate in Aula Ludovici Germ. Regis quàm plurimùm valuit, & juxta Chronicon breve S. Galli, Hermannum Contractum, & Hepidannum an. 910 è vivis exceſſit. Vid. *Eckhart.* T. II. p. 828 n. 10. Neque tamen neceſſarium fuit, ut ipſe Regino ad Adalberonem Epiſcopalis *Sedis* nomen exprimeret, cùm nemo alius inter Epiſcopos tunc Adalbero eſſet, niſi ſolus Auguſtanus.

Denique de Reginonis Chronico rectè monet Pagius T. III. ad an. 898 n. 10, quòd ille quandoque una ſerie referat ea, quæ diverſis annis contigêre; id quod in aliis etiam Hiſtoricis atque Chronographis Eruditi paſſim obſervant. Sed nempe cùm id agerent hiſtorici, non tam illis animus fuit, ut temporum ordinem perturbarent, quàm ut ſubinde majoris claritatis & facilioris memoriæ ergò mox integram rei aut eventuum ſeriem ſub uno eodémque conſpectu Lectori exponerent.

CHRONIC. SIGEBERTI. CHRONICON SIGEBERTI. Sigebertus, Gemblacenſis in Brabantia Monachus, præter complura Opera, & vitas Sanctorum à ſe vel editas vel illuſtratas (quæ ipſemet in libro de Viris Illuſtribus cap. ultimo enumerat) Chronicon etiam ſcripſit ab eo tempore, quo Hieronymiana ad Euſebii Chronicon appendix definit, ſive ab an. 382 ad an. 1112. Continuârunt Sigebertum 1mò Anſelmus Abbas Gemblacenſis ab an. 1113 ad an. 1136. 2dò Anonymus quispiam, quem nonnulli, ùt Labbeus advertit, Robertum Abbatem de monte S. Michaëlis perperam credidêre, ab an. 1113 ad an. 1155. 3tiò Robertus de Thorignejo, ſeu verus Robertus de Monte, cujus Chronicon extat poſt Guiberti Novigentini Abbatis Opera, per Lucam Dacherium Benedictinum an. 1651 in folio cum pluribus aliis edita Pariſiis. 4tò Alius Anonymus usque ad an. 1210. Sed de poſtremis tribus appendicibus vide lit. *M.* verbô: de *Monte*.

Variæ

Variæ ſunt Sigeberti Editiones. *Prima.* Pariſina an. 1513. *Altera.* Francofordiæ an. 1566 per Simonem Schardium. *Tertia* ibidem an. 1583 per Piſtorium T. I. Script. Rer. Germ. *Quarta.* Antverpienſis an. 1608 per Aubertum Miræum, qui Sigeberti Chronicon ad fidem autographi Codicis Gemblacenſis collatum, atque à quisquiliis Galfridi Monumetenſis, ſive Aſaphenſis, quæ in omnibus præcedentibus editionibus inſperſæ legebantur, liberavit, & Verduſſianis typis in 4to edidit, unà cum ſupradictis Appendicibus. In hac ipſa autem Sigeberti Editione, quæ Autographo conſonat, quódque non ſolus Miræus, ſed & Joannes Molanus, Doctor Lovanienſis, ſe vidiſſe teſtatur, nihil de fabuloſa Joanna Papiſſa, nihil de commentitio Hadriani I. privilegio, Carolo M, ùt fertur, conceſſo: ut adeò incaſſum Novatores pro fabulis ſuis ſuſtentandis ex Sigeberto ſubſidium quærant. *Quinta.* Pariſina an. 1610 Tomo VII. Biblioth. PP. *Sexta.* Francofordienſis an. 1613.

Quænam verò Eruditorum, & verè orthodoxorum, ſeu Veterum, ſeu Recentiorum, de Sigeberto judicia ſint, Miræus in ſua ad Sigebertum præfatione præmiſit. Maximam profectò eruditionis ac doctrinæ laudem mereri poterat Sigebertus, niſi ſub Schiſmaticorum ſignis militâſſet, & Henricianis partibus adverſus Romanos Pontifices Gregorium VII & Paſchalem II *ad procaciſſimam usque*, ùt Labbeus ait, *infrunitæ mentis audaciam*, editîs etiam, quorum ipſe in l. de Viris Illuſtribus inter Opera ſua abſque rubore meminit, ſcriptîs publicîs adhæſiſſet. Ait enim l. c. *Validis Patrum argumentis reſpondi Epiſtolæ Hildebrandi Papæ* (adeò nimirum nec Pontificio *Gregorii* nomine Hildebrandum dignatur) *quam ſcripſit ad Hermannum Metenſem Epiſcopum in poteſtatis regiæ calumniam. Scripſi ad ipſum Henricum Apologiam contra eos, qui calumniant Miſſas conjugatorum Sacerdotum. Ipſo etiam rogante reſpondi Epiſtolæ Paſchalis Papæ, qui Leodienſem Eccleſiam æquè ùt Cameracenſem à Roberto Flandrenſium Comite jubebat perditum iri.* Verùm cùm hæ Sigeberti Epiſtolæ Satyram potiùs, quàm juſtam Apologiam præſeferant, meritò inter damnati nominis ſcripta ſunt repoſtæ. Vid. *Miræus* in Præfatione ad Sigeb. *Poſſevinus* in Appar. Sacro: *Bellarm.* l. de Script. Eccl. p. m. 314. noviſſimus *Ind. Rom.* p. 386. Quòd ſi quis Schiſmatica, inquit Labbeus l. c. p. 353, Sigeberti opuſcula quærat, Schardianas & Goldaſtinas adeat, ſimilibus libris prægnantes, farragines. Apologiam tamen Sigeberti pro Conjugatorum Sacerdotum Miſſis jam interiiſſe exiſtimat Bellarminus l. c. Simul autem digniſſimam ait, quæ interierit, neque lucem deinceps aſpiciat, cùm magis in Pontificis &

juſtiſſimæ Sanctionis Apoſtolicæ, à Sigeberto malè intellectæ odium, quàm in veritatis affectatæ patrocinium ſit exarata.

Quàm devotus præterea Henricianarum partium Sectator, & Romani Pontificis inſectator Sigebertus extiterit, jam ſola Chronici ſui narrata poſteriora apertè demonſtrant; ubi Schiſmaticorum Cæſarum ingentia vitia dexterrimè diſſimulat, & quidquid ad Henricorum cauſam vel tuendam vel emolliendam ſervire videbatur, ſollicitè corradit: quidquid verò in Romani Pontificis defenſionem indubitatò conducere poterat, ipſe mala fide diſſimulat; etſi quàm plurimi alii Scriptores contemporanei, tam pietate quàm doctrinâ conſpicui, neque pauci ex illis teſtes oculatiſſimi aut conterranei, longè alia multóque majori teſtium conſenſione firmata recenſeant; qui proin ſuper illorum temporum Schiſmate & Romanorum Pontificum geſtis non obiter ſunt conſulendi. Sic v. g. relata Gregorii VII morte fallaciſſimè ſubdit: *de hoc ita ſcriptum reperi, quòd* (jam moriturus ac veluti factorum pœnitentiâ ductus Gregorius) *dimiſerit ac diſſolverit vincula omnium bannorum Imperatori & omni populo Chriſtiano, Vivis & Defunctis, Clericis & Laicis: & juſſerit ſuos abire de Domo Deoderici*, ſeu Theodorici (quod eſt caſtellum S. Angeli in urbe Romana) *& amicos Imperatoris aſcendere.* Aſt patentiſſimum hujus qualiscunque ſcripti mendacium ſole clariùs refellit tum Paulus Bernriedenſis in vita Gregorii VII (Vid. *Acta SS.* T. VI Maji p. 140. cap. X. n. 102. *Pag.* T. IV Crit. ad an. 1085. n. 7 & 6.) tum *Hugo* Flaviniacenſis in ejusdem Gregorii vita, Chronico Virdunenſi inſerta, & poſt Labbeum T. I. novæ Bibliothecæ Manuſcriptorum librorum à pag. 75, etiam à Janningo noſtro T. VI. Junii à p. 167 ad pag. 198 ex integro reddita, cap. X. n. 141. & in Annotatis lit. d. p. 197. Ubi adverſus hoc ſcriptum meritò ita exclamat Janningus: *Quale ſcriptum? Quid Sigeberte, qui vivebas & provectæ ætatis eras, quando Gregorius obiit, & hiſtoricus & vir ceteroquin multa ſcientiâ præditus; cur ſententiam propriam non protuliſti, ſed miſerabile & inconcinnum adoptâſti ſcriptum, quod ingenii tui acumen reprobâſſet, niſi amicus Cæſaris usque ad aras fuiſſes? Quale ſcriptum? neſcio cujus ſine nomine Auctoris, qui ex uno Cardinali intellexerit ſecreta, quæ vulgat.* Unum *námque*, *ait*, de duodecim Cardinalibus, quem multùm diligebat præ ceteris ad ſe vocavit *Papa. Cur unum tantùm vocavit ex duodecim Cardinalibus, qui aderant, ſi verè voluit abſolvi Imperatorem excommunicatione? Coram omnibus Cardinalibus in publica Synodo excommunicationis ſententiam tulerat: oportebat igitur ſaltem coram pluribus illam revocare, ut conſtaret revocatam eſſe; quod ſciebat, uni ſoli, talia dicenti, prudenter credi non poſſe. Nec magis credi poteſt, quòd* Salerni (non Romæ) *exiſtens morti proximus,*

juſſe-

CHRONICON VIRDUNENSE, sive HUGONIS FLAVINIACENSIS. De hoc Graveſonius P. I. T. IV. Colloq. V. p. m. 244: *Hugo, qui ex Monacho (S. Vituni) Virdunenſi Flaviniacenſis in Burgundiæ Ducatu Abbas (anno MXCVII IX Kal. Dec.) creatus, ſcripſit Chronicon Virdunenſe, duas in partes diſtributum, quarum prima incipit à Chriſto nato, & definit ad an.* 1002, *ſecunda ab an.* 1002 *perducitur ad annum* 1102, *Hoc Chronicon tanti fecit Labbeus, ut illud* THESAURUM INCOMPARABILEM *appellârit, & ex ipſo Authoris autographo, in Bibliotheca Societatis JESU Claromontana Pariſiis aſſervato ediderit in ſua Bibliotheca nova MSS. Tomo I. p.* 75. an. 1657. Vid. etiam *Acta SS.* T. VI. Junii p. 166. n. 2. *Labb.* T. II. Script. Eccl. p. 127. verbô: *Odilo.* CHRONIC. VIRDUNENSE.

Attamen licèt hic Auctor in plerisque ſincerum ſe præbeat, & apud Recentiores Scriptores teſtimonium ejus frequenter occurrat (Vid. *Pagius* T. III ad an. 774. n. 6. an. 776. n. 2. & 15. T. IV. ad an. 1084. n. 3. 8. an. 1085. n. 4. *Nat. Alex.* T. VI. ad Sec. XI. Diſſert. II. de Greg. VII Art. XII p. 709 & Art. XI p. 706. col. 2. *Januingus* T. VI. Junii à p. 167.) ſatis tamen iniquum, & ſive calumniandi ſive veriùs præcipitis credulitatis humaníque affectûs æſtu abreptum ſe oſtendit in iis, quæ contra B. Victoris III Romani Pontificis famam integerrimam temerè ſcribillavit in gratiam Hugonis Archiepiſcopi Lugdunenſis, Gentilis ſcilicet atque conterranei ſui, qui immoderato Pontificatûs deſiderio ægrè tulerat electionem Victoris, ejúsque conſecrationem, ùt videre eſt in ejus Epiſtola T. X. Concil. p. 414, quâ nempe conviciis impetit Sanctiſſimum Pontificem. Ita verò inter alia de Victoris III obitu ſcribit Hugo Flaviniacenſis: *Hic (Victor) conſecratus ab Oſtienſi Epiſcopo, cùm Miſſas apud S. Petrum diceret, infra Actionem judicio DEI percuſſus eſt: & quamvis tardè cognoſcens, ſe erraſſe, ſe ipſe depoſuit: & accitis fratribus de Monte Caſino, qui ſecum aderant, præcepit, ſe illò deferri, & in Capitulo non ùt Papam, ſed ùt Abbatem ſepeliri.* Aſt rei hujus falſitatem atque impoſturam liquidò ex Auctoribus Synchronis confutârunt *Urbanus Stickerus* noſter T. V. Sept. in vita B. Victoris III §. 2. Comment. præv. n. 21. 22. 23. *Papebrochius* in Propyl. Maji de Victore III. *Pagius* T. IV. Crit. ad an. 1087 n. 6. & 7. *Mabillonius* in Actis SS. O. S. B. Sec. VI. P. II. *Nat. Alex.* T. VI. ad Sec. XI. Art. XII de Victore III p. 429. col. 2. *Graveſ.* P. I. T. IV. Colloq. V. p. m. 103. *Proſper Lambertinus* l. 1. c. 41. n. 24 de Serv. DEI beatific. & beatificatorum Canonizatione & ex eo *Sandinus* in Vita Vict. III. n. 6.

Neque allis omnino erroribus hoc Chronicon vacat: ùt cùm ſcribit P. I., Ottonis II. Imp. cadaver Româ Aquisgranum fuiſſe translatum, ibique ſepultum; nam Romæ illud terræ mandatum, è coævis

Scri-

Scriptoribus conſtat. Unde Ottonem II cum III confudit Hugo; hujus enim, ùt ipſe moriturus petiêrat, ex Italiâ corpus in Germaniam atque Aquisgranum fuiſſe deportatum, Synchroni Auctores teſtantur. Vitioſos etiam huic Chronico calculos ſubinde ineſſe, notavit Suyskenus noſter T. III Sept. p. 335. n. 34. in Com. præv. ad Acta SS. Dorothei & Gregorii MM.

CICARELLUS. CICARELLUS Alphonſus, Seculi XVI Medicus & Hiſtoricus Spoletinus, plurium Scriptorum, quæ Viris doctis affinxerat, figulus fuit & architectus. Sic v. g tres Homilias Sancti Dominici de gratia DEI & totidem de ineffabili Trinitate penes ſe eſſe mentiebatur, prout Cuperus T. I. Aug. in Comment. præv. ad Acta S. Dominici §. 45 n. 848: item p. 523. lit. e. breviter indicavit. Certè Leo Allatius fraudulentum hunc hominem integro opuſculo depinxit, ùt Nicolaus Antonius, Sec. XVIII Scriptor Hiſpanus, in veteri Bibliotheca Hiſpanica l. 8. c. 7. teſtatur, ubi Tomo II p. 69. n. 289 mendax ille Cicarellus ab eo propter hunc dolum impoſtorum coryphæus appellatur. Vid. *Cuperus* in Diſſertatione de Guzmannica S. Dominici ſtirpe, edita Antverpiæ an. 1740. §. IV. p. 35. n. 58. Ejusdem criminis arguitur Cicarellus à Struvio in libello de doctis Impoſtoribus, ùt ait Menkenius in Lex. Erud. qui ſimul addit, quòd Cicarellus ob impoſturas ſuas Gregorii XIII juſſu in carcerem abſtractus, manu primò truncatus, dein in furcam actus, denique flammis fuerit abſumptus.

CIGALA MATTHÆUS. CIGALA MATTHÆUS, Scriptor Græcus & Seculi XVII Auctor (cujus etiam meminit Labbeus T. I. Script. Eccl. p. 349 v. *Georgius Scholarius* n. VII) catalogum ſcripſit Patriarcharum CP. usque ad Neophytum, qui an. 1636 ex Epiſcopo Heracleenſi creatus eſt Patriarcha CP. Hujus verò *Cigalæ*, uti & *Philippi Cyprii* in Patriarcharum CP. recenſione quàm modica ſit auctoritas, imò quanta illorum etiam in domeſticis ſuæ Patriæ rebus inſcitia & in enormes Parachroniſmos prolapſio, docet Cuperus T. I. Aug. in Hiſt. Chronolog. Patriarch. CP. p. 4 n. 18, ac præcipuè p. 195 n. 1177. 1178: item p. 176. n. 1064. p. 201. n. 1215. 1216. Paginâ verò 168. n. 1010 ait Cuperus: " Non ſatis capio, quomodo hi duo Scriptores potuerint eſſe tam " ignari hiſtoriæ patriæ, ut hunc Joſephum (I) Patriarcham confu- " derint cum altero Joſepho, ultra ſeſqui Seculum juniore, qui ad " Synodum Florentiam venit, & an. Chriſti 1439 Florentiæ obiit. " Quomodo etiam Imperatorem Andronicum, ſub quo hic Joſephus " Senior in Sedem CPlitanam reſtitutus eſt, confundere potuerunt

" cum

" cum Joanne Palæologo Imperatore, qui circa medium Sæculi XV " è vivis exceſſit? Sanè hinc liquet, Græculos illos Schiſmaticos, " qui in oppugnanda Eccleſiæ Romanæ hiſtoria acutùm cernere ſe pu- " tant, in hiſtoricis patriæ ſuæ rebus cœcutire, ac domi talpas eſſe, " dum interim foris lynces videri volunt, ùt non ſemel Leo Allatius " huiusmodi popularibus ſuis meritò exprobravit. Nihilominus va- riis in locis, ubi videlicet nihil in contrarium obſtat, utriusque hu- jus Scriptoris teſtimoniis utitur Cuperus Tomo cit. v. g. p. 196. n. 1186 p. 199. n. 1203. p. 221. n. 1328. p. 239. n. 1437 & ſeqq. Chronicon Phil. Cyprii inter prohibita recenſuit noviſſimus Ind. Rom. p. 92. verbô: *Chron.*

CINNAMUS JOANNES, Grammaticus, ſive Notarius ac Secretarius Manuelis Imperatoris (cujus comes fuerat in expeditionibus bellicis) floruit Seculo XII, & poſt Alexiadum libros, ab Anna Comnena conſcriptos, ipſe pariter adornavit Hiſtoriam, in ſex libros diſtinctam, & ab exceſſu Alexii Comneni Imp. (Annæ Parentis) narrationem exorſus, res quidem à Joanne Imperatore, Alexii filio & Annæ germano, geſtas non niſi ſuccinctè deſcripſit, prolixiùs verò in Manuelis, Joannis filii, regimine calamum ſuum diffudit (ùt ipſe teſtatur l. 1. c. 1.) neque tamen usque ad Manuelis obitum hoc Opus pertingit; unde incertum, an laborem ſuum penitus abſolverit Cinnamus, an verò mutilus ſolùm ad nos pervenerit. Eam Hiſtoriam Cornelius Tollius Ultrajectenſis poſt Baronii mortem Trajectenſibus typis an. MDCLII in lucem protulit, & poſt aliquot annos Du-Cangius ſive Du-Freſnius typis Regiis denuo publicavit, uterque verò eam Notîs illuſtravit. De Cinnamo plura Allatius in Diatriba de Simeonum ſcriptis p. 150. & ejus interpretes citati. Hæc ferme *Pagius* T. IV ad an. 1177. n. XXIII. Atque illa ipſa Editio Du-Cangiana, utpote melior, hodie pariter inſerta legitur Tomo XI Hiſtoriæ Byzantinæ, quæ prelo Veneto data, XXV Tomos complectitur. Corrigit autem ſubinde Tollium Du Cangius, & Græcum Cinnami textum emendatiùs vertit. CINNAMUS JOANNES.

Duo verò potiſſimùm ſunt, quæ in Hiſtoria Cinnami (alioquin non parùm ab Eruditis æſtimata, ùt videre eſt apud Auctores citatos, item in *Actis SS.* T. I. Aug. in Hiſt. Chronolog. p. 133. n. 791. p. 139. n. 832. 33. p. 134. 136. n. 797. 809. &c.) Critici obſervârunt. *Primum*, quòd parùm æquus fuerit in Romanos Pontifices, Imperatores Germanicos, atque adeò in Latinos omnes, ex innato videlicet Græcanicis ingeniis in illos odio; quod ceteris etiam Scriptoribus Byzantinis familiare. Vid. *Pagius* l. c. *Cuperus* verò T. I. Aug. l. c. p. 34. n. 800 de nimio etiam in Patriarchas ſuos ſtudio Cinnamum notat, ùt cùm Coſmam II, Niphonis hæretici familiarem atque fautorem, &

inſuper de Bogomilorum hæreſi ſuſpectum, in plurium Epiſcoporum Synodo eapropter exauctoratum, ipſe frivola ex cauſa, ſive inerudítæ Viri *ſimplicitatis* prætextu perperam conatus eſt excuſare. *Secundum*, quòd in iis, quæ extra Imperium Græcum v. g. in Italia, & Hungaria contigêre, non rarò Cinnami narratio fallat: imò & in patriis, locóve vicinioribus rebus quandoque à vero recedat. Vid. *Cangius* in Notis: *Pagius* T. IV. Crit. ad an. 1121. n. 7. an. 1123. n. 17. Attamen hunc Cinnamum præ ceteris aliis Scriptoribus Græcis *Auctorem elegantem* non immeritò vocant *Leo* Allatius l. c. & Gerardus *Voſſius* l. IV de Hiſtoricis Græcis c. 19. Vid. *Graveſ.* P. I. T. IV. Colloq. V. p. m. 239. col. 1.

CLERICUS JOANNES. CLERICUS JOANNES, natione Allobrox, patriâ Genevenſis, manſione Amſtelodamenſis, Seculi XVII & XVIII Scriptor, vivere ſimul & furere deſiît anno 1736. Quo in pretio aut veriùs quanta in damnatione habendus ſit, teſtantur ejus Opera, quorum Catalogum ſatìs prolixum Iſelinus Baſileenſis in ſuo Lexico dedit. Licet enim hic ipſe Excellentiſſimi noſtra ætate Scriptoris præconiô Clericum exornare non erubuerit, multò tamen rectiùs atque apertiùs ſentiunt, quibus Cordi eſt veritas, & penitior antiquitatum Patrúmque cognitio. Certè hi Clericum deſcripſêre ùt *larvatum Criticum*, *Ariſtarchum audacem*, *Scriptorem ſuperbum & furioſum*, *calumniatorem impudentiſſimum*, *puerilìter dicacem*, *tantâ arrogantiâ turgidum*, *ut omnes SS. PP. præ ſe contemnat*, *adeò ſimul ineptientem*, *ac ſi prima Dialecticæ principia nunquam audiviſſet*, *Sacrámque Scripturam vidiſſet nunquam*: hominem denique, qui *verba flammis digna* eructet, & *S. Auguſtinum ùt hiſtrionem*, *ùt Comœdum*, *ùt dolis impiis uſum ad lucra ſibi comparandæ*, *ùt Auctorem ſacrilegæ fabulæ* traducere non perhorreſcit: dum interim ipſe Clericus *tam miſeris argumentis* Sanctos PP. Auguſtinum, Ambroſium, aliósque, & relata ab iisdem miracula oppugnat, *ut quilibet homo ruſticus & agreſtis talia proferre poſſit*, *modò non careat malignâ calumniandi audaciâ & inauditâ Clerici impudentiâ*. Vid. *Cuperus* T. VI. Aug. p. 231. n. 101. p. 214. à n. 5. ad 12. item à p. 242 ad p. 245 per totum §. XII in Comment. præv. ad Acta S. Auguſtini: *Stiltingus* T. VI. Sept. à p. 854 n. 423 usque ad p. 857 n. 435. *Lamindus Pritanius* ſive *Muratorius* in ingeniorum moderatione in religionis negotio l. 3. c. 11. Denique *P. Joſephus Zwingerus* noſter in Apologia pro D. Hieronymo adverſus Joannem Clericum, Friburgi Brisgojæ edita an. 1752, in qua præter alia complura jam in ſola Sectione prima à p. 9. ſolidè prolixéque oſtenditur imò quòd Clericus ſit famoſus calumniator natu majorum & Patrum Sanctorum omnium.

nium. 2dò quòd ſit homo velut exterus, Socinianus, apud tribunal Chriſtianum non audiendus. 3tiò quòd ſit homo infidelis & incertæ, vel nullius omnino religionis. Adde, quæ ſuprà ad lit. A, ſive ad S. Auguſtini Opera de portentoſo iſthoc Scriptore & librorum adulteratore Clerico ex ipſomet Caſimiro Oudino Apoſtata jam animadvertimus. Omnia itaque hujus Clerici Opera meritò ex Orthodoxa Republica ſunt eliminanda. Vid. noviſſ. Ind. Rom. p. 193. 213. 220. 223.

COINTIUS CAROLUS, Trecenſis Gallus & Congreg. Oratorii Preſbyter *Annales Eccleſiaſticos Francorum* ab anno Æræ Chriſtianæ 235 usque ad 845 octo Tomis in folio eſt complexus. Obiit Pariſiis Anno ætatis 70, Chriſti 1681 18 Januarii, priusquam Tomum VIII jam ſub prelo ſudantem ad coronidem perduceret; unde manum ultimam addidit Gerardus Du Bois ejusdem Congregationis Alumnus. Ait de hoc Cointio Papebrochius T. VII Maji in Paralip. p. 62. n. 3. col. 2. *Ipſe Carolus in Henſcheniano Opere* (ſive in Actis SS.) *perquam diligenter verſatus, ex eóque multa in rem ſuam ſolitus trahere, tacito licèt authore, niſi cùm refutare eum intendit.* Quòd autem Cointius Henſchenium & Papebrochium velut ex deſtinato paſſim oppugnare conſueverit (ùtùt plerumque minùs feliciter, id quod ex Actis Sanctorum lectori conſtabit) ipſe advertit Henſchenius T. VII Maji in Exegeſi Prælim. c. IV. n. 25 ad finem. Dein T. I. Junii p. 489 n. 5. 6. 7. 8. idem Papebrochius notat, quòd Cointii auctoritas neutiquam tanta ſit, ut illi mox debeat acquieſci: ſimúlque addit, quòd Cointius ſit *omnium nationum, præter ſuam, fugillator, & Henſchenii paſſim exſcriptor, licèt illius nomen taceat.* Ceterum etſi Cointius Vir fuerit perquam induſtrius, & ejus Annales ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam multum utique ferviant: plurimi tamen nec leves ſemper (ùt in Scriptionibus amplioribus non rarò contingere ſolet) in re hiſtorica aut Chronologica lapſus apud eundem occurrunt, & crebrò refutantur tum in Antverpienſibus Actis SS. tum in in Pagii Critica Baroniana v. g. T. III Crit. ad an. 742. n. 22 & 23. COINTIUS CAROLUS.

COMNENA Anna, Alexii Comneni Imperatoris & Irenes filia, Nicephori Bryennii uxor & Imperatrix, geſta Patris ſui in XV libros congeſſit, quos idcirco *Alexiados* nomine inſignivit. Prodierunt illi Græco-latinè cum notis Heſchelii & Poſſini Pariſiis an. 1651: dein cum notis hiſtoricis & philologicis Caroli Du Cangii Pariſiis an. 1670. demum T. XI Hiſtoriæ Byzantinæ Edit. Venetæ. Ait verò Gretſerus T. XV Operum tum in Indice, verbô: *Anna*: tum in Animadverſione COMNENA ANNA.

XI de Eccleſiæ Latinæ, pro Unione Græcorum, ſollicitudine perpetua p. 517, quòd Anna Comnena, *vel potiùs Schiſmaticus aliquis ejus nomine abutens*, imperitè ac mendaciter ſcribat L. I. Alex. Primatum Hierarchiæ Eccleſiaſticæ pendere ab Imperatoris arbitrio & novæ Romæ ſive CPleos Majeſtate & amplitudine : Concilium item Chalcedonenſe Epiſcopo CPlitano Primatum & omnes orbis totius Diœceſes ſubjeciſſe. Dein idem Gretſerus l. 2. contra Replicatorem c. 19. ita in Annam commentatur: " Annam paulò pluris æſtimamus (quàm " Aventinum aut Illyricum) cui quanta fuerit mentiendi facultas, " docet ejus Alexias nuper græcè publicata, de cujus dubia & ſuſpecta " fide editor ipſe, ſtatim in limine, luculentum teſtimonium dedit. " Et lectio ipſa docet, quot falſis narrationibus & pſeudologiis liber " ille refertus ſit, præſertim ubi de Latinorum rebus & Gregorii VII " Robertique Guiſcardi ſermo ; quod oſtendimus etiam in breviculâ " Apologia pro Gregorio VII contra Annæ hujus Alogiam. Nec ul- " lus mortalium unquam extitit, qui quæ Anna à Gregorio in Lega- " tos (Henrici) perpetrata ſcribit, memoriæ prodiderit (v. g. quòd " Gregorii juſſu non modò barbis & capitibus raſi, ſed & in Eunu- " chorum ordinem fuerint redacti) Nimirum quæ Latini interdum, " ludibrii gratiâ, in Græcos bello captos per licentiam militarem pa- " trabant; de quo extat memorabile ſimul & ridiculum exemplum " apud Luitpandum l. IV c. IV. quòd Græci hujusmodi Eunuchos, & " ùt vocitabant, *Carſamatia*, de quibus lege eundem Luitprandum " l. VI c. III, in deliciis haberent, eósque Græcis venderent, ideo " Anna hoc contumeliæ genus legatis Henrici illatum finxit, ſine ul- " lo ullius præterea Hiſtorici teſtimonio : fabulâ ex ſolis trivialibus " Schiſmaticorum circulis hauſta. Quanquam Alexiadis Editor aliam " itidem figmenti hujus originem non improbabiliter indicat, de qua " dixi jam in Apologia pro Gregorio VII contra Annam." Ita Gretſerus, qui paulò pòſt in eodem Cap. XIX contra Replicatorem ex membranaceo Viennenſi chirographo quasdam Henrici literas, eadem de legatis malè acceptis querimoniâ graves atque ad Clerum Populúmque Romanum datas, adducit, indéque multò veroſimiliorem totius conſutæ fabulæ, atque in Orientem usque volitantis originem eruit.

Spiritu porro Schiſmatico non leviter Annam fuiſſe afflatam, hæc ejus verba demonſtrant: *Hæc* SUMMUS PONTIFEX (Gregorius VII) *& in orbem Terrarum univerſum* UNIVERSALIS CHRISTI VICARIUS *fecit; nam eos illi titulos Latini ſui tribuunt: in his quoque pro cetera inſolentia ſua mentientes. Translatis enim è vetere Roma Sceptris in noſtram urbem regiam*

regiam (CPlitanam) *Pontificatûs quoque Primaria dignitas illic defecit: Ecclesiæque Primatus, jam olim à Principibus, qui hic regnârunt, CPlitano adjudicatus Throno est.* En! quot propè verba, tot falsitates.

Quantum dein adversus Præsules & Sacerdotes Latinos, qui Sacris Expeditionibus aderant, velut adversus truculentum & sanguinarium hominum genus, Anna bacchetur, libro X Alexiados luculentissimum fecit: *At*, inquit, *Barbarus Latinus, simul atque initiatus sacris, primitias Sacrificii libaverit, Clypeo statim in lævam inserto, correpta in dexteram, vibratâque lanceâ, simul divinum communicat corpus & sanguinem, simul torvùm ac sanguinariùm tuetur, designans ad cædem homines oculis Vir Sanguinum. Adeò barbarum hoc genus non minùs sibi belli ac gladii jus æquè arrogat, quàm Sacerdotii apicem deposcit.* Plurimùm itaque contra genuinas Historiæ sive veritatis leges exorbitavit Anna, quantumvis unius veritatis studium sibi pro regula statuisse, ipsa jactantiùs quàm veriùs palàm contestetur. Nam in Operis sui (aliàs exquisiti elegantissimique atque à Criticis non parùm dilaudati) præfatione magnificè profitetur, se cum veritatis damno nullatenus domesticæ ac privatæ gloriæ servituram, sed Historici functuram officio: quod favore pariter atque odio interdicit ei, qui res gestas ad memoriam scribendas suscipit, jubétque ex æquo vituperationes & laudes in eos, qui merentur, dispensare, nullo amicitiæ necessitudinisve, hostilitatis simultatisve discrimine. Quibus tamen verborum ampullis quàm parùm Annæ facta responderint, ipsa hujus Alexias docet, ùt antè intelleximus. Confer. *Gretserus* l. c. *Not. Alex.* T. VI. Hist. Eccles. ad Sec. XII. Cap. VI. Art. V. p. 517. col. 1. n. 3. & Dissert. II. p. 710. col. 2. n. 2. *Graves.* P. I. T. IV. Colloq. V. p. m. 240. col. 1. *Du Cangius* in notis ad Comnenam: *Cuperus* T. I. Aug. in Hist. Chronol. p. 128. n. 761. qui ita habet: *nihil quemquam moveat, quòd hic Patriarcha CPlitanus* (Joannes Xiphilinus) *ab Anna Comnena vocetur* SANCTISSIMUS, *cùm interim sæpiùs narrata soluti* (à Xiphilino) *juramenti historia sanctitatem ipsius minimè commendet; nam mulier illa Schismatica & Latinis infensissima Romanum Pontificem ejusque Subditos contemnere, & Schismaticos suos laudare consuevit. Quare non immeritò eos, quos ipsa laudibus exornat, infectos putamus Schismate, quod Alexius Comnenus, Pater illius, nunquam seriò tollere voluit, quamvis astutus ille Princeps pro rerum necessitate interdum amicitiam cum Romanis Pontificibus simularet* (Vid. etiam Leo Allat. l. 2. de Consensu utriusque Eccl. c. 16. n. 2. ante finem: p. m. 801 ex Choniatæ l. 3. c. 9.) *unde etiam nonnulli Critici observârunt, Annam Comnenam in Alexiade sua nimis amori erga Patrem indulsisse, & potiùs panegy-*

vim parentis ſui quam filiorum transiſſe. Ep. p. 129. a. 57. loc. cit. adverſus Conringium, quod Anna quominùs Patris ſui mortem ante fleat.

CONRADUS Urspergensis. Vid. *Chronicon Conradi.*

CONRINGIUS. CONRINGIUS Hermannus, ratione Patrius, & prioris Seculi Polyhistor Protestanticus, ingenio quidem rabus & felix, ſed & calamó ferox, neque vulgariter multa, compilatus edidit opuſcula, quibus non mediocrem, inter ſuos principes, ſibi peperit nomen, neque pauca etiam ſui moramenta invenit. Hos inter non ultimus fuit Joannes Wilhelmus Goëbelius, qui Conringii Scripta, ſparſim antehac edita in unum Corpus collegit, & ſex integros horum Operum Tomos recudendos preſo mandavit, ita tamen, ut non exiguam horum Voluminum partem cum aliorum quoque non diſparis farinæ Scriptorum ductoramenta inutilia, tum ipſiusmet Goëbelii nota copioſiſſima constituerent; quibus videlicet hic Scholiaſtes Conringium ſuum non tam ornavit quam oneravit, neque tam illius errata emendavit, quam auxit. Quod ſi quis ſingulos Conringii partus attentiùs explorare, & latentes illos ſæpe ſæpiùs deprehendet, mirabitúrque, quá ſe ſuum inſtinctu hic Literator in omnis ferme generis argumenta deliberandi ſolitudo ſuum ingerere, & in ſingula propemodum literarum ſua ſecula inferre ſit auſus, leviter ùt plurimùm tinctus, & non ad ſua ſecula magis, quàm ſciens: imò & Zoilus mordax, Hiſtoricus mendax, calumniator atrociſſimus, præcipuè ubi de rebus Orthodoxis aut Pontificiis agit. Neque melius quidquam Goëbelius agere potuit, quàm ut in Conringii Opera locupletiſſimum Indicem, & cum Indice ferocientem Conringii animum nobis coràm exponeret; hoc etenim vidò quivis lector Orthodoxus ſibi dictum putabit: *Hunc tu Romane caveto.* Itaque ut aliorum errorum, falſitatum, ac conviciorum, quibus infarta ſunt Conringii Opera, ſentinam tacitus præteream, pauculas ex quolibet Tomo propoſitiones huc adduco. T. VI. *Autoritas Pontificia, ſive Vice-Deatus & tyrannis notatur.* pag. 121. 162. 364. 373. 379. 381. 396. 465. 483. 498. 563. 567. 574. 582. 588. 606. 617. 630, ubi ſic Conringius: *Omnino tamen & ipſemet arbitror, ſchemate ſorte Babylonici Curiam Romanam Hildebrandinam ſignificari; quod ipſum publicè etiam profeſſus ſum libro de Germanorum Imperio p. 94. Quanquam verò hæc interpretatio vehementer acuat odium & deteſtationem Curiæ illius, affectui tamen erga Eccleſiam, tyrannide illius Curiæ preſſam, nihil officit.* Ergò juxtà Conringium Imperator Romanorum, Reges Galliæ, Hiſpaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c, ceteríque Duces & Principes orthodoxi,

thodoxi, in Pontifice Romano ſcortum babylonicum venerantur! Et hæc ſcribere in Germaniæ facie tolerati dogmatis homo, imò etiam noſtra ætate, Anno MDCCXXX, pejus adhuc recudere Goëbelius!

T. V. *Pontificis arrogantia & poteſtas.* p. 665. *Argumenta ambitionis Pontificiæ* p. 614. 602. *DEI-Vicariatum etiam ad inferos usque extendunt, imò inde in Cœlum extendunt Papæ* p. 616. *Pedum oſculatio; hinc DEUS appellatus.* p. 617. *Pontificem nemo nt Vicarium DEI admittere poteſt, niſi in promptu ſint documenta divini placiti.* p. 641. T. IV. *Pontificis Monarchia oppugnatur ex antiquitate, ex principiis naturâ notis.* p. 367. *Pontificatus cum Caliphatu Muhammedis comparatur.* p. 449 & 468. *cum Imperatore Turcarum* p. 458. *Vice DEUM ſe venditans Pontifex, literis creditivis deſtitutus meritò rejicitur.* p. 186. *tenetur perſonam ſuam legitimare, quòd ſit Succeſſor Petri.* p. 378. *Plura de eo dogmata juri naturali adverſantur.* p. 636. *Superſtitionem induxit.* p. 610. *ſemper intentus fuit litium numero augendo.* p. 699 & 704. Et p. 378 ita mentitur, aut delirat Conringius: *habemus Epiſtolam, quâ Papa Turcarum Imperatori perſuadere conatus eſt, ſe ipſi, ſi agnoſceret ſe Vice-DEUM, jus eſſe daturum in omnes terras, quas vi occupâſſet. . . .* Et: *Papa non homo, nec DEUS, ſed medium. . . . modos habet varios extrahendi animas ex purgatorio. Habet numiſmata, quæ conſecrantur ab eo, & ſub his tota condita eſt doctrina Indulgentiarum. . . . . Papæ debuiſſent etiam miracula facere* (ut ſcilicet probarent, ſe eſſe Succeſſores Petri & Vicarios DEI) *At illi confugiunt ad Capucinos. Sed quid inde? dicunt, ſe poſſe aſinos reſuſcitare; ſed ſi unum reſuſcitent in documentum, Papam credam Vice-DEUM eſſe; ſed hactenus in Germania id non fecerunt. Videmus igitur, quanta ſit vis ſuperſtitionis, & quantum noſtri majores paſſi ſibi ſint per aliquot Secula imponi. Quod nos pro fabulis habemus, crediderunt fato divino. Multi in Pontificia Eccleſia talia dogmata Curiæ Romanæ non admittunt, & tamen ſatis fraternè inter ſe vivunt. Sed hoc videtur mihi iniquiſſimum, nec poteſt ſic concordia Eccleſiaſtica inſtitui; quod oſtendi cap. 2. libri de concuſſione fundam. religionis Pontificiæ. Dico eos ſalva conſcientia non poſſe communicare cum Papa, ſed teneri ipſi anathema dicere. Confer præfationem libri de Elect. Alexandri VII: Peccatum mortale eſt, Communionem Eccleſiaſticam cum Papa colere, ſi noveris eum eſſe mentitum Vice-Deatum. Non eſt hæc quæſtio problematica, de qua credere poſſis, quod velis.* En! quàm abſonè Midas hic Proteſtanticus rudat, & pro Pontificiô Vice-Deatu ex ipſis aſinis miracula quærat!

T. III. *Pontifices fulminibus ſuis Respublicas turbârunt.* p. 1014. *Regiones Italiæ variis fraudibus extorſerunt.* p. 1071. *Sub prætextu pietatis dominium affectârunt.* p. 1006. *Cur revera in illas regiones, quas poſſident, dominium eminens non obtineant.* p. 1010. T. II. *Si doctrina de Pontifice ſit vera, quòd ſolus in*

Cle-

Clerum habeat Imperium, de Majeſtate omnium rerum publicarum actum erit, p. 212. *Nullo jure ſibi Monarchiam circa ſacra vendicat: quin hæc ab illo venditata, convellit religionem naturalem.* p. 35. 37. *Quòd ejus jugum Germania ſubierit, id factum per ignorantiam & vindictam divinam.* p. 745. 746. *Decretis etiam Impiis parendum volunt Doctores Juris Canonici* p. 561. 562. *Multa fraudulenter ſuppoſuit Pontifex, & in uſum ſuum confinxit.* p. 573. *Ex Spiritu meretricio in ambitioſum delapſi Pontifices.* p. 376. *Pontificis Principatus Secularis comparatur cum Regno Mamuduccorum in Ægypto.* p. 1060. *Libri de ejus Monarchia in Republica Germanica eſſent comburendi.* p. 898. Utinam Conringii libris hoc fatum eveniat, piram centies milliésque promeritis! ut vel ſic Scriptoris hujus, ſimul & Scholiaſtis ſui impudentia, ſaltem inter flammas luculentior fiat.

Tomo denique Imo p. 113, ubi de origine poteſtatis Secularis in Eccleſia Romana agitur, omnes ſanè eloquentiæ & proterviæ nervos intendit, ut in Pontifices & Romanam curiam graphicè atque thraſonicè integram conviciorum & mendaciorum hecatomben exoneret. Atque hæc pauca ex multis ſufficient, ut Lector orthodoxus Conringium coloribus ſuis adumbret. Plura inſuper dabit *P. Schwarz in Colleg. Hiſt. ac præcipuè P. III.* Miſeranda profectò Religio, quæ tales multoties Polyhiſtores & ſpurios ſui vindices profert, qui dogmati ſuo peſſimè conſultum exiſtimant, niſi adverſus Romanam Eccleſiam fabulas ex Utopia, mendacia ex Creta, furias ex Erebo advocent, haud ſecus, atque ſi debitum Charonti naulum rite aliquando ſe perſoluturos deſperent, niſi priùs in terris cum Cerbero latrâſſent! Optandum, ut malè feriata Conringii Volumina univerſa, uti & Goëbeliani Scholiaſtis gloſſemata (quibus Eruditior Respublica Sacra atque profana, nullo diſpendio, carere poterit) ex Urbe & Orbe Catholico exterminentur. *Vid. Ind. Rom.* noviſſ. p. 179.

COPPENSTEIN. COPPENSTEIN. Vide *Alanus.*

CRANZIUS. CRANZIUS. Vide *Kranzius.*

CRUSIUS MARTINUS. CRUSIUS MARTINUS, heterodoxus, Hebraicæ Græcæq; linguæ in Schola Tubingana Profeſſor, ſcripſit *Annales Sueviæ, Turco-Græciam, Germano-Græciam* &c. obiitque Tubingæ an. 1607. 25. Febr. Rectè illum *fabulatoris* nomine compellavit Papebrochius T. III April ad diem XXX in vita S. Hildegardis Reginæ p. 792. 793. n. 20 & p. 795 lit. c. & f. nam inter alia fingit Cruſius, quòd Urbanus Pontifex cum 350 Cardinalibus, Epiſcopis & Abbatibus Campidonam venerit. De ejus-

dem

dem Scriptoris mala fide atque mendaciis agit Gretſerus T. XIII novæ Editionis à p. 530: Annales verò Suevicos ſive Cruſianos Gretſerus potiùs vocat *Voluſianos* l. 2. contra Replic. c. 19. Poſſevinus in Bibliotheca Selecta de ratione Studiorum T. II. Lib. XVI cap. XXI de Hiſtoricis, ita inquit: " Martinus Cruſius, Germanus, Turco-Græ-" ciæ libros octo edidit Anno 1594 Baſileæ, quibus Græcorum Status " ſub Imperio Turcico, in Politia & Eccleſia, Oeconomia & Scho-" lis, jam inde ab amiſſa CPoli ad hæc usque tempora deſcribitur. " At plura in iis libris octo contra fidem & pietatem ac bonos mores " inveniuntur; cùm etiam pleraque inſerta ſint, quibus Lutherana " & reliquæ hæreſes everti poſſunt. Certè Martinus Cruſius, ùt in " Tubingenſi Schola Profeſſor fuit latinæ & græcæ linguæ ac inter hæ-" reticos hæreticus vixit, voluerit verò haberi eruditus & rerum " Orientalium ſciens, ſatìs habuit, ſi qualiacunque potiùs ex hære-" ticis, Schismaticísque congereret, atque in lucem ederet, admi-" ſcens interdum Catholicos Auctores, è quibus errores ipſi hæreti-" corum evincuntur; præterquam quòd ubi ſecundo præſertim libro " quædam è Græco in latinum convertit, vel ad perſonas Sanctiſſimæ " Trinitatis, vel ad alia myſteria Chriſtianæ Religionis ſpectantia, " turpiter labitur: quippe neque ſolidæ Theologiæ terminos & pro-" prias dictiones intelligens, & hosce ineptè atque erroneè vertens, " mirum non eſt, ſi à Clemente VIII Pontif. Max. proſcriptus eſt in " Romano Indice, donec expurgetur.

Idem Poſſevinus T. II Apparatûs Sacri p. 403 hæc de Cruſio habet: *Martinus Cruſius hìc ponitur, non ut legatur (prohibitus eſt enim in Romano Indice) ſed ut agnita ejus fraude atque imperitia tantò magis declinetur & caveatur. Sic enim & S. Hieronymus in Catalogo & alii Patres in ſuis Scriptis ejusmodi hominum meminerunt, quos deinceps expenderunt, ac refellerunt: Accedit, quòd Cruſius iſte, licèt juſtiſſimè ab Eccleſia proſcriptus ſit, fucum tamen plerisque adhuc facit, qui ejus librorum, quos Turco-Græciam inſcripſit, novaſpecie allecti, dum putant ſe hiſtorias lecturos, hæreſes & ſexcentas (ne dicam ſex mille) errorum quisquilias colligunt, ac plerumque incautè hauriunt. . . . Adhuc ſciendum eſt, eos, qui ex Oriente librum illum* (Gennadii Scholarii Patr. CPolitani) *ad Cruſium miſerunt* (unde à Cruſio dein in ſuam Turco-Græciam hic liber pariter fuit translatus) *eraſiſſe ex eo libro quædam, in quibus de Spiritus Sancti Proceſſione à Patre & filio diſertè Gennadius ſcripſerat; quippe librum alterum eo de argumento ab ipſo habemus, veritatem hanc liquidò propugnante, ac per omnia planè cum Latinis conſentiente.* Pergit dein Poſſevinus p. 403. 404. 405. plura Cruſii excerpta referre, è

quibus tum doli, tum inſcitia, & Græca germani hominis, ſeu mala fides mox propalam fiunt.

Pluribûs hujus Cruſii Artes & machinas, quibus & qua occaſione Græcos ille ad ſua ſigna pertrahere & Lutheranis erroribus inficere pertentaverit, deſcribit *Scheleſtratius* in Actis Eccleſiæ Orientalis contra Lutheranos P. I. Diſſertatione prævià II. Cap. I. à p. m. 75. n. 8. ad p. 82. item à p. 90 ad 100. è quibus omnibus manifeſtum fit, quàm malîs avibûs meditatæ cum Græcis unionis negotium ſuſceperit Cruſius, quámque dexterrimè & aſtutiſſimè tertium Hieremiæ reſponſum menſe Majo, Indictione IV an. 1576 datum (Vid. *Scheleſtr.* l. c. p. 92 col. 2. poſt medium: & ipſam Hieremiæ Epiſtolam, p. 147 & 148, unà cum reliqua elucidatione Doctrinæ fidei, apud Græcos receptæ, & per plura ibi folia recenſitæ, à pag. 149 & ſeq.) Cruſius in ſua Turco-Græcia diſſimulârit. Qua de re etiam Vid. *Cuperus* T. I. Aug. in Hiſt. Chronol. Patr. CP. p. 232. à n. 1395 ad 1400: & p. 233. n. 1404. Add. *Ind. Rom.* noviſſ. p. 279. ubi inter I. claſſ. prohibitos Cruſius numeratur.

CUROPALATES. CUROPALATES Joannes, ſive *Scylitza*, aut *Tharaceſius* (cujus ſuprà in Cedreno meminimus) Protoveſtiarius Aulæ CPolitanæ, tum magnus Vigiliæ Drungariatus, ſive Excubiarum Præfectus, ac denique Curopalates, ſcripſit Epitomen hiſtoriarum ab an. 811 usque ad an. 1057, cùm adhuc Protoveſtiarius eſſet. Auxit verò eandem ab an. 1057 usque ad an. 1081, cùm jam Curopalatis munere fungeretur. Atque hujus ſecundæ Partis, à Cedreno non interpolatæ, exemplar antiquiſſimum MS. in Bibliotheca Cæſarea aſſervari teſtatur Lambecius l. 2. Bibl. Cæſar. c. 7. Vid. *Graveſ.* P. I. T. IV. Colloq. V. p. m. 109. Prodiit primùm Venetiis Curopalates, latinè redditus à Joan. Bapt. Gabio: nusquam verò (ùt ait Labbeus T. I. Script. Eccl. p. 555. verbô: *Joannes Curopalates*) Græcè tota ejus Hiſtoria fuit excuſa: ſed anno 1647 cum notis P. Goaris utraque dialecto ſubjecta ſunt tantùm Excerpta ſive geſta ab an. 1057 ad 1081, poſt Compendium Cedreni. Atque hoc ipſum, neque amplius quidquam, præſtitit Editio Veneta de an. 1729 T. VI. Hiſt. Byzant. ubi ſimiliter poſt Cedrenum non niſi Pars altera Hiſtoriæ Curopalatis (quæ ſcilicet in Cedreno non exſtat) ab an. 1057 ad 1081 Græco-latinè ſubjungitur.

Quamvis verò Scriptores paſſim in Hiſtoria, præcipuè rerum Orientalium, Curopalatis teſtimoniô uti, & in plerisque, ſui maximè ævi, aut viciniorum temporum atque locorum geſtis fidem habere ſoleant (Vid. *Pagius* in Crit. T. IV. *Acta* SS. T. I. Aug. in Hiſt.

Chro-

Chronol. Patr. CP.) fabulis tamen atque erroribus non parùm reſperſa creditur illius Hiſtoria. Sic v.g. Cuperus noſter T. I. Aug. l. c. p. 125 à n. 741 ad 746 advertit, quòd Scylitza Michaëlem Cerularium ob ſuperbiam ſuam in exilium à Cæſare relegatum diſertè commemoret, & nihilominus eidem mortuo affingat miraculum: quod Baronius jure merito explodit, & nec ipſe Zonaras, quantumvis Schiſmaticus, ac prope Curopalati coævus referre eſt auſus. *Stiltingus* verò T. I. Sept. p. 473. n. 68 in vita S. Stephani Regis, ubi de converſione Hungariæ & converſionis tempore agit, ita inquit: *Curopalates, quantæ auctoritatis eſſe poſſit, ſi Cedrenus* (qui ſua ſcilicet ex Curopalate decerpſit) *antilium fabularum ſit Scriptor* (qualis à Lipſio vocatur. Vid. ſuprà *Cedrenus*) *collige ex utriusque conſonantia, quæ maxima eſt in geſtis temporum, de quibus agimus. Tandem Græcos illos tres* (ſcilicet Curopalatem, Cedrenum &c. (*fidem non mereri de re tamdiu præterita támque inconcinnè enarrata, evincent argumenta, quæ ſubjungo.* Ita Stiltingus.

CUSPINIANUS JOANNES, ſeu germanicè *Spieſshammer*, celebris Philoſophus, Orator, Hiſtoricus & Medicus, vitam poſuit an. 1529, poſtquam Auſtriæ Chorographiam, Ducum & Archiducum Auſtriæ Hiſtoriam, Diarium de Congreſſu Cæſaris Maximiliani ac trium Regum, Opus item tum de Conſulibus Romanis, tum de Turcis, præcipuè verò Vitas Cæſarum Romanorum elucubravit. Monuit autem jam Poſſevinus in Bibl. Selecta T. II. l. 16. de Hiſtoricis C. IV. p. m. 372. quòd Cuſpiniani liber de Cæſarum Vitis inſcriptus (varii enim errores in eo inſperſi ſunt) eo usque ab Apoſtolica Sede prohibitus ſit, quamdiu emendatior non prodiêrit. Vid. noviſſ. *Ind. Rom.* p. 224 & 202. Similiter Gretſerus in Baſilico Doro ſive Commentario Exegetico Cuſpinianum vocat Scriptorem in Romanam Sedem pravè affectum, utpote qui Fridericum II, Pontificis juſſu, venenô necatum inter cetera falſiſſimè ſcripſerit. Verùm ſuſpicari potiùs malim, Errores hosce non tam Cuſpiniano, quàm Nicolao Gerbelio eſſe adſcribendos. Cùm enim Cuſpinianus, morte præventus, Cæſarum vitas nec recognoſcere ampliùs, nec prelo committere poſſet, primùm poſt illius fata Nicolaus Gerbelius, Argentoratenſis Hiſtoriarum Profeſſor Acatholicus, ultimam huic Operi manum admovit, & præfixâ Cuſpiniani vitâ illud ad publicam lucem promovit. Quoniam verò heterodoxis Editoribus (ùt alibi monuimus) nihil familiarius eſt, quàm ùt Catholicorum ſcripta autographa, eousque inedita, neque alterius conſpectum tam facilè poſthac ſubitura (ne ſcilicet deprehendi fraus poſſit) ſibi ſollicitè comparent, eáque poſtmodum ſive præfatio-

CUSPINIANUS.

fationibus ſuis, ſive aſſumentis corruptiſſima edant: inde profectò non vana naſcitur conjectura, eandem ſortem etiam Cuſpinianum circa poſthumas ſuas Cæſarum Vitas à Gerbelii manu fuiſſe expertum; præcipuè cùm ex Indice Rom. p. 301. jam habeamus compertum, etiam ipſius Gerbelii Scripta inter primæ claſſis Auctores prohibitos recenſeri.

D.

DACHERIUS. DACHERIUS Lucas, (aliàs Acherius) Ord. S. Bened. Congr. S. Mauri, Scriptor Gallicus, qui Pariſiis mortem oppetiît an. 1685, *Spicilegium Veterum Auctorum* edidit Pariſiis an. 1665, & anno demum 1677 totum Opus abſolvit. Fuerat illud primò in XIII Tomos formæ quartæ tributum; aſt nunc ibidem an. 1723 recuſum, Tria Volumina in folio complectitur: atque hujus ſecundæ, utpote emendatioris, editionis non ſolùm meminit Cuperus noſter T. IV Aug. in vita S. Theonæ Ep. Alex. p. 585. n. 31. ſed & à p. 583 ad 585 ſimul obſervat, quòd Dacherius *divinando laſſus*, *levibus ex conjecturis* Sancto Theonæ Alexandrino Epiſtolam paræneticam ad Chriſtianum ethnici Imperatoris cubicularium perperam abjudicârit. Unde non ſolùm Cuperus l. c. ſed & ipſi Benedictini PPes in altera Spicilegii hujus editione Dacherianas ratiunculas ſolidè confutârunt. Fuit nihilominus (ùt Graveſonius teſtatur P. III. Tomo VIII Colloq. V. p. m. 180) & ex merito quidem hoc Spicilegium Dacherianum omnium literatorum plauſu exceptum, utpote in quo quædam Scriptorum Opera, Epiſtolas, Acta & Canones Conciliorum, Hiſtorias ſeu Chronica, Vitas Sanctorum, Opera Poëtica, antiqua Tabularia, Documenta & Inſtrumenta, quæ in variis Galliarum Bibliothecis eousque absque publicæ lucis uſura latuerant, Dacherius tandem reſuſcitavit, accuratè digeſſit, pulcherrimis notis & Præfationibus explanavit. Eidem Dacherio etiam *Acta SS. O. S. Benedicti* maximam partem debere adſcribi, Mabillonius ipſe in Actorum præfatione teſtatur.

DAMIANI. DAMIANI Petrus S. patriâ Ravennatenſis, ex Monacho Benedictino in Cœnobio Fontis Avellani, ſive S. Andreæ de Avellana, S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis à Stephano IX creatus, legationibus, laboribus, ſcriptis & ſanctitate percelebris, obiît Faventiæ an. 1072 (ùt contemporaneus Bertoldus Conſtantienſis teſtatur) 23. Febr. Vid. *Acta SS.* T. III. Febr. ad d. d. Meminêre eximii hujus Viri quà Veteres

Veteres quà RR. Scriptores, quos recenſet Labbeus T. H. Script. Eccl. p. 201. Omnia verò, vel pleraque illius Opera, quæ, ùt Paulus V. loquitur, antea *in tenebris disjecta* diſpersáque delituerant, diligentiſſimè conquiſivit, & in tres Tomos collecta, Romæ an. 1606. 1608. & 1615 publicavit Conſtantinus Cajetanus Abbas: cujus editionis exemplar Conſtantinus ipſe, tanquam *grati animi munus* (prout proprio teſtabatur chirographo) ad hujatis Academiæ Theologum Gretſerum transmiſit. Editionem Romanam ſecuta eſt Lugdunenſis an. 1623, & Pariſienſis an. 1663. Advertunt tamen Labbeus l. c. Poſſevinus in Apparatu, Nat. Alex. T. VI. ad Sec. XI. Art. V. Cap. V. p. 504, varia in hisce Operibus nomen quidem Damiani præferre, quæ tamen Damiani haud ſint. Certè librum de Correctione Papæ & Epiſcopi, qui ſub Damiani ſchemate an. 1562 ex Argentoratenſi Typographeo emerſit, ad Damianum minimè pertinere, ſed fœtum merè ſuppoſititium eſſe, jam monuit Poſſevinus in Appar. T. II p. 51. ad calcem Operum Damiani: & ex Poſſevino Labbeus, & Natalis Alex. l. c. Tametſi verò dubitari haud poſſit, maximis omnino elogiis (quorum aliqua commemorat Natalis Alex. & ipſa Damiani Opera ſatis confirmant) dignissimum fuiſſe Damianum: in hiſtoricis tamen rebus, quæ tam in illius Epiſtolis quàm in Vitis Sanctorum ab eo conſcriptis paſſim occurrunt, non omnem ubique lectoris aſſenſum mereri, facilè Eruditi conveniunt. Sic v. g. in Epiſtola ad Dominicum cap. V. narrantur quædam leviora de animabus defunctorum, quæ die Dominico refrigerium pœnarum videntur habere, & in figura avicularum de lacu averni exire cernuntur: quæ, ùt Bellarminus l. de Script. Eccl. obſervatione prima in Opera Damiani inquit, *fabulis fortaſſe ſimiliora ſunt, quàm hiſtoriæ.* In Epiſtola verò ad Henricum Ravennæ Epiſcopum (quæ Epiſtola etiam liber *gratiſſimus* dicitur) cap. 16. ſcribit Liberium Papam fuiſſe hæreticum & ſeditioſum: cap. 4. Chriſtum anno 30 in baptiſmo factum eſſe Sacerdotem; quod utrumque falſum: Chriſtus enim in conceptione habuit omnem gratiam & dignitatem, neque Liberius hæreticus fuit. Vid. *Bellarm.* l. c.

Sed & ipſe hic Sanctus Damiani quæpiam in hiſtoricis ſuis ex aliorum qualicunque fide ſe referre non diffitetur. Nam l. 1. Epiſt. 9. ait: *Ego quoque, quod ſcripſi, procaciter non affirmo, ſed utrum verum ſit, nec ne, legentium inquiſitioni relinquendum eſſe decerno.* Et Ejusdem l. 1. Ep. 10. ita habet: *Hæc eadem geſta, quæ ſcribimus, quia in tranſitu audire nos contigit, utrum in offenſam fidei lineam teneant, certum per omnia non habemus.* Lib. II. Ep. 14. ad Deſiderium Abbatem Caſinenſem, poſt narrata varia miracula, ſic concludit: *Hæc omnia, Venerabilis Pater, non ſine*

magno timore deſcribimus, ne vel per oblivionem proprium, vel per infidæ relationis audaciam à veritatis linea quantumlibet declinemus. Denique ad eundem Deſiderium ſic ſcribit l. II. Ep. 15. *Hæc ego, Venerabilis Pater, & alia quam plurima non ſine magnæ formidinis angore conſcribo, ne videlicet vel relatores mei meræ veritatis ſemitam non tenuerint, vel ipſe quoque, relationum in quolibet immemor, oblivione deliquerim.* Vid. *Cuperus* T. III. Jul. in Comm. præv. ad Acta S. Joannis Gualberti p. 313. 314. §. 2. n. 16. ubi ſubjungit: *cùm in tot aliis narrationibus id ſibi contigiſſe fateatur Petrus Damiani, idem in hac Crucifixi hiſtoria* (quam ſcilicet cum diſcrepantibus rerum adjunctis *ex nonnullorum relatione* Petrus receperat, juxta num. 11. 12. 13. 14. 15.) *ipſi eveniſſe non injuriâ ſuſpicor* : etſi ceteroquin ipſum Crucifixi ſe inclinantis miraculum libens admittat Cuperus, imò iſtud in dubium vocare, ſummæ pervicaciæ ac propè dementiæ eſſe, pronunciet. *Quid enim*, inquit, *hiſtoricè tandem certum erit ; ſi omnibus hiſtoricis, atque etiam vetuſtiſſimis, ſynchronis, aut ſubæqualibus, factum aliquod narrantibus, de eo dubitare liceat ? Intolerabilis ſanè eſt hæc mentis pertinacia, quam quidam noſtri temporis ariſtarchi, ac præſertim heterodoxi, prudentiam aut conſtantiam vocare non erubeſcunt.* Idem Cuperus T. IV. Aug. ad diem XXII in Actis S. Hippolyti Ep. M. p. 506. n. 10. obſervat, quòd S. Petrus Damiani *magis virtutibus exercendis, quàm tricis chronologicis diſcutiendis aſſuetus*, in palmarem parachroniſmum ſit lapſus, cùm in Ep. 9. ad Nicolaum II. S. Hippolytum Ep. M. (qui Seculo III vixit) cum S. Nonno Epiſcopo confunderet, qui Seculo primùm quinto inter homines egit, & Pelagiam meretricem convertit. Quam ipſam Damiani hallucinationem etiam indicat Pinius eodem T. IV. Aug. in Actis S. Aureæ p. 757. n. 9. uterque verò, tam Pinius, quàm Cuperus, exinde inferunt, ex hoc ipſo Damiani errore manifeſtum omnino fieri, quòd tam Hippolyti quàm Aureæ Acta, quæ Petro Damiani præluxerant, jam hujus ævô corrupta extiterint atque confuſa.

DATIUS. DATIUS. Vide *Chronicon Datii.*

DEMPSTERUS. DEMPSTERUS Thomas, natione Scotus, qui à Proteſtanticis ad Romano-Catholica Sacra tranſiit, in Galliis poſtmodum, atque in Italia vitæ reliquum exegit, defunctus Bononiæ an. 1625. Celebratur quidem à nonnullis Scriptoribus & Lexico-graphis (ut Erythræo in Pinacotheca, Iſelino & Menkenio in Lexicis) præſtantiſſima illius memoria & infracta laboris aſſiduitas ; aſt vehementior illius lingua, & judicii proprii obſtinatiſſimus adorator animus ab iisdem non parùm arguitur : unde procul dubio factum, ut ejusdem pariter calamus in

varios

varios errores atque figmenta abriperetur. Edidit inter alia tum Menologium Scoticum, tum Hiſtoriam Eccleſiaſticam Scotorum: cujus geminæ lucubrationis pluribus in locis meminêre Hagiographi noſtri v. g. T. I. Aug. p. 243. n. 13. 14 15. in Comm. præv. §. 2. ad vitam S. Walthèni Abb. T. I. Sept. p. 339. col. 1. p. 619. n. 16. T. VI. Sept. p. 534 n. 7. Verùm quanta ſit Scriptoris hujus accuratio, fides, atque auctoritas, ex eo colliges, quòd non modò Hagiographi loc. cit. ſed & Labbeus T. II. de Script. Eccl. p. 63 verbô: *Marianus Scotus*: Dempſterum *fabularum omnium conſarcinatorem, fraudulentarum ineptiarum toties convictum, popularium ſuorum Sanctorum numerum* ultra verum *augentem*, fabulas *in patriæ ſuæ gratiam* conſarcinantem, *Scriptorem immodeſtum & conviciatorem, cujus in plerisque vacillet fides*, meritiſſimo jure compellârint. Cuperus T. IV. Aug. in vita S. Irchardi p. 774. n. 9. paucîs de Dempſtero ait: *Hujus auctoritas apud nos exiguum pondus habet.* Plures hujus Dempſteri errores pro merito ſuo jam jugulavit Uſſerius, ùt teſtatur Labbeus l. c. p. 329. verbô: *Sedulius*: num. 13. Lapſus alios Dempſteri in vita BB. Mariani Scoti & Murcherati, Monachorum Ratisbonenſium, notavit Bollandus T. II. Febr. p. 364. n. 16. Numerantur inter Auctores prohibitos Thomæ Dempſteri liber *de Antiquitatibus Romanorum*, donec corrigatur: item *Scotia Illuſtrior, ſive mendicabula repreſſa modeſta Parecbaſi Thomæ Dempſteri.* Vid. *Ind. Rom.* noviſſ. p. 380 & 415.

DITMARUS, Sigfridi Comitis Walbekenſis filius, natus an. 976, Monachus primò Magdeburgenſis, tum Præpoſitus Walbekenſis, denique an. 1008 Epiſcopus Merſeburgenſis, ad Superos abiît an. 1018. 1. Oct. Vid. *Janningus* T. VI. Junii p. 38. n. 4. *Menkenius* in Lexico &c. Ejus eſt Chronicon notiſſimum de geſtis Henrici I, Ottonis I. II. III. & Henrici II ſive Sancti; geminâque illius Editio hucusque prodiît. *Prima* dicitur *Reinecciana*, ſive quam Reinerus Reineccius Lutheranus (de quo in Alberto Stadenſi meminimus:) anno 1580 typis Francofordienſibus dedit. Sed quàm protervum ſui Editorem in Reineccio nactus ſit Ditmarus, dudum eruditi veritatis cultores perſpexerunt atque damnârunt. Sic Browerus in Scholiis ad vitam S. Bernwardi, quam inter Illuſtria Germaniæ Sydera ille ediderat, p. 92. meritò reprehendit Reineccium, quòd *marginales Ditmariani Chronici oras paſſim petulanti aſpergine contaminârit*, & inter cetera Seditionis Romanæ, adverſus Ottonem III motæ, originem (quæ cuidam Gregorio, Dynaſtæ Romano, fuerat adſcribenda) ipſe ad Chronici marginem Gregorio V. Pontifici maledicentiſſimè tribuere non reformidârit: etſi hic DITMARUS.

vete-

veterator aut vecors animal ex ipſomet Ditmaro neſcire minimè potuerit, Gregorium V. jam antè fuiſſe defunctum, quàm poſtrema illa Romanorum ſeditio adverſus Ottonem, paulò pòſt mortuum, naſceretur. *Gewoldus* in Libro de Septemviratu cap. VII. p. 107. n. 9. ita de Ditmaro, & editore Reineccio ait: *Dithmaro laus ſua & authoritas meritò conſtat: utinam autem ille integer & immunis à violentis manibus nobis relictus fuiſſet! Fatetur ipſemet Reineccius* (in Prologo) ARCHETYPI COPIAM SE HABERE NON POTUISSE, ETIAMSI SEDULO IN ID INCUMBERET; ET EXEMPLARI, QUO USUS EST, PRINCIPIUM DEFUISSE (*ſic nimirum malè multatus fuerat iſte Auctor à librariis vel negligentibus vel malevolis*) NON PAUCIS ETIAM LOCIS EXPOSITIONEM HÆRERE ATQUE DEFICERE. *Addo: nonnulla ab aliis fuiſſe ſuppoſita, quale eſt illud* L. IV. p. 44. POSTHÆC GREGORIUS, QUI CÆSARI VALDE CHARUS ERAT, DOLO CAPERE NISUS, OCCULTAS TENDEBAT INSIDIAS; *ubi editor in margine adjecit:* GREGORII PAPÆ IN OTTONEM III. INSIDIÆ, *Gregorii nempe iſtius, qui jam antè* (juxta pag. 43) *fuerat mortuus. Verùm errorem hunc rectè notavit R. P. Gretſerus in Defenſ. 3. Bellarm. col.* 281. *Ditmarum* (*ſi modò verba illa Ditmari, & non ſunt alterius cujuspiam*) *non intelligere Gregorium Papam V. cujus obitum jam antè recenſuerat: neque addere ad nomen* GREGORII, *nomen* PAPÆ (*& qui potuiſſet, cùm Gregorius Papa jam obiiſſet, concitatâ illa in Ottonem Romæ ſeditione anno MI? licèt Reineccius Sectarius ad oram libri ex ſuo erga Pontifices ſtudio hanc notam appinxerit:* GREGORII PAPÆ in OTHONEM III INSIDIÆ. *Fuit ergo ille Gregorius alius ex Ottonis III neceſſariis & familiaribus: quod rectè etiam notat Baronius Tomo XI Anno Redemptionis MI. Ipſe etiam Ciſuerus inſidias iſtas Ottoni ſtructas, de quibus Ditmarus, refert ad tempora Gerberti ſeu Sylveſtri II, Succeſſoris Gregorii V.; ut proinde Gregorius huc trahi nequeat, niſi ab illis, qui livore cæci etiam ſine occaſione occaſionem Pontificibus maledicendi cudunt: ut habeant, in quo petulantem linguam exerceant.* Ita Gretſerus, & ex eo Gewoldus.

Cùm igitur Reineccíana Editio non modò ineptis additiunculis ſive ſcholiis depravata, ſed & aliàs ſatìs mutila eſſet, & hiatibus non rarò redundaret: aliam (quam certè mereri debuerat Ditmarus, *Scriptor probatiſſimus*, ùt à Janningo vocatur T. VI. Junii p. 41. n. 23.) meliorémque adornare conatus eſt Leibnitius, quam *Ditmari Reſtituti* nomine initiatam inter Scriptores Brunſvicenſes T. I. à p. 323. evulgavit, unà cum variis emendationibus, ſeriìs annotatis, & ibidem à p. 1005. ſubjunctis. Quid autem de hac editione Leibnitiana ſit ſtatuendum, aut quid in ea etiammum deſideretur, juvat audire Janningum atque

Solle-

Sollerium. Prior l. c. p. 38. n. 6. "Scripſeram, *inquit* hæc priùs ex
" Ditmaro reſtituto (ſcilicet de primi Archiepiſcopi Magdeburgenſis
" Epocha, ſive A. 970.) inter Scriptores rerum Brunſvicenſium, curâ
" Illuſtriſſimi Viri Godefridi Guilielmi Leibnitii, amici noſtri, in bo-
" num publicum Anno 1707 vulgato Hannoveræ p. 335. Verùm le-
" gens ibi, Athelbertum ſeu Adalbertum *Anno DCCCCLXXXV Kal. Nov.*
" Apoſtolica auctoritate Magdeburgenſem Archiepiſcopum factum eſ-
" ſe, præter alia ibidem mihi dubia: coactus fui, codicem noſtrum
" MS. ſanè præclarum, ex quo Editio illa (uti fatentur Leibnitii Pro-
" legomena) curata & ſuppleta fuit, conſulere; comperíque, non
" ſcriptum ibi, ùt ſuprà, ſed integris vocabulis ſic legi: *Anno nongen-*
" *teſimo ſeptuageſimo, XV. Kalendas Novembris.* Quod revera ita ſcribi
" debuit, atque à Chronographo Saxone ſub Anno eodem DCCCCLXX
" confirmatur: Chronicon quoque Magdeburgenſe apud Meibomium
" p. 273 conſentit de die XV Kal. Novemb. Ita Janningus. Nimi-
rum totus error inde provenerat, quòd Manuſcripti Codicis Antver-
piani tranſcriptor Leibnitianus vel certè librarius aut typographus rò
XV, quô ſolus reſpiciebatur menſis, ipſe per ſolius interjectu commatis neglectum mox cum reliquo Anni numero Romano & notis Chronologicis perperam colligârit: unde pro eo (quod ſcribi debuerat, Anno DCCCCLXX, XV. Kal. Nov.) Annus DCCCCLXXXV, & Kalendæ Novembres per incuriam prodiêre. Pergit verò Janningus l. c. n. 7. " Alia, de quibus dubitabam, nihil attinet hìc recenſere;
" tantùm dico, paginam illam 335. Ditmari Reſtituti eadem occaſio-
" ne me contuliſſe cum noſtro Codice MS. atque inde notâſſe am-
" pliùs viginti Lectiones variantes, inter quas nonnullæ notabiles,
" & pleræque in noſtro MS. correctiores ſunt, in nova autem Editio-
" ne non obſervatæ. Contuli viciſſim eandem paginam cum editione
" Reineccii Anni 1580, ac deprehendi, lectiones prædictas utrobi-
" que eodem modo impreſſas eſſe, niſi quòd paginâ ſæpe indicatâ Rei-
" necciana lectio habeat Annum, de quo modò, & diem menſis, pro-
" ut nos. In eo tamen æſtimabilior eſt Ditmarus reſtitutus, quòd plu-
" res lacunas, quæ apud Reineccium ſunt, & aliquot lectiones va-
" riantes, nec non Ditmari verſus, qui per modum Prologi libro ejus
" primo præmittuntur, è noſtro MS. ſupplevit is, ſeu librarius, ſeu
" alius, cui Codicis deſcriptionem commiſerit Leibnitius (neque
" enim in illuſtriſſimum accuratiſſimúmque Virum cadere talis indili-
" gentia poteſt) quíque fortaſſis in Scripturis antiquis minùs verſa-
" tus, laborem accuratè deſcribendi ſubterfugit, imaginatus ſibi, tex-
" tum MS. ab impreſſo Reineccii non multùm diſcrepare, totámque

" curam suam intenderit, ut lacunas suppleret, & præcipua quædam " observaret. Unde & versum ultimum Prologi, libro VII. præfixi, " quia in Reineccio deest, etiam ipse prætermisit. Est autem apud " nos talis : *Da jubilum Domino, per quem pollere videris.* Hæc notan- " da fuerunt, ut ne ignorent Viri Eruditi, Codicem nostrum MS. " passim adhuc diversum esse, tam à Reformata quàm à Reinecciana " Editionibus, non multùm inter se dissimilibus, præter illa, quæ, " ùt jam dixi, in Reformata Editione è Codice nostro suppleta sunt. " Illud etiam miror utrobique passim legi vocem, *Dominus*, ubi no- " ster habet, *Deus*: itidem repeti identidem *suimet*, ubi noster aptiùs " utitur simplici pronomine *suus*. „ Nihilominus idem Janningus admittit l. c. p. 38. à n. 8. ad 17, & p. 54. à n. 1. ad 5. quòd non modò in Ditmarum restitutum & Reineccianum, sed & in ipsum MS. Codicem Antverpiensem, chronologicum mendum irrepserit. Nam quòd ipse Ditmarus in Chronico suo primigenio sive autographo neutiquam Annum 970 (qualis tam in Ditmaro edito quàm inedito sive MS. legitur) pro primi Archiepiscopi Magdeburgensis inauguratione determinârit neque verum legitimúmque inaugurationis annum, scilicet 968, ipse ignoraverit: partim ex Bullis Pontificiis, & aliis Instrumentis publicis, partim ex ipso Ditmari Chronico & pluribus hujus Chronici testimoniis luculenter evincit, háncque sententiam suam *manifestissimè demonstratam* vocat Janningus l. c. p. 55. n. 5. Unde, ùt continuò infert Janningus, *Apposuerit in textu Ditmariano Annum DCCCCLXX interpolator aliquis, aut certè numerum annorum à Ditmaro expressum binario auxerit, nisi id librarii socordiæ malis imputare.*

Atque hoc Janningi de *Ditmaro Restituto*, & meliùs adhùc *restituendo* judicium etiam confirmavit Sollerius noster T. III. Julii p. 724 n. 61. §. 6. Comment. præv. ad vitam S. Henrici Imp. " Ut autem intelli- " gas, inquit, quàm imperfectus hodiedum maneat Ditmarus, etiam " prout à Leibnitio non ita pridem editus est, & *Ditmari restituti* ap- " pellatione ad splendorem donatus, ex iis patet, quæ noster Jan- " ningus paucis indicavit T. VI. Junii p. 38, quibus haud pauca alia " similia observata annotatáque reliquit; quæ omnia tametsi ab Edi- " tore Leibnitio emendata fuissent: neque sic tamen facilis pateret " aditus, ut ex Ditmaro continuaretur recta S. Henrici Historia, nisi " quis priùs in eo sedulam operam ponat, ad Chronicon istud in ca- " pita sua, paragraphos & numeros dividendum, eámque operosio- " ri diligentiâ lucem affundendam, quò singulorum annorum perio- " di inter se rectè & appositè distinguantur, sicque à multis confu- " sionibus, & hinc inde erroribus opus æstimatissimum studiosè vin-

" di-

" dicetur. Id mihi quidem poſt longum Operis examen ita neceſſa-
" rium viſum eſt, ut niſi innumeris aliis diſtraherer, ab ea provin-
" cia ſuſcipienda minimè abhorrerem. Confido, aliis plus otii fore,
" ut rempublicam literariam tam digno munere exornent, vocaríque
" adeò jure poſſit egregium Chronicon DITMARUS RESTITUTUS
" & ILLUSTRATUS. Ita Sollerius.

DODECHINUS. Vid. *Chron. Mariani Scoti.* DODECHINUS.

DU CHESNE. Vid. lit. C. du CHESNE. DU CHESNE

DU FRESNE. Vid. lit. C. CANGIUS. DUFRESNE

DUPINUS LUDOVICUS ELIAS, Doctor Pariſinus, à ſcriptionum numero, quàm à modeſtia, criterio, aut ſinceritate notior, præter *Hiſtoriam Concilii Tridentini*: *Diſſertationes Hiſtoricas de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina*: *Tractatum Theologico-Philoſophicum de Veritate*: *Tractatum de Doctrina Chriſtiana*: *Methodum Studii Theologici rectè inſtituendi*: edidit etiam, *Bibliothecam Scriptorum Eccleſiaſticorum*, XIX. Tomis in forma quarta conſtantem, cœptam A. 1690, abſolutam A. 1715, ùt Menkenius ait. Intemperantioris Criticæ Scriptorem fuiſſe Dupinum, Sanior Eruditorum conſenſio tenet. Cuperus noſter *T. IV. Aug.* in Actis S. Symphoriani M. p. 495. n. 25. illum *hypercriticum* vocat: *Tomo* verò *I. Aug.* in Hiſt. Chronol p. 69. n. 382. idem Cuperus advertit, quòd circa Joannis IV. ſive Jejunatoris CPolitani chronotaxin eundem cum Caveo & Oudino Apoſtata parachroniſmum *etiam deglutiverit famoſus Dupinus in Gallica Scriptorum Bibliotheca, ubi non rarò ſua ex heterodoxis temerè tranſcripſit.* Uberiùs Dupinum Graveſonius in Hiſt. Eccl. P. III. T. VIII. Colloq. V. p. m. 161. hiſce verbîs deſcripſit: " Joannis Launoii cùm
" eſſet diſcipulus (Dupinus) ejus veſtigia ubique preſſit, & in his,
" quæ edidit, Operibus, præſertim in ſua Bibliotheca Scriptorum
" Eccleſiaſticorum, quæ XIX Tomos complectitur, de Romanis Pon-
" tificibus parùm reverenter loquitur; in Sanctorum Patrum Opera,
" ſtylum & doctrinam, quaſi pro tribunali ſedens, virgam cenſoriam
" exercet: Sanctorum Eccleſiæ Doctorum, Auguſtini & Hieronymi,
" Opera deprimit: Scriptorum Eccleſiaſticorum lucubrationes pro ſuo
" guſtu & arbitrio aut contemnit aut extollit: Viris Regularibus,
" quos vulgò mendicantes appellamus, præcipuè Fratribus Prædica-
" toribus, ſeſe paſſim infenſum prodit, eorúmque Opera parvi facit;
" receptas traditiones & opiniones, quæ fidelium pietatem alere po-

DUPINUS LUDOVIC. ELIAS.

" ſunt, tanquam fabulas, ſuperſtitionem, & putida commenta irridet, " explodit, exſibilat, atque infelicibus conjecturis abolere conatur; " unô verbô : Dupinus Dictaturam, neſcio quam, ſine eruditorum " ſuffragiis, in liberrima Republica literaria ſibi arrogat, & ſi quos à " vel minimùm diſſentientes putat, illico Plautino ſale illos defricat, " & tanquam Critices diſciplinæ penitus ignaros traducit ac vellicat. Ita Graveſonius. Inter alia deliravit Dupinus, cùm poſt Schiſmaticum & Apoſtatam Antonium de Dominis ipſe pariter in Opere de Antiqua Eccleſiæ diſciplina Diſſert. VII. §. IV. p. 572., futiliſſimis ex ratiunculis ſcribere eſt auſus, quòd Canones, qui ſub Oecumenici Concilii Lateranenſis IV nomine circumferuntur, non ipſimet Concilio, ſed ſoli Innocentio III debeantur, adeóque tanta non ſit illorum auctoritas, quanta, ſi ab Oecumenico Concilio fuiſſent profecti. Meruit itaque Dupinus, ut ſingula, quæ ſuprà nominavimus, ejusdem Opera prohibitionis Romanæ notâ afficerentur, & Tractatus quidem de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina etiam per ſpeciale Pontificium Breve interdiceretur. *Vid. noviſſ. Ind. Rom.* p. 19. 305. 421. 447. 509.

E.

ECHARDUS ECHARDUS Jacobus, Ord. Prædic. Scriptor recentior, duobus Voluminibus in folio recenſuit Viros Illuſtres, qui in celeberrima PP. Prædicatorum familia floruere: eáque ſtyli elegantia, & criterii accuratione eſt uſus, ut Graveſonio teſte (P. III. Hiſt. Ecc. T. VIII. Colloq. V. p. m. 190.) *ceteris Virorum Illuſtrium Ordinis Prædicatorum deſcriptoribus palmam præripuerit, ejuſque lucubratio ſummo omnium Virorum Eruditorum applauſu fuerit accepta.* Attamen licèt Echardus tum ab ingenio, tum à judicio & ἀκριβείᾳ mereatur plurimùm dilaudari, ùt eundem paſſim dilaudavit Cuperus noſter T. I. Aug. in vita S. Dominici, & in peculiari Diſſertatione de Guzmannica S. Dominici ſtirpe, A. 1740 in lucem edita : ſubinde tamen hallucinatum idem oſtendit Cuperus T. I. Aug. variis in locis. Sic v. g. T. I. Biblioth. Prædic p. 56. & alibi, corporalem hæreticorum punitionem, (ſiquidem illa ex Virorum Eccleſiaſticorum & multò magis Sanctorum imperio fieret) penitus improbare ac proinde S. Protoparenti ſuo Dominico hujuſmodi ſeveritatis genus ſollicitè abnegare videtur Echardus; aſt copioſè ſolidéque refellitur à Cupero l. c. p. 411. 412. ſeq. Sic T. II. p. 834. ex occaſione S. Catharinæ Senenſis, cujus nobilitas ibi diſquiritur, uno eodémque halitu etiam S. Franciſci Borgiæ nobilitatem, atque ex Gandiæ Ducibus

cibus

cibus proſapiam rotundè negat, & de Sancti hujus progenitoribus ita crudè (phraſis hæc eſt Anonymi Apologetæ) pronunciat Echardus: *non ex antiquis in Arragoniæ regno primævæ nobilitatis de Borja nuncupatis, ſed ex Dominico quodam Borgia, vili utique homine, tenuéque prædium apud Setabim Arragoniæ habente, qui Borgianum uſurpavit nomen, oriundus erat.* Tum verò quaſi jam omnibus hanc opinionem ſuam perſuaſiſſet, ſic confidenter concludit: *Adeò verum eſt in hiſce Sanctorum Apotheſeos vel lectionum & officiorum approbationis negotiis, ubi nihil apertè reclamat fama, nec communis populorum abhorret ſenſus, nec ad Viri plurimùm refert Sanctitatem atque commendationem, non niſi leviter iſta tractari, fumosásque vel avorum imagines, vel obſitas parùm iis attendi membranas.* Aſt palmarem hanc Echardi fabulam paucis jam confutavit Anonymus in Apologia, A. 1734. pro Hagiographis Antverpienſibus Coloniæ edita, p. 12 & 13. prolixiùs verò examinabunt & profligabunt ipſimet Hagiographi, cùm ad X Octobris paulò pòſt labor ipſorum pervenerit: ùt facturos præmonuit Cuperus T. I. Aug. p. 386. n. 148. Certè non ſoli biographi & Scriptores contemporanei, ſed & ipſe, qui hodiedum in Hiſpaniis ſupereſt, ſtirpis Borgianæ ſurculus & Gandiæ Dux, hoc neotericum Echardi commentum vel ſolus abunde proſternere poterit, & pro ſuo progenitore Franciſco Borgia, Duce Gandiæ, ſtabit.

Ab Eckhart Georgius

ab Eckhart Georgius, Illuſtris quondam Leibnitii per XX annos in ſtudiis hiſtoricis adjutor, dein in conſcribenda Sereniſſimæ Domûs Brunſvico-Luneburgicæ Hiſtoria, & Hannoveranæ Bibliothecæ Præfectura ejusdem commilito, tandémque Succeſſor, ex ipſa denique Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lectione aſſidua ad ſacra Orthodoxa ſe tranſtulit Coloniæ A 1722, & intimi poſtmodum apud Wirceburgenſes Conſiliarii, Hiſtoriographi, & Academicæ Bibliothecæ Præfecti munere defunctus, Anno 1730 IX Februarii die Herbipoli diem ultimum religioſiſſimè clauſit, poſtquam eximia ingenii, induſtriæ, perſpicaciæque ſuæ monumenta eruditiori præcipuè Germaniæ reliquiſſet. Vid. *Epitaphium*, quod ejusdem Commentario de rebus Franc. Orient. T. I. præfigitur. *Eruditiſſimi* certè nomenclaturâ digniſſimâ condecoratur Eckhartus ab Hagiographis noſtris T. *III. Auguſti* in vita S. Radegundis Reginæ ad diem XIII. p. 50 n. 16. *T II. Sept.* in vita S. Idæ p 257. n. 10. Operum verò ab Eckharto partim editorum, partim collectorum & illuſtratorum catalogum exhibet Buderus tam in Biblioth. Scriptorum, apud Struvium in Corp. Hiſt Germ. quàm in Indice, qui prædictæ Bibliothecæ loc. cit. mox ſubjungitur. Præ ceteris tamen Eckhartî lucubrationibus eam præcipuè extollit Gundlingius in Hiſt. Imp. p.

§. 12. quam de Originibus Habſpurgicis inſcripſit, Nobilium Ordini propter à Cæſare adſcriptus. Sed nec minore præconio digni ſunt ejusdem Commentarii, quos jam Orthodoxus de Rebus Franciæ Orientalis concinnavit, atque in duos juſtæ magnitudinis Tomos diviſit, daturus plures, ſummóque totius Reipublicæ Criticæ bono opus proſecuturus, niſi morte fuiſſet præventus.

Nihilominus in hoc ipſo opere, quantumvis eximio, varia tamen occurrent, quæ corrigi adhuc petant ac emendari, ſeu quòd ipſimet Auctori (id quod humanum eſt) memoria ſubin aberrârit, ſeu quòd Auctor operi ſuo immortuus illud ad limam revocare ipſus haud ampliùs potuerit, ſeu denique quòd editorum incuriâ error hinc inde irrepſerit. Sic v. g. T. I. pag. 595. n. 100. & pag. 600. n. 104. inter ſe pugnantia leguntur; nam juxta num. 100., rite ſcribitur, Pippinum *VIII. Kal.* Octobris defunctum, & juxta num. 104. ſimiliter ex vero aſſeritur, *proximo* poſt Pippini obitum die ejusdem filios in Reges fuiſſe inunctos; & tamen locò *VII. Kal.* Octobris (prout oportuerat ſcribi) pro inaugurali filiorum die legitur *VII. Idus* Octobris, etſi ab VIII. Kal. Octobris, quô Pippinus obîit, uſque ad *VII. Idus* Octobres quindecim omnino dies intercedant. Dein T. II. p. 424. n. 101. & pag. 603. non rite convenit annus, quô Angilbergæ nupſerit Ludovicus II. Imperator. *Tertiò*: Simpertum *Auguſtanum* T. II. p. 473 n. 60. malè confundit cum S. Symperto *Ratisbonenſi*, quem Tomo I. p. 744. n. 47. anno 791 fuiſſe defunctum rite ſcripſerat Eckhartus; neque enim legitimè conſtat, quòd idem Simpertus aut ab Eccleſia Ratisbonenſi ad Auguſtanam, aut vice verſa fuerit translatus, aut ſimul utramque Diœceſin ampliſſimam gubernârit. Imò ex ipſomet Eckharto T. II. p. 139, *Sigismundo* Monacho in Chronico Auguſtano, *Calmeto* abbate in *Diario Helvetico* (quod Einſidlenſibus typîs Anno primùm 1756 prodîit) p. 5. & 6. plus non conſtat, quàm quòd Simpertus Auguſtanus ſimul fuerit Abbas Murbacenſis in Alſatia. *Quartò*: pag. 224. n. 259. Tomo II. allegatur ex Reginone annus 886, etſi manifeſtiſſimum ſit, quòd in Reginonis editionem per librarii, vel tranſcriptoris imperitiam inſperſum ſit mendum, & locò anni 886 reſtituendus ſit Annus 876: id quod ex ſubſequente Reginonis pagina atque contextu quantocius patet, quandoquidem de Anno 877. ſermo continuatur. *Quintò*. pag. 553. n. 157 T. II. ait Eckhartus, Anaſtaſium à Pontifice, Supponem verò & alium ab Imperatore Ludovico II. pro nuptiali ſuæ filiæ fœdere ad Baſilium Cæſarem fuiſſe legatos: & tamen ipſe Anaſtaſius in Præfatione ad Synodum VIII ſe pariter ab Imperatore ad Baſilium miſſum apertè teſtatur.

Alii

Alii fortè Eckharto illud vitio vertent, 1ò. quòd alicubi non ſolùm in Eginhardum, maximæ omnino apud Veteres auctoritatis & celebrati nominis Virum, ſed & in recentiores Scriptores Fuldenſes aliquoties calamum vehementiùs ſtringat. 2. Quòd obſcuriora antiquitatis vocabula & Virorum fœminarúmque nomenclationes implexas ſua ex conjectura liberaliùs forſan frequentiúsque, quàm ſolidiùs interpretetur. 3iò. Quòd Pippini dignitatem regiam Pontificia auctoritate fuiſſe collatam firmatámque, prolixè ſimul ac perperam inficietur. 4ò. Quòd Supremum Cæſarum Carolingicorum Dominium in Urbem ac Ditionem Romanam, tanquam rem liquidiſſimam ſpecioſiùs paſſim atque præfidentiùs ſupponat, quàm probet. Sed de his ſuus alibi ſermo redibit.

ECKEHARDUS, vel ECKARDUS URAGIENSIS, cujus ſuprà in Annalibus Hildeshemienſibus & Annaliſta Saxone jam meminimus, fuit primùm Canonicus & Scholaſticus Eccleſiæ Wormatienſis: deinde poſtquam Terram Sanctam viſitâſſet, Monachus Hirſaugienſis; ac demum Abbas primus in Uraugia Monaſterio, à S. Ottone Ep. Bambergenſi ad ſex circiter milliaria ab Herbipoli verſus ſeptentrionem fundato, Anno MCXX, uti ſcribit Trithemius ad iſtum Annum: atque addit, *ſcripſiſſe Eckehardum non contemnendæ auctoritatis opuſcula, quibus & tunc præſentibus ſe utilem reddidit, & memorabilem poſteris commendavit.* Tum recenſens ſcripta ejus, primo loco indicat *Chronicon ab origine mundi uſque ad annum Dominicæ incarnationis MCXXIV incluſivè, volumen inſigne, in quo geſta Regum & Imperatorum in Germania & extra, ordine ſatis commodo digeſta.* Vid. *Trithemius* in Chronico Hirſaugienſi ad Annum MLI & ad A. MCXX: *Janningus* T. VI. Junii p. 88. n. 5. unde iſta excerpſimus. Chronicon iſtud, ſive Annales Saxonicos optatiſſimæ lucis beneficiô donavit Georgius ab Eckhart (Vid. ſuprà lit. A. *Annaliſta Saxo*) horum tamen initium ille non niſi ab exordio Regni Francici petiît, etſi re ipſa juxta Trithemium ab origine mundi narrationem ſuam Eckehardus ſit auſpicatus. Quoniam verò juxta eundem Trithemium Eckehardi Chronicon non ultra Annum 1124 extenditur, & nihilominus, prout ab Eckharto eſt recentiùs editum, uſque ad Annum 1139 illud perducitur: inde meritò conijcias licet, quòd vel Trithemius integrum Eckehardi exemplar non viderit, vel reliquos quatuordecim annos, qui in Eckharti editione ſequuntur, alius deinceps Continuator Anonymus atque coævus adjecerit. ECKEHARDUS vel ECKARDUS

EGIN-

EGINHARDUS

EGINHARDUS, Caroli Magni primùm Notarius, poſtmodum Gandenſis, Fontanellenſis, ac denique Seligenſtadienſis Abbas ad Mœnum, Vir ævi ſui famigeratiſſimus, edidit 1ò. Vitam Caroli M. 2. hiſtoriam Translationis SS. Marcellini & Petri: de quibus vide Acta SS. T. II. Januarii ad diem XXVIII. in vita Caroli M. & T. I. Junii de SS. Marcellino & Petro. Num verò Annalium pariter Laurishemienſium Eginhardus ſit Auctor, Vid. *Diatriba Præliminaris* de Annalibus Francicis; Plura de illo peculiaris alia Diſſertatio, octava ſcilicet, dabit. Obiit juxta Eckhartum T. II. p. 319. 320. Annô 839: juxta alios ſeriùs. Vid. *Labb. T. I. Script. Eccl.* p. 273. verbô: *Eginhartus.* Neque ulla facilè Scriptoris cujuſpiam lucubratio prælum toties ſubiit, quoties hæc Caroli Vita; Excuſa enim eſt 1ò. Coloniæ Agrippinæ A. 1521 per Hermannum Comitem de Nuenar. 2dò. Baſileæ A. 1532. in Collectione Scriptorum Hervagiana. 3iò. Francofordiæ A. 1584. in Collectione Reuberiana. 4ò. In hac ipſa Collectione repetita Hanoviæ A. 1619. 5tò. Hanoviæ A. 1613. per Marquardum Freherum in Corpore Hiſtoriæ Franciæ Sinceræ & Veteris à pag. 433. 6tò. Lipſiæ A. 1616. typis Groſſianis. 7ò. Argentorati A. 1644 per Joachimum Frantzium. 8vò. In Actis SS. T. II. Januarii ad diem XXVIII. 9ò. T. II. Script. Franc. apud Du-Cheſnium. 10mò. Helmſtadii A. 1667 per Fridericum Beſſelium. 11mò. Francofordiæ A. 1707. in Collectione Leuckfeldiana. 12mò. Trajecti ad Rhenum A. 1711. per Hermannum Schminkium &c. Quanta verò huic Caroli Vitæ, ejusdémque Auctori Eginhardo fides jure poſſit impendi, ipſa hujus Præfatio docet, quâ dicit: *ab hujusmodi deſcriptione non exiſtimavi temperandum, quando mihi conſcius eram,* NULLUM EA VERACIUS, QUAM ME SCRIBERE POSSE, QUIBUS IPSE INTERFUI, QUÆQUE PRÆSENS OCULATA, UT DICITUR, FIDE COGNOVI, *& utrum ab alio ſcriberentur, nec ne, liquidò ſcire non potui. . . . Suberat & alia non irrationabilis cauſa, quæ vel ſola ſufficere poſſet, ut me ad hæc ſcribenda compelleret: nutrimentum videlicet in me impenſum,* & PERPETUA, POSTQUAM IN AULA EJUS CONVERSARI COEPI, CUM IPSO ET LIBERIS EJUS AMICITIA: *quâ me ita ſibi devinxit, debitorémque tam vivo quàm mortuo conſtituit, ut meritò ingratus videri & judicari poſſem, ſi tot beneficiorum in me collatorum immemor, clariſſima & illuſtriſſima hominis optimè de me meriti geſta ſilentiô præterirem: patererque vitam ejus, quaſi qui nunquam vixerit, ſine literis ac debita laude manere.*

EGOLISMENSIS

EGOLISMENSIS Monachus, vitam ſcripſit Caroli M. quam tamen, ut Pithœus p. m. 230. advertit, ex iiſdem Annalibus plebeiis magnam partem eſt fœneratus, quos Regino poſtmodum in Chronico ſuo pariter

ſe

ſe fuiſſe ſecutum, ad A. 814. teſtatur. Egoliſmenſem verò Monachum fuiſſe hunc Scriptorem Anonymum indè non immeritò conijcit Pithœus, quòd ſub Carolinæ Vitæ initium biographus iſte de S. Eparchio Egoliſmenſis Cœnobii Patrono aliquantò uberiùs proloquatur. Vid. *Scriptores XII. coætanei* apud Pithœum p. m. 235. Auctorem præterea eſſe fide digniſſimum ætas illius antiquiſſima probat; nam à Caroli ævo parùm admodum fuiſſe remotum, ipſa narrandi ratio probat, quâ partim ab initio, partim ad ſcriptionis calcem is utitur, & Cæſareæ demum ſepulturæ ritum multò diſtinctiùs, quàm omnes alii Scriptores recenſet; id quod non niſi ex recentiſſima, ſive ſua, ſive aliorum Carolo contemporaneorum memoria relationéve didiciſſe videtur. Extat hoc Egoliſmenſis Opuſculum 1ò. apud Pithœum loc. cit. à p. m. 230. 2dò. apud Du-Cheſnium T. II. Script. Franc. à p. 68. 3. In Boëclerii, Kulpiſii, & Schilteri Collectione Scriptorum Germ. à p. m. 45.

EKKEHARDUS Monachus San-Gallenſis, & inter quinque, qui ſub hoc nomine in Monaſterio S. Galli apud Helvetos floruêre, quartus ſeu junior dictus, præter alia, quorum Goldaſtus meminit, Hiſtoriam edidit *de Caſibus Monaſterii S. Galli*, ſeu potiùs eam Hiſtoriam, quam Ratpertus Monachus ad ſuam uſque ætatem contexuit, poſtmodum à Salomone Abbate uſque ad Immonis Abbatis tempora, ſive uſque ad A. 972. continuavit hic Ekkehardus. Altius denique eam proſecutus eſt alius Cœnobita, quem Goldaſtus *Burchardi* nomine indigitavit. Excuſa eſt hæc Ratperti, Ekkehardi, & Burchardi Hiſtoria apud Goldaſtum T. I. Rerum Alemannicarum. Scripſit verò & obiit Ekkehardus ſub Norperto Abbate (Vide Præfationem tum Ekkehardi tum Burchardi: & Goldaſtum l. c. T. I. p. 4. lin. 2. & 3. & T. II. p. 196 ex Guillimanni originibus Habſpurg. l. 2. c. 3. item *Acta SS.* T. I. April. p. 577. n. 6. in vita B. Notkeri Balbuli) Norperto autem ſucceſſit Udalricus A. 1071. ſub Henrico IV. Imperatore. EKKEHARDUS.

Porro de quinque Ekkehardis (quorum quintus ſive minimus, Decanus San-Gallenſis vitam B. Notkeri Balbuli compilavit) eorúmque ſcriptis prolixiùs agit *Goldaſtus* l. c. T. I. Parte I. p. 2. 3. & 4. item *Acta SS.* l. c. n. 6. ubi Papebrochius ſimul obſervat, quòd hæc Notkeri vita, qualis apud Goldaſtum eſt edita, ab imperito graphione variè fuerit interpolata, ideóque ab eodem Papebrochio emendatiùs reſtituta. Fallitur autem Menkenius in Lexico Eruditorum, dum Ekkehardum Chronographum aut Hiſtoricum (de quo hìc nobis ſermo) aut cum Ekkehardo Seniore, aut cum hujus nepote confundit, & A. 990. jam demortuum ſcribit; nam qui illius Monaſterii Hiſtoriam aut

Chronicon ſcripſerat Ekkehardus, integro prope ſeculo ſeriùs vixit, & poſt medium Seculi XI è vivis exceſſit, ut ea commoſtrant, quæ antea de Norperti Abbatis ætate paucîs attigimus. Advertit denique Suyskenus noſter T. II. Sept. p. 720. n. 103. §. IX Comment. præv. ad vitam S. Magni, quòd Ekkehardus in ſuæ narratione vix ullam rationem temporum ſervet.

ERCHAMBERTUS. ERCHAMBERTUS. Scripſit *Breviarium Regum Francorum & Majorum Domûs.* Extat fragmentum illius 1. apud Freherum in Corp. Hiſt. Franc. Sinc. & Vet. p. 167. 2. Apud Du-Cheſnium T. I. Script Franc. p. 780. 3. In Appendice Operum S. Gregorii Turen. ex recentiori editione Theodorici Ruinarti, Benedictini. p. 1352. Gravis & fide digna eſt Erchamberti auctoritas, quem ante medium ſeculi VIII vivente adhuc Carolo Martello ſcripſiſſe cenſet Pagius T. III. Crit. ad a. 688. n. 3. & ad a. 752. n. 2.

ERCHEMPERTUS, HEREMBERTUS, & EREMPERTUS. ERCHEMPERTUS, HEREMBERTUS, & EREMPERTUS, Monachus Benedictinus, ſeculo IX exaravit Hiſtoriam Longobardorum Beneventi. Habetur illa 1. apud Camillum Peregrinum in Hiſt. Princip. Longobard. à p. 237. 2. Inter Muratorii Scriptores Italicos. 3. Apud Eckhartum in Corpore Hiſtorico medii ævi T. I. à p. 49. Vid. *Eckhartus* in Comment. de Rebus Franc. Orient. T. I. p. 723. 724. n. 19. T. II. p. 271. & 364: item p. 11. ac præcipuè p. 15. n. 21. ex quo loco ſimul ætas Erchemperti cognoſcitur. *Pagius* T. III. Crit. ad A. 833. n. 11. & ad A. 827. n. V. & VI. ubi Erchempertum Hiſtoriam ſuam ante annum 893 ſcripſiſſe teſtatur.

ERMOLDUS NIGELLUS. ERMOLDUS NIGELLUS, Monachus & Abbas veroſimiliùs Anianenſis in Aquitaniâ, aliquamdiu Argentorati exul, & Ludovico Pio non ſolùm ſynchronus, ſed & in ejus aula notiſſimus (cujus etiam meminit Anonymus in vita Ludovici Pii ad A. 834 p. m. 407 edit. Pithœ.) Carmen elegiacum texuit, in quatuor libros diſtinctum eidémque Imperatori dicatum, quibus illius geſta ab A. 781. ad A. 826 ſingillatim dilucidéque recenſet. Poëma iſtud (quo & ſeculi illius mores, & Ludovici præcipuè geſta, aliàs implexa confuſáque, plurimùm illuſtrantur) poſtquam inter tenebras diu ſine gloria ſqualluit, ex Bibliotheca Laziana in Cæſaream Bibliothecam Viennenſem translatum, & tam à Lambecio quàm à Neſſelio & Gentilottô utilitati publicæ ſæpiùs promiſſum procraſtinatúmque, prima denique luce beavit Muratorius T. II. Script. Ital. P. II. ſimúlque præfatione, quâ de Operis præſtantia diſſerit,

differit, illud exornavit. Unde poſtmodum Germanorum bono eandem Poëmatis editionem repetiit Burckardus Menkenius T. I. Script. Rer. Germ. & Saxon. Num. XIII. Etſi verò juxta Buderum in Biblioth. Script. Germ. §. 66. p. m. 124. primus fortè Poëma iſtud detexerit Freherus, ipſius tamen Nigelli exactiorem notitiam nemo ante Lambecium dedit in Bibliotheca Cæſarea p. 395. ùt notat Eckhartus T. II. Comment. de Franc. Orient. p. 207. n. 232. & p. 323. 324. n. 96. 97. Plura de Nigello occurrunt apud eundem Eckhartum loc. cit. p. 159. n. 156. p. 186. n. 102. p. 284. n. 37. ad A. 835. ac præcipuè p. 190. n. 11. & à p. 200 ad 207. ubi de ætate, exilio, dignitate, item nomine *Nigelli* fit mentio.

Erravit itaque Voſſius, cùm l. 3. c. 4. de hiſtoricis Latinis hunc Ermoldum cum alio Ermenoldo aut Ermanrico, S. Rabbani diſcipulo & Abbate poſtmodum Elwangenſi, ac Sancti Solæ Abbatis Solenhofienſis biographo, in unum eundémque Scriptorem confudit. Fuit enim Ermoldus Nigellus Aquitanus, & in Aquitania ſeu Gallia Abbas; ùt rite oſtendit Eckhartus l. c. p. 206. Aſt Ermenoldus aut Ermanricus Elwangenſis (nam utroque hic nomine compellatur) Scriptor haud dubiè fuit Germanus, & Sancti Solæ propè conterreanus; nec enim ab Elvaco multum cella Solæ ſive Solenhofium diſtat: unde & multò faciliùs Sancti hujus in Germania Abbatis vitam deſcribere potuit Ermenoldus Elvacenſis, quàm Ermoldus Gallus, qui in remotiore Aquitania longè extra fines Germaniæ vixit. Dein ùt videre eſt tam apud Goldaſtum T. I. Rerum Alemannicarum p. 231 & 316 cap. 16. quàm apud Mabillonium Sec. II. Annal. Benedict. & apud Suyskenum noſtrum T. II. Sept. p. 701. n. 3. & p. 717. n. 84. in vita S. Magni, Ermentricus Ellwangenſis primùm floruit ſub Ludovico Germanico, Ludovici Pii filio, ad Abbatiam Ellwangenſem ſive Elvacenſem admotus an. 845; Nigellus autem claruit ſub Ludovico Pio, ùt ex proprio ipſius Poëmate liquet: neque conſtat, quòd eousque porrexerit vitam, dum Ermenoldus Elvacenſis ſub Ludovici pii filio Abbatiæ Elvacenſi præficeretur. Denique Nigellum jam anno 826 Abbatem fuiſſe Anianenſem, compertum ſanè fecit Eckhartus l. c. p. 206; cùm igitur ex nullo Veteri probatóque auctore veroſimile poſſit reddi, quòd Nigellus poſt integrum novendecim annorum intervallum (tot enim ab an. 826 usque ad an. 845 intercedunt) aut priſtinam Abbatiam Anianenſem ſolumque patrium præ Alemanniæ Abbatia dimiſerit, aut omnino geminas Abbatias, inter ſe remotiſſimas, jam ætate gravis ſimul ac ſemel adminiſtrârit: inde profectò conſequitur, quòd Ermoldus *Nigellus* non minùs ab Ermenoldo *Elwangenſi*, quam ab alio Ermoldo

multò validiùs larvatum hunc Eutropium concussit & exagitavit *Gretserus*. Nam T. VII. novæ Editionis in Examine mysterii Plessæani p. 279. ita inquit: " Auctorem vel potiùs fabulatorem, quem Plessæus " ex Vignerio citat, & *Eutropii Continuatorem* indigitat, tanti pendi- " mus, quanti reliquos ferme ejusdem classis, quos Illyricus in Ca- " talogo suo protulit; nam & hunc protulit p. 89. Edit. Argentin. " A. MDLXII. Nec Illyricus vocat Continuatorem Eutropii; sed his " verbis utitur: *habeo exemplar manuscriptum satis vetustum Eutropii & ad- " junctorum Scriptorum in XXVI libros distributum. In cujus* (exemplaris " seu Codicis) *fine est quædam vetusta Historiola, à quodam, ut verum fa- " teor, non satis literato descripta.* Quam mox integram recitat, prout " in Codice illo (si non fallit Illyricus) invenerat. Vides ergo, ip- " sius Illyrici judicio, istum esse ineptum; nec dubito, natum hoc " scriptum, temporibus Schismatum inter Imperatores & Pontifices. " Tali enim rerum statu arbitrabatur iste non admodum literatus, ut " appellatur ab Illyrico, se sapientiam suam venditare posse. Et ta- " men Plessæus derepente nobis istum breviculæ narratiunculæ, in- " scitiæ notis insigniter aspersæ, Scriptorculum in Eutropii Continua- " torem transmittat. Impudentiùs adhuc Calvinista Goldastus in sua " Morarchia, qui *Eutropium Longobardum Presbyterum* appellitat; cùm " de hujus Centonis sutore nihil penitus compertum habeat, nisi ex " Catalogo Illyrici, qui disertè Anonymum esse ait. Sed habet Mo- " rarcha duo pro se argumenta. Alterum: hoc nomine citari à Va- " diano, Bullingero, Lavatero. Veneranda Zwinglianorum Trias! " at ubi hæc citatio? In quibus libris? Cur Calvinista loca non anno- " tavit? Alterum argumentum: Centonem hunc cum Eutropio scrip- " tum, & in eodem Codice cum Eutropio colligatum fuisse, teste " Illyrico; vocari ergo Eutropium: perinde ac si Calvinista Æsopum " sine nomine cum Virgilio in eodem Codice reperiens, diceret, Æ- " sopum vocari Virgilium; cur enim in eodem Volumine cum Virgi- " lio scriberetur & colligaretur, si non Virgilius nominaretur? Ita Gretserus.

Similem in modum is ipse respondet Goldasto in Apologia Baron. C. 1. *Eutropium tuum Longobardum*, inquit „*tanti facimus, quanti Illyri- cum, ex quo hunc tuum Eutropium protulisti: quem ante Othonem I. Imperato- rem vixisse quo argumento ostendes? nec Illyricus Eutropio adscribit; sed ait, esse appendicem ad Volumen Eutropii & adjunctorum Scriptorum in XXVI li- bros distributum. Et addit, scriptam à quodam non admodum literato: quod res ipsa docet, Illyrico non tantùm tacente, sed & propè dixeram, dormiente.* Eadem ferme repetit Gretserus l. 2. contra Replicatorem c. 16. & ad-

dit:

dit: "In illo ſuo rerum, Sancto Petro donatarum, Catalogo totus "ineptus eſt (Pſeudo-Eutropius) tum quia Monaſteriorum bona, "quæ à Carolo Calvo Romanis donata ſcribit, vocat *fiſcalia patrimo-* "*nia*. Quis unquam audivit eo Seculo *bona monaſteriorum* fuiſſe vel "appellata eſſe *bona fiſci*? cùm fuerint *bona Chriſti*: tum quia quæcun- "que Romanis à CAROLO CALVO conceſſa ait: ea jam pridem à "PIPPINO, CAROLO M. LUDOVICO PIO conceſſa fuerant, ùt "ex eorum Diplomatis lectori manifeſtum fiet. Nec primus liberam "Pontificis Electionem Romanis reliquit. Factum id ſimiliter à præ- "dictis Imperatoribus & Regibus. Quare nihil erat cauſæ, cur vel "Anonymus Eutropianæ Appendicis Auctor vel ipſe Calviniſta (Gol- "daſtus) donationem Caroli Calvi tanquam nimis effuſam & omnes "moderationis leges ſupergreſſam usque adeò deteſtarentur: cùm "ſeu vera ſeu falſa ſit (licèt ſi falſam arbitreris, à vero forſitan non "ſis longè aberraturus) longè minor ſit iis, quibus Majores Caroli "Calvi Sanctum Petrum honorârunt.

Mihi ad ſubruendam fictitii hujus Eutropii aut rudiſſimi tenebrionis auctoritatem id unum ſufficit, quod de Seculi IX Geſtis ac præcipuè de Caroli Calvi negotiis publicis atque Romanis ea hic Scriptor referre aut potiùs comminiſci ſit auſus, quæ ex tot aliis Scriptoribus, certè contemporaneis atque cordatis, nemo alius in literas miſit: imò quorum pleraque falſiſſima eſſe, ipſa illorum temporum praxis & conſuetudo contraria monſtrat: prout jam Pagius l. c. animadvertit. Naris igitur parùm emunctæ ſit oportet, qui non illico recentiorem ſutoris hujus ætatem, & vel Schiſmaticæ vel Acatholicæ loliginis ſuccum ſubodoretur.

F.

FLEURY Claudius, præſentis Seculi Scriptor, & in Gallia Presbyter Abbas, compluribus Tomulis & Sermone Gallico edidit *famoſam* (ùt eam Cuperus noſter T. IV. Aug. p. 641. n. 11. in vita S. Flavii Epiſcopi appellat) *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*; quæ tamen tanti pretii apud ſinceriores Criticos non eſt, quanti apud alios paſſim habetur. Certè Cuperus, poſtquam l. c. n. 11. 13. 14. plures Fleurii errores, quantumvis reipſa leves, ex ſeptimo ejusdem Tomulo perſtrinxerat, tandem ſubjungit, quòd *etiam minutias illas cum Longuevallio noſtro obſervare voluerit, ut cauti Lectores in rebus majoris momenti non ſtatim ſine prævio examine fidem adhibeant huic hiſtorico Gallo, qui ſæpe Pontifices Romanos au-* FLEURY

dacter

dacter carpit, quædam narrationis adjuncta temerè mutat, vel astutè prætermittit. Nihilominus Tomus hic VII longè adhuc emendatior, majorísque fidei est, quàm primi sex, prout jam obsérvârunt PP. nostri Trivoltienses Tomo I. Memoires pour l' Histoire &c. nam p. 8. ita de Fleurio ajunt: *l' Auteur a eu dans ce septiéme Volume des avantages pour remplir son dessein, qu' il n' a pas trouvés dans les precedens; des faits plus constans, ou moins douteux, des Auteurs en plus grand nombre, & qu' on ne peut subçonner d' être supposez ou falsifiez comme l' ont été quelques-uns dans les premiers Siécles.* Gravius tamen in Fleurium peccavit Anonymus heterodoxus, qui pauculis abhinc annis seu imperita seu maligna in Germanicam linguam versione Fleurianum Opus contaminare jam cœperat, & porro etiam contaminâsset, nisi quantocyus Goldhagenius noster versoris heterodoxi sive inscitiam, sive malam fidem, sive utramque, scripto etiam publicô denudâsset ac cohibuisset. Melius de Fleurio meretur atque merebitur industrius ac eruditus Pater Benedictinus in Bavaria ex Monasterio Ettalensi P. Bruno Parodus, qui jam aliquot Fleurii Tomulos in idioma latinum non fideliùs modò, sed & castigatiùs transtulit, laborémque utilissimum in Eruditionis & veritatis gratiam deinceps prosequetur. Prodiêre Tomuli IX Augustæ Vindel. A. 1759. & 60.

Edidit præterea Fleurius *Institutiones Ecclesiasticas*, de quibus alibi, verbô: *Böhmerus.* Neque in hoc ipso Institutionum Opere quæpiam desunt, quæ si ad exactiorem trutinam exegeris, Fleurium partim justô liberiùs scripsisse, partim à vero aberrâsse, facilè deprehendes. Vid. novisſ. *Ind. Rom.* p. 71. 205. 206.

FLODOARDUS

FLODOARDUS, quem ab aliis minùs rectè *Frodoardum*, *Floardum*, *Froardum* aut *Flavualdum* appellari Labbeus affirmat, primò Remensis Ecclesiæ Canonicus, & Parochus Culmisiacensis, postmodum (ùt Colvenerius testatur) Monachus Remensis, obiit in ætate provecta an 968. 28. Martii. Probatissimi & apud Eruditos æstimatissimi hujus Scriptoris est imò Chronicon, quod ab an 917 reipsa inchoatum, ad annum usque 966 progreditur: extátque tum inter XII Scriptores coætaneos apud Pithœum à p. m. 109. tum apud Du-Chesnium T. II. Script. Franc. num. 109. 2dò Historiæ Ecclesiæ Remensis libri quatuor, ab Exordio hujus Sedis ad annum 948: cujus prima editio est Parisina de an. 1611, curante Sirmondo nostro: altera Duacensis de an. 1617, quam amplissimis notis instruxit Georgius Colvenerius, Theol. Doctor & Duacensis Academiæ Cancellarius: addita simul de ipsomet Flodoardo largiore notitia, tam in ipsa Præfatione, quàm in Veterum Auctorum testimoniis, quæ Præfationi subjunxit. Sunt & alia,

alia, quæ ſermone ligato Flodoardus conſcripſit, & tum Colvenerius in Præfat. cit. tum Labbeus T. I. Script. Eccl. p. 321 enumerant. Pleraque tamen illorum adhuc inedita latent, & beneficium lucis expectant: niſi quòd Mabillonius in Actis SS. Ord. S. Benedict. Sec. III P. II. à p. 569 Flodoardi Carmen de Pontificibus Romanis inſeruerit: unde illud poſtmodum allegârunt Scriptores varii v. g. *Pagius* T. III. Crit. ad an. 897. n. 3. & ad an. 900. n. VII. *Eckhartus* T. II. Comment. pag. 372. 373. n. XI. XII.

FREDEGARIUS. Vide *Chronicon.* FREDEGARIUS.

FREHERUS MARQUARDUS, Conſiliarius Palatinus, & JCtus Heidelbergenſis &c. poſt varia partim ſcripta, partim collecta compilatáque, non ſine multa eruditionis, ingenii, ac diligentiæ laude deceſſit Heidelbergæ an. 1614. 13. Maji. Præter complura alia edidit I. Scriptores Rerum Germanicarum, quorum Tomus primus an. 1600. alter an. 1602. Tertius an. 1611. Francofordiæ fuêre excuſi. Recuſi verò ibidem ſunt, atque in duos Tomos redacti, ita, ut primus an. 1624, ſecundus an. 1637 lucem aſpexerit. Denique noſtro ævo ſeu an. 1717 eosdem Argentorati tertio prelo ſubjecit, atque in tres denuo Tomos totum Opus diſtinxit, ſimúlque aliorum Recentiorum lucubrationibus auxit Burkardus Struvius. Edidit 2. Scriptores Rerum Bohemicarum, Hanoviæ an. 1602. 3. Corpus Hiſtoriæ Francicæ ſinceræ & veteris Hanoviæ an. 1613. 4. Tractatum de Originibus Palatinis: cujus editio prima, absque nomine loci, an. 1599: altera Heidelbergæ an. 1612 typis Gotthardi Vögelini. 5. Directorium Scriptorum Rerum Germ. quod Tomo I. Script. Rer. Germ. Freherus præmiſit, dein auctius recudit David Köhlerus JCtus, Norimbergæ & Altorffii an. 1720. 6. φιλοπόνημα de ſtatura Caroli M. aliquoties editum, tum Norimbergæ, tum Heidelbergæ. 7. De formula Fœderis antiqui inter Galliæ & Germaniæ Reges Sec. IX: ſive de linguæ veteris Francicæ & tam Gallicæ quàm Germanicæ ſpecimine, ad Bongarſium inſcripto & notis illuſtratô, an. 1611 absque nomine loci. 8. Notas in Tractatum Petri de Andlo, de Imperio Romano, an. 1603. 9. Commentarium geminum de Donatione Conſtantini M. & Conſtitutione Ottonis III. quorum unum Jacobo Angliæ Regi an. 1610, alterum Leonardo Venetorum Duci an. 1607, absque tamen Auctoris nomine & loco, nuncupaverat: niſi quòd ex typographi Vögelini nomine, tam locus, ſive Heidelberga, quàm Auctor, ſive Freherus, rite colligi poſſit; prout etiam collegit atque teſtatus eſt Conringius T. I. FREHERUS.

Operum p. 540 & 548. 10. Jus Græco-Romanum, quod primùm à Leunclavio publicatum Baſileæ an. 1575, iteratò vulgavit Freherus Francofordiæ an. 1596, ſimúlque Chronologiam huic Editioni præmiſit: quam tamen non paucis erroribus, aut ſeſqui etiam Seculi parachroniſmo laborare jam notavit Cuperus T. I. Aug. in Hiſt. Chronol. Patriarch. CP. p. 123. n. 730. & p. 183. n. 1102. 1103. p. 184. n. 1113.

Quid cetèroquin de Freheri, aliàs eruditi nec vulgariter laborioſi, auctoritate, ſinceritate atque criterio, circa res præcipuè Eccleſiaſticas aut Pontificias ſit exiſtimandum, ex ipſomet Frehero orthodoxus Lector non difficulter agnoſcet. Sic *Primò*. Tomo I. Script. rerum Germ. Godefridi Monachi Annalibus mox ſubjungit Epiſtolas Friderici II, tempore Schiſmatis ſcriptas: pro vindiciis ſcilicet Imperatoriis ex Freheri calculo adverſus Pontificem ſervituras. Sed rectè Gretſerus l. 2. contra Replicatorem, ſive Goldaſtum c. 22. ita reſpondit: *Freherus largiter peccavit, cùm hanc Epiſtolam* (cujus ſcilicet Baronius T. XII. Annal. ad an. 1166 n. 3. jam meminerat) *Friderico II adſcribit: ùt & in Indice Auctorum Tomi ſui, ubi iſthæc inſcriptio*: Friderici II Imp. & Siciliæ Regis Epiſtolæ quædam tempore Schiſmatis inter Papas Victorem, Paſchalémque & Rolandum ſcriptæ. *Siccine Antipapæ Victor & Paſchalis fuère temporibus Friderici II? ſiccine Rolandus, hoc eſt, Alexander III, cujus ante Pontificatum Rolandi nomen erat, vixit temporibus Friderici II? Siccine Pſeudo-Papæ Victor & Paſchalis oppoſiti fuerunt Rolando, hoc eſt, Alexandro III ſub Friderico II Imperatore.* O! ἀνιϛορησίαν *exclamaret latronis frater* (ſcilicet Goldaſtus, cujus frater Sebaſtianus an. 1603. 5. Junii Argentorati ob homicidium in rotam fuerat actus (*ſi quid ſimile à Catholico Scriptore peccatum eſſet; qui dum ſuam turpitudinem nonnihil tegere molitur, fœdam Freheri ſui hallucinationem egregiè detegit. Prædictam enim Epiſtolam non ad Fridericum II, ſed ad Fridericum I pertinere tam clarum eſt, quàm Victorem & Paſchalem quorum in ea mentio habetur, ſub Friderico I vixiſſe, & Rolando ſeu Alexandro III oppoſitos fuiſſe; imò nulla prorſus ex ſexdecim illis Epiſtolis, quas Annalibus Godefridi Freherus ſubjunxit, aut à Friderico II aut tempore Friderici II ſcripta; ſed omnes omnino ad Fridericum I. & ad ejus Imperium ſpectant, ùt fatebitur, quisquis vel primis labris hiſtoriam Friderici Barbaroſſæ deguſtârit.* Ita Gretſerus de præpoſtera Freheri in dignoſcendis veterum monumentis & Pontificum Chronotaxi perſpicacia.

Secundò in eundem Tomum I. Scriptorum Freherus ſollicitè ea intruſit, quæ adverſus Pontifices tempore ſchiſmatum ſunt ſcribillata, ùt Apologiam pro Henrico IV. Epiſtolas Friderici II ſeu rectiùs I. quarum jam meminimus: Reſponſum Ludovici Bavari adverſus Bullam

Pon-

Pontificiam &c. Informationem de nullitate Proceſsûs Pontificii, Auctore Marſilio vel Okamo, ſcriptoribus damnatis & excommunicatis: item Rythmos de Henrici VII obitu per P. Paulinum Dominicanum venenô extincti: perinde ac ſi nulli alii rerum Germanicarum ſcriptores magìs illuſtres, magísque antiqui & ſinceri Frehero ad manum fuiſſent. Sed nempe Antidoti inſtar haſce affanias lectori obtrudere voluit Freherus, ne aliorum ſcriptorum pro Pontificia ſede lucubrationibus deciperentur. Nam ad Tomi hujus initium, ubi Auctorum notitiam præmittit, numero III de Brunonis Hiſtoria ſequentia addit: *Nos quia Brunonem hunc ſuæ Patriæ & parti nimis addictum, optimo Principi* (Henrico IV.) *ad calumniam uſque iniquum deprehendimus, Antidoti locò adjecimus Apologiam, nimirum de unitate Eccleſiæ conſervanda & ſchiſmate inter Henricum IV. Imp. & Gregorium VII Papam, cujusdam ejus temporis Theologi (ſive Venerico Vercellenſi, ſive Walramo Naumburgenſi, ſive denique Conrado Trajectenſi Epiſcopo tribuamus) librum Apologeticum, olim ab Ulrico Hutteno in Fuldenſi Bibliotheca inventum.* Tum verò pag. 124. in ipſa Brunonis hiſtoria hiſce marginalibus notis Lectorem quodammodo præmonet atque præmunit: *hiſce literis Papalibus ex profeſſo reſponſum eſt à quodam ejus temporis Theologo (Venericum Vercellenſem quidam putant) cujus ſcriptum in Fuldenſi Bibliotheca inventum edidit Ulricus Huttenus*: quaſi verò per hujusmodi ſordes mendaciſſimas tota ſchiſmaticorum cauſa vindicata, & Pontificia profligata jam eſſet. Sed quid de Venerico, Walramo, Conrado, & editore Hutteno ſit ſtatuendum, alibi nobis differendi locus opportunior erit; interim ablegandus eſt Lector ad *Gretſeri* Apologiam pro Gregorio VII, & ad lib. I. contra Replicatorem, per totum caput VII. & ad *P. Schwarz* P. IV. Colleg. Hiſt. p. 272. & 478.

Tertiò. Quàm infenſo, veréque proteſtantico animo calamóque adverſus Pontifices & Romana ſacra inſurrexerit Freherus, tum ſola hujus ad Angliæ Regem & Venetorum Ducem præfatio (quam Commentario de Donatione Conſtantini M. præfixit) tum inſulſa ad Lectorem peroratio, quam Commentario in Conſtitutionem Ottonis III ſubnexuit, pluſquàm ſatìs manifeſtant. Præfationis excerptum referunt Gretſerus in Appendice I. ad Commentarium de Munificentia Principum erga Apoſtolicam Sedem à p. 86 ad 94. Edit. primæ Ingolſt. & P. Schwarz P. IX Colleg. p. 379. 380.

Quartò: Quo in honore ſeu veriùs contemptu Freherus Scriptores Monaſticos habuerit, jam ſolum illud convitium docet, quod in Corpore Hiſtoriæ Franc. Sinceræ & Veteris eructavit; nam in ipſo mox li-

mine, cùm de quatuor Hiſtoriæ Francicæ, hactenus ſub Aimoini nomine venditatæ, Auctoribus ſive collectoribus fuiſſet præfatus, illico de quinto etiam compilatore ſtolidè nodoséque ſubjungit: *Inveniam & quintum, eúmque obſcurum, bardum, ſtupidum, & unô verbô, verè Monachum.* Ita, pro barda ſua modeſtia, Monachorum inſectator Freherus, qui adeò cæcutire vix potuit aut certè non debuit, ut neſciret, quantum res literaria, ſacra profanáque, ab omni retro ætate, Monaſticæ vitæ cultoribus Scriptoribúsque in acceptis referre conſueverit: adeò, ut non ob unius duntaxat virtutis & regularis diſciplinæ, ſed & omnigenæ eruditionis famam innumeros prope ex Cœnobiis ad Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, ipsúmque Pontificatum Romanum, fuiſſe aſſumptos, nemo prorſus ignoret, niſi qui ne leviter quidem in Hiſtoria tinctus.

DU FRESNE. Vide CANGIUS.

G.

GEORGII

GEORGII Jacobus Fridericus, præſentis Seculi Scriptor maleferiatus, genuina Lutheri ſoboles, & mendaciorum Patris diſcipulus, ex virulento ſtomacho librum malè coctum recoctúmque tandem exſpuit Anno 1725. Libri titulus eſt: *Imperatorum Imperiique Principum ac Procerum totiúsque Nationis Germanicæ Gravamina adverſus Sedem Romanam, totúmque Eccleſiaſticum Ordinem Edita à Jacobo Friderico Georgii, Francofurti & Lipſiæ. A.* 1725. Horret quidem calamus, ſingula hujus rabidi blateronis ſputa colligere, & cum legentium nauſea Camarinam movere; ſed hominis impudentia cogit, ſaltem plures è quàm plurimis calumnias hìc tangi, ut tantò faciliùs cuilibet Orthodoxo Lectori (imò & heterodoxo, qui Paci publicæ Weſtphalicæque cupit conſultum) abominanda Georgii protervia ſeſe palpabilem reddat. Ait itaque: *Religio Pontificia noxia Imperantibus, inprimis Germaniæ.* pag. 16. ſeq. *Gregorium VII. Anti-Chriſtum eſſe agnoſcunt Germani.* p. 47. *Sicarios in Fridericum II. immittit Innocentius IV.* p. 149. *Innocentius IV Saldanum ad frangendam pacem cum Friderico initam ſollicitat, quam impietatem ejus ipſe horruit Turca.* p. 151. *Ludovicus Bavarus edictum promulgat contra Joannem XXII, in quo oſtendit, eſſe illum lupum, Anti-Chriſtum, juratum Germanorum hoſtem, qui Saracenos in Chriſtianos armaverit.* p. 167. & 176. *Henricus VII. perit ſcelere Sacerdotis, poculum venenatum in Sacra Synaxi ipſi porrigentis.* p. 157. *Contumelioſè contra*

DEUM

DEUM invocationes irrepſerunt in Eccleſiam Romanam teſte Carolo V. p. 518. *Sigismundus Imperator improbat cœlibatum Clericorum.* p. 470. *Purgatorium cur excogitatum à Pontificibus?* p. 378. *Indulgentiæ impiæ, & intolerabile Germanis onus,* p. 371. ſeq. p. 523. *Tezelius tantam jactabat ſe à Papa accepiſſe poteſtatem, ut etiam ſi quis Virginem matrem gravidam feciſſet, crimen iſtud pecuniam numeranti condonare poſſet. Aſſerit, ei non opus eſſe pœnitentia aut contritione, qui ſuas emat indulgentias.* p. 376. *Regulæ Cancellariæ Romanæ impiæ ſunt, & iniquæ.* p. 400. ſeq. *Judices Eccleſiaſtici impii ſunt &c.* p. 236. 237. 264. 458. *Non animarum ſalutem, ſed laicorum pecuniam quærunt.* p. 459. *Reſervationes Caſuum ex avaritia Pontificum & Epiſcoporum excogitatæ ſunt, & maximè ſcandaloſæ.* p. 381. *Omnia Sacramenta Eccleſiæ Romanæ anro venalia ſunt.* p. 482.

Idololatrica Sanctorum in Papatu multitudo. p. 383. *Numerum Sanctorum augeri proficuum Epiſcopis* p. 447. *Monachi non tolerandi in Republica* p. 17. *Mendicantes Ordines ſunt Reipublicæ pernicioſi: illorum hypocriſis.* p. 384. p. 492. *Juſtam eſſe Monaſteriorum Seculariſationem.* p. 412. *Pontifex eſt Vaſallus & ſubditus Imperatoris.* p. 269. 22. 108. 164. *Imperium Orbis meditatur.* p. 74. 140. 168. 172. *Secundam Imperatorum fortunam ſiniſtro intuentur oculo.* p. 137. 146. 158. 168. *Antitheſis Pontificum & Chriſti.* p. 140. *Impiè pedes ſibi oſculari permittunt.* p. 170. *De mala ipſorum fide.* p. 279. 414. *Chriſtum terris extrusère.* p. 173. *Derident Germanos, eóſque quam ſtolidiſſimos eſſe, utile ſibi dicunt.* p. 173. *Pontificum authoritatem nec neceſſariam, nec à Chriſto inſtitutam eſſe, Germani jam olim agnoverunt.* p. 242. *Non cuſtodiunt decreta Conciliorum, nec ſervant pacta Anteceſſorum.* p. 245. *Credunt, jure ſuo Germanos ſe poſſe divitiis ſpoliare.* p. 245. ſeq.

En! breviusculam petulantiſſimi & mendaciſſimi hujus Voluminis Anatomen! quo ſcilicet non ſolùm in Summos Eccleſiæ Principes, Pontifices, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Clerum, Regulares, ſed & in ipſam Eccleſiam Romanam, quodque conſequens eſt, in omnes Romanæ Fidei devotos Imperatores, Reges, Electores, Duces ac Principes &c. homo maſtygeus & damnati dogmatis erro abſque rubore bacchatur, monſtruosúmque ingenii ſui abortum hac denique cauda & Epilogo claudit: *Optandum eſſet, ut quis etiam ceterarum nationum gravamina adverſus Sedem Romanam colligeret, quò omnes viderent, illam aſſeclas ſuos ad miſerrimam ſemper redigere conditionem, ubi ejus prævalet authoritas. Hoc inprimis à teneris ſtatim illis inculcandum eſſet, quos DEUS ad gubernacula Imperiorum ſedere voluit; non enim dubium eſt, illos, qui faciem internam Eccleſiæ Romanæ ex veterum monumentis dijudicare didicerunt, ejus illecebris nunquam aures præbituros, cùm noverint, in quantum libertatis periculum ſe*

conjiciat, qui gemimus Pontificiæ Sedis adorator celebrari velit. Vid. pag. 529. Sic nempe ab hac hominis fœce vappáque habent Imperatores, quod diſcant! Quàm multò rectiùs Cybelejo huic Circulatori regeri poteſt, optandum vel maximè eſſe, ut omnia Catholicorum gravamina adverſus heterodoxorum Stentorum infrunitos garritus colligantur in unum, & æternum de Romano-Catholica ſeu principe per Germaniam Religione ſilentium ſcurrilibus gerronum calamis imperetur! Vid. etiam *P. Schwarz* P. IX Colleg. verbô: *Georgii.*

GLABER RODULPHUS.

GLABER RODULPHUS, Sec. XI Scriptor, & S. Germani Antiſſiodorenſis Monachus, Hiſtoriam Francorum, quam ab electione potiſſimùm Hugonis Capeti uſque ad A. 1046 provexit, Sancto Odiloni Abbati Cluniacenſi dicavit. Proſtat illa tum apud Du-Cheſnium T. IV. Script. Franc tum inter XI Scriptores Francicos, qui è Pithœi Bibliotheca eruti, Francofordienſibus typis A. 1596 in folio primùm fuêre excuſi. *Scriptor graviſſimus* dicitur à Chriſtiano Lupo T. VI. Comment. in Concilia p. 235. col. 1. Nec immerito; quia de iis pertractat, quibus vel omnino Synchronus, vel haud multò junior fuit. Nihilominus ab eodem Lupo luculenta Rodulphi ſive de Regibus, ſive de Viris Eccleſiaſticis *inſcribendo & loquendo audacia* perſtringitur: palmare itidem partium ſtudium, quo in Eccleſiæ Gallicanæ gratiam ſeſe ſubin abripi paſſus eſt, Scriptor ſanè non æquus in Romanam Eccleſiam, ideóque ejus Pontifices ad omnem occaſionem conſuetus notare: v. g. L. II. c. 4. 5. Vid *Lupus* l. c. p. 235. & 386. item in Appendice ad T. VIII de Appellationibus p. 148. Sed & de Germaniæ Populis (quando v. g. *Luiticios*, ſimul ad Mare Balticum atque in *Rhoetia* collocat) Glabrum minus rite fuiſſe edoctum jam obſervavit *Blondellus* T. II. plenioris aſſertionis Genealogiæ Francicæ p. 23. *Pagius* T. IV. Crit. ad A. 1034. à n. 17. ad n. 20. A. 1019. n. 1. A. 1128. n. 23. 24. 25. *Hahn* P. II. Hiſt. Imp. p. 245. lit. a. Erravit ſimiliter Glaber l. 1. c. 4. quando Stephaniam Creſcentii Romani viduam Ottonis III conjugem facit, quam apud Cæſarem, non maritatum, ſolius concubinæ munere functam Auctores coætanei produnt. Vid. *Hahn* l. c. p. 149. lit. b.

Falſiſſima verò & agreſtior Conringii criſis eſt, quâ Glabrum, Scriptorem contemporaneum, non niſi *Gallum monachum & anilibus fabulis credendis idoneum* veluti per ludibrium vocat T. I. Operum p. 83. §. 34. Totum Conringii textum hìc adducere juvat, ut commotioris in Glabrum animi & calami cauſa magìs eluceſcat. *Quin & ipſe Glaber Rudolphus* (verba Conringii ſunt) *ætate Henrici jam Tertii ſcripſit L. II. id quod ſtudioſè adeò inculcat non ſemel Baronius*: " Illud nihilominus nimium con-

" condecens & perhoneſtum videtur, atque ad pacis tutelam opti-
" mum, Decretum ſcilicet, ut ne quisquam audacter Romani Im-
" perii Sceptrum præproperus geſtare Princeps appetat, ſeu Impera-
" tor dici & eſſe valeat, niſi quem Papa Urbis Romanæ morum pro-
" bitate delegerit aptum Reipublicæ, eique commiſerit inſigne Im-
periale. *Hæc ſcripta ſunt fortaſſis* (pergit Conringius) *Henrico IV Cæſa-
re, quo tempore Papæ ad rebelles Saxones ejusmodi ſententiam quæſierunt. Ve-
rùm enimverò mox liquidum faciemus, ante Hildebrandi certè ætatem in Ger-
manica pariter ac Romana curia creditum, ad Cæſarea jura conſequenda ſatis
eſſe electionem Germaniæ Ordinum; Secuto tempore, fateor, conſenſum aliquem
ſuum urſerunt Papæ, Germania tamen nunquam non reclamavit. Quod itaque
Glaber ſcribit, indubiè ex errore quodam eſt profectum, ùt in aliis multis rei-
publicæ noſtræ negotia minùs eſt aſſecutus Gallus ille Monachus* & ANILIBUS FABULIS CREDENDIS IDONEUS, *ceu liquet, vel ex iis, quæ mox ſubjungit de Inſignibus Imperii mutatis &c.*

Aſt miſerrimæ profectò, eæque plures in hoc uno Conringii aſſerto hallucinationes, imò falſitates craſſiſſimæ latent. Nam (ùt nihil dicam, quòd Glabri verba non l. 2. ſed l. 1. c. 5. reperiantur) ſi fatente Conringio Glaber jam Henrici III ætate id ſcripſit, cur ad Henrici IV tempora confugitur? Mortuus eſt Henricus III Anno 1054: natus eſt Henricus IV Anno 1050 vel 51. Obiit præterea S. Odilo anno 1048, eidémque Odiloni Hiſtoriam ſuam inſcripſit Rodulphus; quomodo igitur, Henrici IV ætate, in Pontificum gratiam & ex Saxonicæ ſeditionis occaſione ita ſcribere, fingitur Rodulphus, cùm eo ſcribente & Henricus III etiamnum imperaret, & S. Odilo adhuc viveret, Henricus verò IV. Odilone ſuperſtite ne quidem fuiſſet progenitus, multóque minùs ſive de præſenti ſive de ventura adverſus Henricum IV, necdum natum, ingenti Saxonum conſpiratione ulli mortalium tum temporis ſuborta ſit cogitatio atque ſuſpicio?

Sed & ſtramentitia prorſus, & nullius fidei eſt altera Conringii aſſertio, quâ contra Solem atque omnem hiſtoriam ſcribit, ante Hildebrandi ſive Gregorii VII ætatem in Germania non minùs quàm in Romana Curia fuiſſe creditum, quòd vel ſola Germaniæ Regis Electio jam ad Cæſarea jura conſequenda ſuffecerit. Nunquid enim Lotharius I. Ludovicus II. Carolus Calvus, Ludovicus Boſonides, Wido, Lambertus, Berengarius, inter legitimos Imperatores cenſentur, etſi Germaniæ Regnô hi nunquam gauderent, & ſuos interea domeſticos Reges, ùt Ludovicum Germanicum I & II &c. identidem habuiſſet Germania? nunquid & Arnulphus Germaniæ Regem eadem tempeſtate ſe ſcripſit, cùm Imperatorios faſces gererent Wido, atque

Lam-

Lambertus, Italiæ Reges ? nunquid poſt Conradum I & Henricum I Otho Magnus per viginti omnino & ſex annos, ſive ab anno 936 usque ad an. 962 Germaniam rexit, quin ad Imperatoriam dignitatem ex Regis Germaniæ titulo jus quoddam prætexuiſſe legatur ? imò quis neſcit, quòd is ipſe Otho an. 952 poſt devictam jam Italiam & Berengarium, miſſa etiam ad Pontificem legatione, profectionis Romanæ (ſpe ſcilicet dignitatis Cæſareæ) inſtituendæ licentiam petiêrit, nec tamen impetrârit, ùt Flodoardus, Scriptor contemporaneus, diſertè teſtatur ? nunquid integrum adhuc decennium abiît, dum tandem ab ipſomet Pontifice anno 962 Otho Romam evocaretur & Cæſar inauguraretur, ùt ex Hiſtoria conſtat ? Quòd autem Otho II & III, item Henricus S. ſimiliter Cæſares poſt Othonem M. fuerint renunciati, non tam Germaniæ, quàm Italiæ maximè Regis dignitas ac prærogativa effecit; neque enim Germaniam, ſed Italiam potiùs Romani Imperii arrham iis temporibus extitiſſe, plus quàm certiſſimum eſt, quandoquidem à Caroli M. regimine ne unicus quidem Imperator, ſive Germanus, ſive Gallus, ſive Burgundus & Italus, usque ad Gregorii VII tempora, ſeu Hildebrandi ætatem, poterit nominari, qui non ſimul Italiæ Regnum ante dignitatem Cæſaream ſit conſecutus: eſto, quòd nonnulli, ùt Carolus Calvus, & Arnulphus (cùm in Galliam & Germaniam rediiſſent) ab æmulis poſtmodum Italiâ rurſus fuerint exuti.

Quantis verò turbis & factionibus Dignitas Imperialis ſub Widonis, Lamberti, & Berengarii tempora: Germanici verò Regis electio poſt obitum Othonis III obnoxia fuerit, ex veterum Monumentis Hiſtorici nôrunt. Valde igitur boni publici rationibus accomodum, & ad veritatis hiſtoricæ trutinam ſatis exactum cenſeri poterit illud Decretum, cujus Glabrum meminiſſe ſuprà ex Conringio indicavimus; ſive dein ſolius Benedicti VIII, ſive reliquorum etiam Italorum Germanorúmque conſiliô, ſive denique paſſìm ante Benedictum VIII ſub Othonibus Decretum illud conditum fuerit : Glaber etenim Decreti conditorem nominatim non exprimit, prout jam advertit *Gretſerus* T. VII. Operum p. 396. col. 1. cap. 43. in *Exam. Myſterii Pleſſeani.* Synchronus autem cùm fuerit Glaber, neque ſuo duntaxat ex phantaſo publicum hocce Decretum ipſe confinxiſſe, probari ullatenus poſſit, idcirco ſatis legitimum ille teſtimonium parit: quidquid contrà Conringius garriat.

GODEFRIDUS VITER. GODEFRIDUS Viterbienſis, Presbyter, Capellanus, atque Notarius Conradi III, Friderici I & Henrici VI Imp. Chronicon univerſale conſcripſit,

ſcripſit, *Pantheon* dictum, quod ligatâ ſolutâque Oratione permixtum, in XX Partes tributum, atque ab exordio Mundi usque ad an. Chriſti 1186 deductum, Urbano III Pontifici Maximo nuncupavit. Publicæ illud notitiæ expoſuit Piſtorius T. II. Script. Rer. Germ. Francofordiæ an. 1584. recuſum verò cum iisdem Piſtorii Scriptoribus Hanoviæ an. 1613: & Ratisbonæ 1726 per Burchardum Struvium. Generatim obſervant Critici (Vid. *Labb.* T. I. Script. Eccl. p. 355) quòd Chronicon iſtud *multis fabulis ineptiisque ſit refertum*. Juxta *Pagium* T. IV. Crit. ad an. 1186 n. 14. *licèt multis fabulis refertum ſit, aliqua tamen ſingularia habet.* Fabulis verò haud dubiè accenſendum eſt *primò*, quod Godefridus Parte XVII Chronici p. 481. 482 de Othonis III Conjuge Maria, Regis Arragoniæ filia, ob adulterii labem rogo tradita narrat. Neque enim Arragoniæ Regnum aut Reges eo tempore jam extiterant: & neque Synchronorum Scriptorum quiſpiam ſive de legitima Othonis Conjuge, ſive de Conjugis impudicitia vel verbulum refert: imò innuptum vixiſſe & deceſſiſſe Othonem III, Scriptorum conſenſio tenet. Reinerus in vita S. Wolbodonis Ep. Leodienſis §. IX. & Rupertus Tuitienſis in vita S. Heriberti cap. 3. §. 10. (Vid. *Acta SS.* T. II. Martii p. 480) id unum aſſerunt, quòd Stephaniam quidem, Creſcentii Romani Comitis viduam, Otho in Italia deperierit: at cùm illa Cæſarem in Germaniam reverti, ſe verò *nuptiis fruſtratam* cerneret, dolore ſimul & vindictæ ſtimulis acta, putatitium Sponſum venenò extinxerit. *Secundò*: commentitium ſimiliter videtur ſanguinarium illud convivium, quod juxta Godefridum P. XVII p. 480 Otho II. Optimatibus Romanis inſtruxit. Ait enim l. c. quòd Romanorum Primoribus epulum geniale ac lautum apparaverit Otho, eosdem verò honoratos hoſpites in ipſo ſympoſii loco & tempore per ſubornatos ſatellites repentè juſſerit trucidari. Aſt de novo iſthoc Abſalonis convivio & fato Amnoniano omnes penitus Scriptores contemporanei, quà Germani, quà Itali tacent; meritóque exploditur à Vorburgio in Hiſtoria Othonum, & Gundlingio in Hiſt. Imp. p. 362; utut non deſint Scriptores, qui ſimilis facti ſub Othone M. meminerint. Nam cùm Gero, ab Ottone M. Slavis Marchio datus, à Slavorum principibus non ſolùm novæ rebellionis agitari conſilia, ſed & vitæ ſuæ inſidias ſtrui, certis ex indiciis comperiſſet, ille ut æſtum æſtu præverteret, & meditatæ perduellionis necisque paratæ tempeſtatem eluderet, diſſimulato proditionis & perfidiæ nunciô, eosdem lautiori menſæ apud ſe adhibuit, & liberaliter pranſos potósque inter ipſa menſæ hilaria juſſit interimi: quô pactô deſtinata Slavorum Seditio ſuo in ortu compreſſa, & ſuâ Slavicis Provinciis illibata tranquil-

quillitas ſtetit. Vid. *Witikind.* l. 2. Annal. Unde fortaſſis contigit, ut Otthonem II. cum Gerone, Romanos cum Slavis, Othonis II tempora cum regimine Othonis M ex incertis rumuſculis Godefridus malè conſuderit. *Tertiò* Fallitur Godefridus, cùm P. XIX Chronici p. 532. 33. ſcribit, quòd Boſo Rex Arelatenſis Othoni M. Lanceam S. Mauritii primus donârit; neque enim ſub Othone I. Rex Boſo vivebat, neque ante Conradi II ſive Salici, & Rudolphi Burgundiæ Regis tempora Mauritianum illud Inſigne in Germanorum manus atque theſauros pervenit. Vid. *Hugo Flavin.* P. II Chron. Virdun. *Herm. Contr.* in Chron. ad A. 1032

Quartò: Memorabile omnino, atque inter primi generis figmenta numerandum eſt illud, quod P. XVII Chronici p. 487 & 488. de Henrici III, Germaniæ Regis, & inter Imperatores ſecundi, natalibus & portentoſis fortunæ viciſſitudinibus per totidem verba legitur: *Conradus II. Imperator nulli violatori pacis parcebat. Unde Comes Lupoldus, violator pacis, timens occidi ab Imperatore, fugit in ſylvam remotiſſimam* (Nigram) *ibique cum uxore ſua, ſolus in tugurio latitabat. Contigit Imperatori, è venatione ſua fortuito caſu illuc divertiſſe, & ea nocte ibi manſiſſe. Uxor Comitis eâdem nocte peperit maſculum, quo vagiente vox de Cœlo ait:* O IMPERATOR, INFANS ISTE ERIT TIBI GENER & HÆRES. *Hac voce, tertiæ vice, audita, ſurgit Imperator diluculo, & inventis duobus ſuis famulis, dixit: Ite & occidite illum infantem. Qui euntes accipiunt infantem, ſed miſerti ipſius, non occidunt, ſed ſuper arborem ponunt atque relinquunt. Regi autem repræſentant cor leporis pro corde infantis. Rex autem eos remuneravit. Tranſiens poſtea Dux quidam invenit & deportat infantem, & adoptat eum in filium. Imperator longè poſt, in domo Ducis videt puerum, & habet ſuſpectum, ne ſit ille, quem præcepit Occidi: & aſſumit eum quaſi pro cliente, & præcipit, ut ad Reginam literas ſuas portet, in quibus præcipiebat Reginæ, ut viſis literis ſtatim faciat eum occidi. Puer autem rem ignorans pergit, & in domo Sacerdotis cujusdam hoſpitatur, qui ei dormienti literas ſurripuit, & aperuit, & viſa ibi morte pueri, alias literas ſcripſit in hunc mundum:* CUM VIDERIS HUNC PUERUM, O REGINA, STATIM DA EI FILIAM NOSTRAM IN UXOREM, SICUT DILIGIS VITAM TUAM. *Et iſtas literas repoſuit in marſupium pueri. Puer neſcius abiit, & ita filia Regis tradita eſt ei &c.* Aſt huic fabulæ refragantur 1ò. Scriptores ſynchroni, *Wippo* in vita Conradi II. *Hermannus* Contr. in Chron. ad A. 1028, & 1039. *Lambertus Schaffnab.* ad A. 1028. *Chronographus Saxo* ad A. 1026. 1027. *Hepidannus* ad A. 1044. qui omnes uno ore Henricum Conradi filium vocant. 2dò. Tam ipſe Conradus, quàm Henricus: quorum ille in variis Diplomatis, & Donationum chartis, Henricum

filium,

filium ſuum & *prolem*, hic verò Conradum *Patrem ſuum ac Genitorem*, Giſelam autem, Conradi Conjugem, ſuam *Matrem* appellat. 3tiò. Nuptiæ, quas neutiquam cum filiabus Conradi, Beatrice aut Mathilde, ſed cum Cunihilde primùm, Canuti Anglorum & Danorum Regis filia A. 1036, dein cum Agnete, Wilhelmi Pictavorum Comitis nata, circa Annum 1043, aut ſeriùs, Henricus contraxit, ùt denuo ex iiſdem Auctoribus & Rodulpho Glabro conſtat. 4tò. Vetus ſepulchralis inſcriptio in templo S Guidonis Spiræ, in qua Henricus III *Conradi II filius* indigitatur 5ò. Ipſe truculentior Hiſtoriæ ordo, & bis meditatæ cædis imperium, quod Conrado gratìs affingitur, utpote quem Vetera Monumenta *Pacificum*, *benignum*, *juſtitiæ tenacem*, *virtutum omnium vigore prædi.tum* deſcribunt. 6tò. Incredibilis in Sacerdote quà præſumptio atque in Regales literas, clauſas utique & ſigillô regiô munitas, audacia, quin tamen alienæ manus fractique ſigilli ſuſpicio Reginam adverteret. Ut alia præteream, quæ ſtropham malè conſutam loquuntur. 7ò. Demum refragatur huic narratiunculæ ipſe Godefridus, qui l. c. p. 491. Henricum ipſius Conradi & Giſelæ Imperatricis filium agnoſcit; Ait enim: *Henricus III, ſupra memoratæ* IMPERATRICIS GISELÆ FILIUS, *qui cœperat* PATRE VIVENTE *regnare*, PATRE MORTUO, *ab Auguſto Octuageſimus tertius cœpit imperare --- Iſte Henricus* PATRI SUO *æqualis in virtutibus & præcelſior fuiſſe perhibetur.*

Atque ex hoc ipſo Godefridi teſtimonio facilè lector judicabit, quòd totius, quam ſuprà memoravimus, Aretalogiæ (vulgò Romanciæ) longè alius à Godefrido ſit auctor, qui ſcilicet non tam veritatis ſtudiô, quàm lectionis ſubin condiendæ gratiâ portentoſo magis quàm ludicrô Epiſodio Godefridi Pantheon interpolârit, non attendens, ab ipſomet Godefrido fabulam omnem deinceps refelli. Niſi fortè dicere malis, quòd *filii* vocem latiùs, ſive pro *genero* Godefridus acceperit, prout à medii ævi Scriptoribus illam quandoque acceptam fuiſſe, Hahnius in Hiſt. Imper. P. III. pag. 80. lit. aa. animadvertit. Verùm cùm ex reliquo Godefridi Pantheo conſtet, quòd Patris & filii nomina ad uſitatam Genitoris & genuinæ de thoro ſobolis notionem ipſe reſtrinxerit, nihil ſanè cauſæ jam ſuppetit, cur hoc duntaxat in loco eas voces à Godefrido ampliatas fuiſſe conjectemus. Imò quis ſibi temerè ſinat perſuaderi, Godefridum, qui ne quidem unius Sæculi ſpatiô ab Henrici III obitu fuit remotus, adeò in illorum temporum Scriptoribus & recentiorum Imperatorum rebus fuiſſe rudum ac hoſpitem, ut in Henrici III proſapia, tam Italis quàm Germanis Senioribus adhuc notiſſima, ita ineptierit atque exorbitârit?

Unde ex hoc ipso, quem adduximus, loco in eam maximè conjecturam propendeo, minùs fincerum, prout nunc extat, Godefridi Chronicon ad nos perveniſſe, & pluribus etiam alibi interpolamentis à poſteriore manu fuiſſe corruptum; quid nî enim aut paria aut minora confingendi licentiam ſibi ſumeret, qui tam patentibus nugis Henrici genealogiam infecit?

Illud autem meritò in Godefrido Viterbienſi ſuſpexit Natalis Alex. T. VI. Hiſt. Eccl. ad Sec. XII. Cap. V. Art. XVI p. 537. quòd in Epiſtola ſua nuncupatoria ſupremam Eccleſiæ Romanæ in Cenſura Librorum auctoritatem hiſce verbis magnificè prædicârit: *Cujus doctrina & regimine omnes Reges & Principes, & univerſæ Orbis Eccleſiæ adornentur, & ab ea tanquam à fonte Juſtitiæ, totius ſapientiæ regulis inſtruantur: quia nullum Scripturarum elogium noſcitur eſſe authenticum, niſi ab ejus ſapientiæ fluminibus ſitientibus propinetur. Quare ſi quod Hiſtoriarum Opus nova per aliquem inſtitutione conficitur, ratio ſuggerit, ut antequam in publicum deveniat, Apoſtolico Examini præſentetur: quatenus ſi acceptione dignum eſſe perpenditur, ejus mandato & judicio approbetur, & ab eo vires auctoritatemque recipiat, cui terrena & cœleſtia divinitus ſunt commiſſa.*

GOLDASTUS

GOLDASTUS, aut Guldinaſtus (aliàs Melchior Heiminsfeldius dictus) præter Tomos ſive Scriptores Rerum Alemannicarum, aliorum quoque Operum fabricator notiſſimus, morte ſublatus eſt Bremæ A. 1635. 11. Aug. Prodiêre ſub hoc Architecto *Monarchia Romani Imperii: Conſtitutiones ſive Reſcripta & Statuta Imperialia*, quibus adjunxit Commentarium, *Rationale* (verius *Irrationale*) dictum, contra Emin. Card. Baronium; denique *Replicatio pro ſacra Cæſarea & Regia Francorum Majeſtate &c. adverſus Jacobi Gretſeri Jeſuitæ crimina læſæ majeſtatis, rebellionis & falſi extemporaliter & populariter inſtituta &c.* Aſt nemo magis hoc hominis probrum & ex mendaciis non minùs, quàm calumniis conviciisque compactum vulpionem Erudito Orbi detexit, quàm is ipſe, quem cane pejus & angue Goldaſtus oderat, Gretſerus, tum libris duobus adverſus hunc Replicatorem, tum in Apologia Baroniana; nam tres omnino Goldaſticorum mendaciorum centurias, fraudes, ſutelas, impoſturas atque calumnias l. 1. contra Replic. c. IV. V. VI. VII. palam ſub oculos poſuit Gretſerus; in Apologia verò Baroniana ſat longo ordine recenſentur convicia & ſcommata, quæ arrogantiſſimus paratragœdiator Goldaſtus in Em. Card. Baronium detonuit. Rectè præterea monet Gretſerus in Epiſtola dedicatoria, libro adverſus Replicatorem præfixa, quòd Monarchia Romana, à Goldaſto edita, verius *Monarchia Goldinaſtica* fuerit inſcribenda, quandoquidem longè

alia

alia cordatus Lector eo in opere exſpectet, quàm quæ ſub tam ſonori nominis inſcriptione in rapſodiam ſuam, ſive ſchiſmaticorum Scriptorum farraginem confuſaneam vulpina fide Goldaſtus intruſerat. Sed & eadem Goldaſtus fraude peccaverat in tribus ſuis Conſtitutionum Imperialium Tomis, ubi *pro Imperatoriis Conſtitutionibus & Reſcriptis malè feriatorum Schiſmaticorum & Hæreticorum Pſeudo-Synodica Decreta Goldaſtum nobis appoſuiſſe*, Gretſerus monuit l. 1. contra Replic. c. 13. & in Præfatione ad Apolog. Baron. Neque parùm malè de Friderico II. meruit Goldaſtus, quòd omnes illius Epiſtolas à Petro de Vineis ſcriptas & à Schardio non niſi ſub nomine Epiſtolarum Petri de Vineis publicatas, mox in Imperiales Friderici II. Conſtitutiones transformare ſit auſus. Quid quòd & alia Goldaſti impoſtura inſigniter eluceat ex ſtramentitio illo Edicto, quod Tomo III. p. 659. Friderico I. perfidè affinxit? Hoc námque Edictum ſuo ex cerebro architectatum fuiſſe Goldaſtum & non niſi ex Matthæi Pariſienſis verbis malè conſarcinâſſe, facilè deprehendit Gretſerus l. 2. contra Replic. c. 21. Denique qualis farinæ Goldaſtus extiterit, jam ex ſolo Indice, quem Gretſerus ſuo contra Replicatorem Volumini ſubjunxit, copioſiſſimè lector agnoſcet. *Vid.* etiam Caput XXI Apolog. Baron. item *P. Schwarz* P. III & P. IX. Colleg. verbô: *Goldaſtus*. Chriſtianus *Lupus* T. V. Operum p. 312. 313. ubi pro merito corripit Tractatum de Eccleſiaſtica Libertate, quem tenebrio quiſpiam peſſimè conſuit, Goldaſtus verò pro ſua in hujusmodi merces prurigine è digniſſimis tenebris in indigniſſimam præli libertatem aſſeruit.

Quænam verò heterodoxorum de Goldaſti fide & auctoritate opinio ſit, ſatis innuunt tum Conringius ejusdémque Scholiaſtes Goëbelius T. VI. Operum p. 99. 124. 125. 505. tum Vitriarius & Vitriarii Commentator Pfeffingerus T. I. Vitriarii Illuſtrati p. 48. lit. f. & p. 288. n. 19. quo ultimo in loco paucîs multa complexus eſt Vitriarius, ſuáque de Goldaſto ſenſa hiſce verbîs expreſſit: *Conſtitutiones Goldaſti omittimus; multas enim ſuſpectæ fidei merces pro veris Erudito orbi obtrudit: cui ceteroquin diligentiæ laudem non negamus; & hinc in re, cui aliunde fides fieri non poteſt, vix quiſquam ejus ſolius authoritate ſibi aliquid planè perſuaderi patietur.* Conringius, etſi aliquando, v. g. in Epiſtola nuncupatoria ſuæ de Republica Diſſertationis, & in præfatione ad Tacitum de Moribus Germanorum, Goldaſtum non mediocriter dilaudârit, ſuam tamen ſententiam luculenter mutavit in ſuo Tractatu de Origine Juris Germanici, ubi Conſtitutiones & leges Imperiales, *illaudabili ſanè facinore*, à Goldaſto confictas, rotundè fatetur. Omnia Goldaſti Ope-

ra inter prohibita collocat *Index Rom.* noviſs. p. 360. 361. 284. 335. 167. 168.

GRÆCI. GRÆCI Scriptores plerique (de Schiſmaticis loquor) quàm malæ fidei ſint, ſive in confingendis ſive in corrumpendis adulterandisque Veterum Scriptis, non inter Latinos modò, ſed & inter Græcos orthodoxos res planè notiſſima eſt. Nicolaus I. cùm in literis, ad Michaëlem Imperatorem datis, Eundem ad quandam Hadriani II Epiſtolam remitteret, mox hæſitabundus adjecit : *ſi tamen non falſa*, MORE GRÆCORUM, *ſed ſicut à Sede Apoſtolica miſſa eſt, penes Eccleſiam CPolitanam hactenus conſervetur* Anaſtaſius Bibliothecarius in Præfatione ad Joannem VIII in Synodum VII Oecum : ait : " Sanè notandum eſt, " quædam ex Apoſtolorum & VI univerſalis Synodi canonibus & ſen- " tentiis in hac Synodo inveniri, quæ penes nos interpretata nec ha- " bentur, nec admittuntur. . . . Ergo regulas, quas Græci à VI Sy- " nodo perhibent editas, ita in hac Synodo Principalis ſedes admittit, " ut nullatenus ex his illæ recipiantur, quæ prioribus canonibus vel " Decretis Sanctorum hujus Sedis Pontificum aut certè bonis mori- " bus inveniuntur adverſæ : quamvis omnes hactenus ex toto ma- " neant apud Latinos incognitæ, quia nec interpretatæ : ſed nec in " ceterarum Patriarchalium Sedium, licèt græcâ utantur linguâ, repe- " riantur Archivis ; nimirum, quia nulla earum, cùm ederentur, aut " promulgans aut conſentiens aut ſaltem præſens inventa eſt. Quam- " quam eoſdem Patres illas Græci promulgâſſe perhibeant, qui in VI " Synodo ſunt inventi ; ſed hoc nullis probare certis poſſunt indiciis.„ Idem Anaſtaſius in Præfatione VIII Synodi, à ſe latinè redditæ, ad Hadrianum II inquit : *Græci & alia oſtendunt regularum numeroſa & præſumptuoſa ſatis Capitula, priſcæ traditioni pene omnia valde contraria, quæ à VI Synodo perhibent promulgata : cùm VI Synodus nullam protulerit præter fidei regulam : ſed quas ejus aſſeverant regulas, longè poſt VI Synodum apud ipſos conſtet penes ſe privatimque depromptas.*

Humbertus Card. Sylvæ Candidæ Epiſcopus contra Nicetam Pectoratum ſcribit : " Non mirum, ſi Agathoni Papæ & SS. Patribus " VI Synodi veſtra imputetis deliramenta, & quæ aut corrupiſtis aut " finxiſtis Capitula, cùm etiam ipſi Domino JEſu & Apoſtolis ejus im- " putetis figmenta. Unde nos ſcientes, VI Synodum ad deſtruendam " hæreſin Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Ro- " manis novas Inſtitutiones congregatam, Capitula, quæ nobis ſub " ejus auctoritate exponitis, omnino refutamus, quia prima & Apoſto- " lica Sedes nec aliquando ea accepit, nec obſervat ; quia aut ſunt " nulla,

" nulla, aut ùt vobis libuit, depravata. „ De Concilio Carthaginenſi VI ad A. 419 conſtat, quòd magis authentica primæ Nicænæ Synodi exemplaria ſibi tranſmitti petierit. Vid. *Harduin.* T. I. Concil. col. 1241. & 863. Et vel ſolius VI Concilii Oecumenici Acta Actione IV. V. VI. XII. XIV affatim oſtendunt, quàm corruptos Codices & depravatos SS. Patrum textus Epiſtolásque in medium attulerint Græci Monothelitarum Patroni, v. g. Cyrus Alexandrinus. Vid. *Acta Concilii* hujus: *Cuperus* T. I. Aug. in Hiſt. Chronol. Patr. CP. p. 66. n. 363. Ut nihil dicam de Oecumenica Synodo III & IV, quas ſimiliter à Græcis fuiſſe vitiatas obſervat Van-Caſteelius in Controverſ. XXXV de Honorio Pontifice p. 408. Quantum verò falſata SS. Patrum, ùt Julii I, Athanaſii, Gregorii Thaumaturgi, Cyrilli, Chryſoſtomi, teſtimonia produxerit Theodoſius Cæſareæ Bithyniæ Epiſcopus in Dialogo cum S. Maximo, refert Baronius T. VIII Annal. ad A. 656. n. 14. 15. & T. V. ad A. 431. n. 103. Imò ipſe S. Paulus, ùt & Origenes non parùm fuêre conqueſti, quòd ſe adhuc viventibus ſua ſcripta ab aliis fuerint adulterata, aut omnino aliena nomini ſuo ſuppoſita. Vid. *Præfatio Aldi Manuti* ad Ægidium Viterbienſem A. 1503. in Origenis Homilias. Eandem impoſturam ſuas quoque Epiſtolas aliena fraude fuiſſe perpeſſas, queritur Dionyſius Corinth. Ep. *Vid. Acta SS.* ad VIII April. p. 743. n. 4. col. 2. Sanctus pariter Cyrillus Alexandrinus in Ep. XXVIII ad Joannem ita ſcribit: *quoniam & hoc cognovimus, quòd celeberrimi Patris noſtri Athanaſii ad beatum Epictetum Epiſtolam orthodoxè loquentem nonnulli à ſe corruptam ediderunt, ita ut hinc multi lædantur, utile hoc ac neceſſarium fratribus rati, ex vetuſtis exemplaribus, quæ ſincera apud nos ſunt, tranſumpta ſanctitati tuæ miſimus.* Id ipſum de vitiatis S. Athanaſii literis teſtatur Cyrillus in L. de Incarnatione Unigeniti in priore Epiſtola ad Succeſſum Epiſcopum Iſauriæ Dio-Cæſarienſem. In Epiſtola verò XXIX ad Acacium, Epiſcopum Melitinenſem, idem Cyrillus Græcorum ſchiſmaticorum & hæreticorum in deturpandis aut confingendis Patrum ſcriptis familiarem audaciam ita nonnihil uberiùs exprimit. " Arbitor operæ pretium, ut illud jam dictis addam. Ve" nit ad me pientiſſimus Epiſcopus Paulus Emeſenus, qui poſtquam " de recta & inculpata fide collocuti eſſemus, percontatus eſt à me, " an iis conſentiam, quæ à celebris memoriæ beatiſſimo Patre noſtro " Athanaſio ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum ſunt ſcripta. Ego " verò reſpondi, quòd conſentiam prorſus & per omnia, *ſi apud ipſos* " *ſerventur literæ non adulteratæ, eoquòd in illis multa ſint ab invicis veri-* " *tatis corrupta.* Ad hoc ille dicebat, & ſe ipſum habere Epiſtolam, " velle verò etiam ex iis, quæ apud nos ſunt, exemplaribus, certior

" fieri

„ fieri & cognoſcere, utrum ipſorum corrupti ſint libelli, vel ſecus. „ Et cùm vetuſta exemplaria accepiſſet, ſuiſque, quæ ſecum attule- „ rat, contuliſſet, invenit ipſa eſſe adulterata, petiitque ex noſtris ſi- „ bi dari exemplar, quod Antiochenæ Eccleſiæ mitteret; quod & fa- „ ctum eſt. . . . *Quod ſi Epiſtolam nonnulli circumtulerint tanquam à religioſiſſimo Philippo Romanæ Eccleſiæ Presbytero ſcriptam*, quaſi Sanctiſſimus „ Epiſcopus Sixtus depoſitionem Neſtorii moleſtè ferat, ipſique be- „ ne loquatur: ne credat hoc Sanctitas tua. Scripſit enim conſona „ Sanctæ Synodo, & omnia illius geſta confirmavit, ac nobiſcum con- „ ſentit. *Si verò à quibuſdam circumlata fuerit Epiſtola, tanquam à me ſcri-* „ *pta*, quaſi eorum me, quæ Epheſi geſſimus, pœniteat: contemna- „ tur & hoc. Sumus enim per Servatoris noſtri gratiam adhuc ſana „ mente, & competenti ratione nondum deſtituti. „

Et quis ſingulas Græcorum fraudes in pervertendis aut ſupponendis ſcriptis ſatis recenſeat? quis ignorat, *Ecthesin* ſub nomine Imperatoris Heraclii, *Typum* ſub nomine Imp. Conſtantis, hunc à Paulo, illam à Sergio, Patriarchis CPolitanis, perperam fuiſſe divulgata, & ab ipſis tandem his Imperatoribus tanquam partus à ſua mente alieniſſimos eſſe repudiata? Vid. *Pagius* T. I. Brev. Geſt. Pontif. p. 406. n. 4. p. 410. n. 6. p. 411. n. 8. p. 421. n. 20. De Epheſini latrocinii Actis, per Dioſcori Notarios infideliter ſcriptis, & in Chalcedonenſi Concilio rejectis Vid. *Acta SS.* T. III. Sept. à p. 554. §. II. Comment. in geſta S. Hilarii num. 8. 9. 10. Plura Græcæ perfidiæ ſpecimina occurrunt apud *Leonem Allatium* L. II. de Conſenſu Utriuſque Eccleſiæ cap. I. & II. & L. I. c. XX. §. XV. *Chriſtianum Lupum* T. III. Operum p. 25. 44. 56. 117. 169. 171. 197. 359. 361. 391. 396. 398. 399. 400. *Operum* T. I. Aug. in Hiſt. Chronol. p. 57. 58. 66. *Nat. Alex.* T. V. Hiſt. Eccleſ. p. 617 & 618. Et T. VIII p. 589, ubi commentitia Synodus Græca contra Florentinam allegatur. Denique quàm mendacem de Concilio Florentino Hiſtoriam græcè ſcripſerit Syropulus Sylveſter, vide *Acta SS.* T. I. Aug. l. c. à p. 185. Plura de hoc Scriptore ſuppeditabit in hoc noſtro Commentario Critico litera S.

GRATIANUS. GRATIANUS, Bononienſis in Italia Monachus Benedictinus, circa medium Seculum XII Decretorum collectionem ex PPum Sententiis, Pontificum Decretis, & Conciliorum canonibus adornavit: quæ hodiedum *Decretum Gratiani* vocatur. Ejus induſtria etſi plurimam ſemper meruerit laudem, à Criticæ tamen hiſtoriæ legibus & puriori veritate non rarò deſcivit, quia, Bellarmino judice, *Auctorum delectum non habuit*. Plura Gratiani errata notârunt *Antonius Auguſtinus* in duo-

bus

bus Dialogorum libris de Emendatione Gratiani: *Bellarminus* in l. de Script. Eccl. p. m. 337. Decretum hoc, quod à mendis purgatum & ſuæ puritati reſtitutum A. 1585 ex Gregorii XIII auctoritate prodierat, jam ab Eugenio III fuiſſe confirmatum, ſcripſit quidem Trithemius; aſt Ant. Auguſtinus in Dialogo III rectiùs id negat. *Vid. Natal. Alex.* T. VI. p. 535. n. 5.

Dein *Gretſerus* T. VII. Operum in Examine Myſterii iniquitatis Pleſſæani C. XXXIII. p. 271. col. 1. Pleſſæo, qui Gratiani auctoritate ſæpiùs in rem ſuam mala fide fuerat abuſus, paucis reſpondet: *Non omnia, quæ apud Gratianum leguntur, oraculis accenſenda. Conſarcinavit, quod bona ſors offerebat; ſæpiùs absque accuratiore veritatis hiſtoricæ diſquiſitione, quâ tamen tanti Voluminis chaos ſummopere egebat.* Et Cap. XXXV. p. 278. col. 2. Pleſſæum, qui Capitulum: *Hadrianus*: in reformato etiam Decreto adhuc relictum, tanquam legitimum objectaverat, hâce verbis refellit: *Gregorio XIII in emendatione Decreti nihil aliud fuiſſe propoſitum, quàm ut Decretum ad eum Statum reformaret, quem ab Auctore ſuo primitus acceperat, abſterſis maculis, quas aut temporis diuturnitas, aut librariorum oſcitantia, aut nonnullorum etiam imperita malitia aſperſerat. Ipſos errores, quos Gratianus, ut homo, erravit, eliminare nunquam in animum induxit.* Atque hoc ipſum Pleſſæo rurſus inculcat Gretſerus C. XLII. p. 303. Tomo cit. Goldaſtum verò, qui ſimiliter Gratianum ſibi pro clypeo ſumpſerat, confutat in Apologia Baroniana Cap. I. p. m. 310. 311. 312. primæ Edit. Ingolſt. de anno 1608. item Lib. II. contra Replicatorem Cap. I. num. III.

GRAVESON Ignatius Hyacinthus, Ord. Prædic. noſtra ætate lucubravit Hiſtoriam Eccleſiaſticam unà cum Tabulis Chronologicis, in IX Tomos digeſtam, quæ prelum primò ſubiit Romæ, dein Venetiis, demum Auguſtæ Vindelicorum. Multiplex quidem eſt Viri hujus eruditio, diligentia, atque doctrina; ſed & plurima ſunt, in quibus præclarum aliàs Scriptorem veritati minùs litâſſe, & vel affectui ſuo, vel ſtudio partium, & opinionibus jam præconceptis juſto plus indulſiſſe & ſuccubuiſſe, ſinceriores Critici judicabunt. Nam ut pauca de multò pluribus hìc commemorem, P. II. Tomo VII. Colloquio I. à p. m. 11. de Carolo V. Imp. ita ſcribit: *nunc verò ea, quæ malè, iniquè, & imprudenter egit, nec probare, nec diſſimulare poſſum.* Scilicet PRIMO Edictum Interimiſticum, à Carolo *procuſum*. SECUNDO. Direptionem Romanam & captivitatem Pontificis, de qua Graveſonius p. 12. col. 2. " Unô verbô, quidquid Sacrilegiorum ab impiis, quidquid " rapinarum ab avaris, quidquid cædium à truculentis, quidquid " ſpurci- GRAVESON

" ſpurcitiarum ab immundis, quidquid inhumani à barbaris, quidquid " brutale à feris, quidquid tartareum à Dæmonibus timeri poterat, " Roma in hac immaniſſima direptione miſerum in modum experta " eſt. *Sed quod ſatis feſtivum ac lepidum eſt, Carolus V. diſſimulandi peri-* " *tus artifex* dum ab Exercitu, quem ipſemet Romam miſerat, in Ar- " ce S. Angeli Clemens VII. Pontifex maximus, captivus detinere- " tur, *magnum mœrorem de ipſius captivitate & urbis direptione præ ſe tulit,* " *habitis etiam pro ipſius liberatione publicis ſupplicationibus,* & feſtiva au- " læ ſuæ ſpecie, ob natum filium, in veſtes lugubres propter capti- " vitatem Pontificis, *de qua tamen in ſinu ſuo gaudebat,* commutata. " Et p. 15. col. 2. *Carolus Imperator, Italiam ingreſſus, Caroli Borbonii ductu Romam obſedit, cepit, incendit, turpiùs profectò, quàm Principem Chriſtianum decuiſſet.* TERTIO. *Quòd perpetuas cum Franciſco I Galliarum Rege ſimultates aluerit, ac cruentum bellum toto ferme Imperii ſui tempore geſſerit... Occaſione quippe diuturni iſtius belli... Solimannus Turcarum Imperator.... Turcici Imperii fines cum Summo Chriſtianæ Religionis diſpendio latè protendit.*

De Ferdinando I. ait *p.* 13. *col.* 2. *intempeſtiva manſuetudine Lutheranis nimium otii ac tranquillitatis indulſit, impiæ Hæreſis pravitati, ùt decuerat, non obſtitit.* De Maximiliano II. *moribus & ingenio Patri ſuo ſimillimus fuit, pacis conſervandæ ſtudioſiſſimus, perduelles Lutheranos in ordinem redigere non curavit. Quô factum eſt, ut ſub ejus Imperio magna hæreticis contigerit libertas, & latus patuerit campus Lutheranæ Hæreſis in Germania graſſationibus.* De Rudolpho II: " Princeps fuit Pacis ac tranquillitatis, quàm ipſius " dignitas & Religio poſtulabant, amantior... Quin tanta fuit illius " Imperatoris *ſocordia*, ut Lutherani auſi ſint ei per Principem Anhalti- " num renunciare, niſi aliam regendi formam ſervaret, ſe proviſuros. " Nec ſolùm inter minas hæſerunt, ſed fœdus contra Imperatorem & " Catholicos pepigerunt.... Catholici ut ſe majeſtatémque Imperii " tuerentur, arctius inter ſe fœdus percuſſerunt... Patienter hæc Ru- " dolpho Imperatore pro ſua facilitate ferente, & *in utramvis aurem* " *dormiente*..... Bello (contra Turcas) præfecit fratres ſuos Mathiam " & Maximilianum, aliósque ſtrenuos Duces, *dum ipſe interim immo-* " *bilis ac pene deliteſcens in Bohemia ſederet inglorius.* Hæc Graveſonius, plusquam hiſtoricè, quia non pauca fabuloſè, aut exaggeratè; quòd ſi enim aut probatiores & contemporaneos Authores conſuluiſſet, aut turbatum Germaniæ Statum & fatales temporum neceſſitates, Germanis quàm exteris longè perſpectiores, conſiderâſſet, non Carolo, non Ferdinando I, Maximiliano & Rudolpho ea temerè imputâſſet, quæ perperam illis affinxit. Vid. *P. Schwarz* P. V. Colleg. Q. V. à p. 365. usque ad p. 379. & à p. 284 ad p. 340. Profectò ſi tam oculatus & ri-

gidus

gidus cenſor fuit Graveſonius in Auſtriacorum Cæſarum geſtis, cur Edicta Caroli IX & Henrici III, Galliæ Regum, in Calviniſtarum favorem edita, per ſolam triſtiſſimam temporum neceſſitatem excuſat? cur Gallica cum Solimanno, cum Suecis & Proteſtantibus, contra Cæſares fœdera: cur luctuoſam, quæ per civitates & Eccleſias Rhenanos ſuperiore Seculo latè fumaverat, Gallici militis iram altiſſimùm filet, & ne extimis quidem digitis tangit? & tamen Hiſtorici ſinceritatem, *quæ nihil diſſimulet*, multoties in ſua hiſtoria jactat! v. g. P. II. Tomo V. Colloq. V. p. m. 168, ubi Jacobi de Voragine mentionem facit: & l. ſuprà cit. P. II. Tomo VII Colloq. I. p. 11. col. 2. ubi de Carolo V. Sed nempe humanum eſt, Argum eſſe foris, Endymionem domi: rectiùsque feciſſet Graveſonius, ſi vel Auſtriacorum Cæſarum geſta ipſe admodum in iis hoſpes penitus prætermiſiſſet, aut vice verſa ſuorum quoque Principum aut popularium facta apertiùs detexiſſet, hiſtoricus ſanè cautior (in quo laudo) quàm ſincerior, in quo non laudo.

Nunc ad alia progredimur. P. II. T. V. Colloq. V. p. m. 179. ut ſui Nicolai Triveti doctrinam auctoritatémque defendat Graveſonius, vehementer excandeſcit contra Theophilum Raynaudum noſtrum, & contra hujus de Triveto acriorem Cenſuram ita pronuntiat: "*Omnem* " fidem ſibi abrogavit malè feriatus ille author, quippe qui tot ma- " ledicta, columnias, & convicia in celebriores ordinis Prædicatorum " Scriptores eo in libro (*de Cyriacorum Immunitate*) congeſſit, ut hu- " manitatis & Religionis ſenſum ferè exuiſſe videatur. Sed hunc " magnum ardelionem & Ordinis Fratrum Prædicatorum æmulum ob- " trectatorem ſatis pro ſuis meritis plautino ſale defricuerunt duo è no- " ſtris Scriptores *Vincentius* Baronius in quinque libris Apologeticis, " & *Caſalas* in libro, cui titulus eſt: *Candor lilii*. Aſt num *omnem fidem* jam amiſerit Raynaudus (ùt Graveſonius ait) aut num omnigenæ eruditionis, veritatis, doctrinæ, humanitatis, atque modeſtiæ palma ſive Graveſonio, ſive duobus illis Apologetis, præ Raynaudo debeatur, eruditiores & humaniores Critici judicabunt. Certè tam quinque illi libri Apologetici, quàm laudatus Lilii Candor ſuam quoque ſedem inter libros prohibitos, non minùs quàm Raynaudi Diatribe de Immunitate Cyriacorum, obtinuêre. Vid. *Ind. Rom.* noviſs. p. 54. & 432.: id quod tamen dexterrimè diſſimulat Graveſonius, ſatis ſcilicet habens, ſi in Raynaudum ſe calami rancor exoneret: utpote quem & alibi (P. II. T. VII. p. m. 108 Colloq II.) *rugoſa frontis virum*, & *obducti ſupercilii Cenſorem* appellat. Quanquam quid contra hoſtem merè imaginarium Graveſonius pugnat? neque enim prætenſum Raynaudi li-

brum de Cyriacorum immunitate Societas noſtra pro legitimo unius de ſuis hominibus partu unquam agnovit, neque Southwellus noſter in Bibliotheca Scriptorum ſocietatis inter Raynaudi Opera Opus hoc nominavit: etſi cetera Hujus Scripta omnia (etiam illa, quæ in Romano Indice reprobata, ab ipſomet tamen recognita, rursúmque legi permiſſa) diſtinctè & ſine fuco recenſeat. Neque obeſt, quòd ſub Raynaudi nomine liber ille lucem aſpexerit; nam & reliquus Apopompæus, ſeu Tomus XX. Operum (in quo ipſo ea de Cyriacis lucubratio intruſa primùm prodiit) ſub ejusdem Raynaudi nomine fuit procuſus: quin tamen illum pro authentico opere Societas noſtra recipiat, ùt Soutwellus loc. cit. monuit. Neque enim conſciis Societatis noſtræ Superioribus, neque in Gallia aut in Italia, ſed in extero remotiſſimóque Poloniæ Regno, ſeu Cracoviæ, nec denique Raynaudo ſuperſtite, ſed poſtquam & ſcribere & vivere jam deſiêrat, Tomus hic additicius, velut poſthumus infans, in auras egredi ſuſtinuit. Quis verò neſcit, quàm proclive inter mortales vitium & antehac fuerit, & porro eſſe non deſinat, ut vel Scriptores vel Editores Anonymi ex graviſſimorum Virorum nominibus fraudis ſuæ patrocinium quærere, ſub eorundem velamine dentem calamúmque caninum tutò exerere, & operis *poſthumi* prætexto glaucomate lectori inſigniter imponere, denique vel opera integra Auctoribus non ſuis, & jam antè demortuis, temerè affingere, vel certè genuina aliàs Opera ſuis accrementis corrumpere, interpolare, & adulterare non reformident? Neque ſanè elogium illud, quod Southwellus noſter, bibliographus contemporaneus, partim ex documentis domeſticis, partim ex oculatis teſtibus, ſatis prolixum Raynaudo tribuit, cum illa libri de Cyriacis præſidentia congruit. Rectiſſimè igitur Southwellus hunc ùt ſuppoſititium, aut ab aliis alibi largiter interpolatum auctúmque è Raynaudi Scriptis expunxit, & putatitio Parenti ſuo, tot aliàs quà doctrinæ, quà vitæ religioſæ meritis conſpicuo, jure abjudicavit. Atque hæc de Graveſonii in Raynaudum duriore cenſura per criticæ hiſtoriæ leges paucis monuiſſe licebit. Superſunt adhuc alia, quæ in ipſomet Graveſonio Criticis improbanda videntur.

Nam in Hiſtoria ſua nullam ferme occaſiunculam prætermittit, quin vel ſententiam Thomiſticam de gratiæ divinæ auxiliis, prout *hodie* traditur (nam antiquitus illam, à D. Auguſtino & doctore Angelico fuiſſe traditam, non modò ſcholæ noſtræ Doctores, ſed & plurimi alii, non pietate minùs quàm doctrinâ præſignes, jure optimo & ſolidiſſimo negant) vel ſententiæ hujus Patronos Scriptoréſque Dominicanos copiosè atque mirificè prædicet. Imò pro ſyſtematis hujus prædeterminan-

minantis firmitate ac pene certitudine ita perorat Hiſtoricus Graveſonius, ut ſolius obedientiæ & patientiæ ſtudiô indictam à Summis Pontificibus ſilentii legem ſe ſervaturum promittat. Aît enim P. II. T. VII. Colloq. III. p. m. 112. 113. *Licèt Schola Thomiſtica ob reverentiam Decretis Romanorum Pontificum debitam, unô ſilentii, patientiæ & modeſtiæ clypeo nunc ſeſe tutetur, non tamen Gratiæ Divinæ, quam à Sanctis Auguſtino & Thoma accepit, tutelam ac defenſionem abjecit, quæ tot ei defenſores aluit, & etiamnum inſtruit, eorum manus docens ad prælium. Nunquam profectò hoc cœleſte ſibi commiſſum Depoſitum, in cujus Defenſionem omnis Dominicanus miles eſt, deſeret Schola Thomiſtica, defendendæ Sanctorum Auguſtini & Thomæ doctrinæ ſolenni juramento obſtricta, ſed paci ac modeſtiæ conſulens, juſſum ac judicium Romani Pontificis patienter præſtolabitur* &c. Digitum dein Lectori intendit ad fontem Graveſonius, unde lector *ſitim ſuam ad ſatietatem uſque explere* uberrimè *poſſit*, ſcilicet tum ad Acta Congregationum de Auxiliis, & Diſputationes Thomæ Lemoſii, quæ Lovanii prodiêre A. 1702, tum ad Hiſtoriam Congregationum, quam Hyacinthus Serry ſecundis curis & typis adornavit Antverpiæ Anno 1709. Verùm enimverò multò melius egiſſet Graveſonius, ſi juxta genuinaſtam Hiſtoriæ Criticæ, quàm ſincerioris Hiſtorici regulas lectorem etiam de Scriptoribus monuiſſet, qui contra geminæ illius Editionis Hiſtoriam, à Graveſonio commendatam, & prorſus inſinceram narratiuncularum fidem, ſolidiſſimis & indubitatis ex fundamentis calamum arripuêre: quorum nomina & lucubrationes ignorare Graveſonius non potuit. Inter hos vel maximè fuit Theodorus Eleutherius, ſive noſter Livinus de Meyer: cujus Volumina tum contra prætenſam illam Congregationum Hiſtoriam, tum contra ipſummet Serryum, quisquis attentè evolverit & authentica apud Eleutherium documenta rite comparaverit, ipſus haud gravatè cognoſcet, quo tandem in loco habenda ſit Serrii fides. Interim dum Graveſonius ſolo patientiæ, pacis, reverentiæ, & obedientiæ meritô Thomiſticam Scholam ſolatur: viciſſim Anti-Thomiſtæ invictâ ipſius Eccleſiæ, Sanctorum Patrum, & Concilii Tridentini auctoritate ſe firmant, quæ & liberrimum hominis arbitrium, & eam ſimul divinæ gratiæ indolem luculenter definivit, quam & homo amplecti, ſeu conſentire: & abijcere, ſeu diſſentire, actu liberrimè poſſit, ſi velit. Aſt hiſtoricum hìc, non Theologum ago.

P. III. Tomo VIII. Colloq. II. p. m. 45. ita de Molinæ controverſia ſcribit: "Vulgandæ quidem Apoſtolicæ definitionis fidem conceptis reſcripti ſui verbîs oppignoraverat Paulus V. at cùm nihil poſt illud Pauli Reſcriptum ab Apoſtolica Sede in Molinæ cauſa hactenus prodiêrit, quieſcere debemus, donec Pontificia ſententia prodeat,

" ac ſeduló cavere, *ne præcipiti cenſura inuratur, quod nondum ex præſcri-*
" *pto Juris ab Apoſtolica Sede proſcriptum eſt.* Et tamen mox in Colloq. III. p. m. 93. col. 2. Opiniones Molinæ *toleratas* appellat : perinde atque ſi placita Thomiſtica certiora, aut indubitata jam eſſent : proſcriptionis verò fulmen, ſi quod ſedes Apoſtolica ferret, non in ſententiam Thomiſticam, ſed in ſolius Molinæ *toleratam* opinionem foret contorquendum.

P. III. T. VIII. Colloq. V. p. m. 204. col. 2. denuo tacitè perſtringit illos Societatis noſtræ Scriptores, qui (ex Graveſonii phraſi) *ad ſuffulciendum recens excogitatum de gratia verſatili & de ſcientia media Molinianum ſyſtema libros procuderunt.* In Tabulis verò Chronologicis Tomo IX p. m. 113. poſtquam Seculi XVI hæreſes enumeraverat, è veſtigio ſubjungit : " *Ad has hæreſes*, quæ Seculo XVI ſimum Eccleſiæ " crudeliſſimè dilacerârunt, *accedunt duæ Controverſiæ, quæ eodem Seculo* " *turbas excitârunt. Prima Controverſia enata eſt in Hiſpania Anno 1588, quo* " *Ludovicus Molina novam liberi arbitrii cum Divina gratia concordiam vul-* " *gare cœpit.* In hanc Molinæ concordiam ſtatim inſurrexerunt Do- " minicani, acerrimi Sanctorum Auguſtini & Thomæ Doctrinæ de- " fenſores, & in Congregationibus de auxiliis Divinis coram Clemen- " te VIII. Pontifice maximo habitis, avitam Sanctorum Auguſtini & " Thomæ de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita doctrinam totis viribus & maxima gloriâ propugnârunt, & novam Mo- " linæ doctrinam omni argumentorum genere oppugnârunt, ſed pro- " pter intempeſtivum Clementis VIII obitum nihil definitum eſt. „ Utinam tam verè iſta, quàm gloriosè Graveſonius ! qui ſcilicet non dubitaverat, quin adverſus Molinam pronunciâſſet Clemens VIII, niſi obitus interceſſiſſet. Aſt falſum eſt *primò*, quòd *novum* ſit Molinæ ſyſtema, niſi *novam* pariter dicere atque arguere velis Concilii Trid. definitionem, cui Molinianum ſyſtema ex aſſe congruit. Falſum *ſecundò*: quòd ipſe Molina has in Eccleſia turbas excitârit; nam juxta ipſummet Graveſonium alii contra Molinæ concordiam inſurrexêre, qui ſi veriſſimam Molinæ ſententiam, utpote ex ſinceriore Concilii Tridentini & SS. Patrum Auguſtini & Thomæ doctrina petitam ſimiliter fuiſſent amplexi, procul dubio turbæ omnes fuiſſent abſterſæ, & cum concordia gratiæ etiam Doctorum animorúmque concordia ſarta tectáque manſiſſet. Quanta demum cum laude (ne dicam, gloriâ) & ſolidítate Scientiam mediam gratiæque indifferentis in liberrima voluntate defendendæ neceſſitatem tum olim, tum hodiedum propugnaverint atque propugnent ſententiæ hujus Patroni, haud paulò ſincerior Theodori Eleutheri lucubratio, & præclarorum Theologorum Volumina dabunt.

dabunt. Opus itaque haud fuit, ut odioſa illa Methateſi ſive Tranſitione uteretur Graveſonius, & cum hæreſibus antè narratis mox Molinæ Controverſiam ſubdolè colligaret.

Rurſus P. III. Tomo VIII Colloq. V. p. m. 192, ut ab oppoſita R. P. Thomæ Campanella, pariter Dominicani, & nihilominus gratiam Thomiſticam negantis, auctoritate ſe expediat Graveſonius, rotundè ait, quòd is *inferioris ſubſellii extiterit Theologus*; tum verò ſubjungit: *Non deſunt, qui ex libris, quos Campanella ſenior factus ſcripſit, evincunt, illum maturiori habita conſideratione, tandem aliquando reſipuiſſe, & præproperam in ſentiendo feſtinationem, quâ in juvenili ætate in peregrinas & à Schola Sancti Thomæ alienas opiniones abreptus fuerat, caſtigâſſe.* En Inſulſam (propè dixerim temerariam) Graveſonii dicacitatem, ſub Campanellæ nomine in ipſos Scientiæ mediæ Vindices reipſa injuriam! Dein l. mox cit. contra illos, qui Franciſcum Aravio, Ord. Prædic. Theologum Salmanticenſem, ſimiliter gratiam prædeterminantem inficiatum prætendunt, audaciſſimè inquit Graveſonius: *hanc Calumniam falsò impactam Franciſco Aravio multis momentis depellit noſter jam laudatus Hyacinthus Serry*; quaſi verò aut grande piaculum comiſiſſet Aravius, ſi eam gratiam cum tot aliis quà virtute quà ſcientiâ præcellentibus, certè Graveſonio neutiquam inferioribus Viris etiam ipſe negâſſet: aut citra *calumniæ* notam talis Eidem ſententia tribui nullatenus poſſet! Omitto plurima alia, quæ circa hoc Argumentum in præocupatiſſimi Scriptoris Graveſonii Hiſtoria ad nauſeam uſque aggeruntur, regeruntur, & oggeruntur.

Unum tamen diſſimulare nec libet, nec licet. Graveſonius, ut graviſſimam S. Franciſci Saleſii auctoritatem (quæ Scientiæ mediæ apertiſſimè favet) eludat veriùs quàm elidat, P. III. T. VIII. p. m. 213 Colloquium ſuum quintum ita bellè concludit: *Circumfertur quædam S. Franciſci Saleſii Epiſtola ad Leonardum Leſſium, Societatis JEſu, data die XXVII Aug. A.* 1618, *in qua ajunt, Sanctum illum Antiſtitem doctrinam Leſſii de Prædeſtinatione ad gloriam meritis prævisis nixa, ſuo calculo approbâſſe. Verùm ejusdem Epiſtolam, tanquam ſpuriam, Sancto huic Antiſtiti ſuppoſitam, & adulterinæ fœturæ partum, jure optimo exſufflant Viri eruditi, eo potiſſimùm nomine, quòd ſi hæc Epiſtola genuina certáque eſſet, ſuum omni procul dubio tot inter alias S. Franciſci Saleſii Epiſtolas, ſummo ſtudio, & diligentia conquiſitas, locum haberet. Porro certum eſt, hanc Epiſtolam, quæ proſtat ſub nomine S. Franciſci Saleſii, nullum inter ejus Epiſtolas locum habere, nec habuiſſe unquam; quod quidem argumento eſt, eam Sancto huic Antiſtiti aſſeri ac vindicari non debere, maximè cùm hujusce Epiſtolæ nullam prorſus mentionem fecerint diligentiſſimi S. Franciſci Saleſii Operum Editores, quos tamen conſtat, cetera quæque*

vel

vel minutiſſima hujus Viri Dei ſedulò collegiſſe Epiſtolarum fragmenta, eáque publica luce digna judicáſſe. Ita Graveſonius, qui dum Saleſii Epiſtolam exſufflat, ipſe Eruditis exſufflandum ſuâ culpâ ſe præbet. Tam enim futilis támque miſeranda eſt Viri hujus argutatio, ut, quisquis vel extimum pedem in Critices Tyrocinium intulit, Graveſoniani argumenti elumbe prorſus atque imaginarium robur non videre non poſſit. Quis enim eruditorum adeò delirat, ut de nihilo ſomniare mox auſit, de genuinis Saleſii literis nihil uſpiam terrarum reperiri, præter eas, quas jam impreſſa earundem Collectio refert? imò quis ex iis ipſis, qui Saleſii Epiſtolas quantumvis diligentiſſimè collegêre, tam ſui cerebri tenax aut tam ſimpliculus fuit, ut & perſuadere ſibi & ſpondere aliis fidentiſſimè poſſent, jam omnes per Europam chartariorum angulos à ſe rite fuiſſe excuſſos, omnésque Saleſii chartas & Epiſtolas, ubi ubi demum illa per Europam latitârint, jam fuiſſe detecta atque ad ſe fideliſſimè miſſa? Etiam Divi Franciſci Xaverii Epiſtolas in unum Opus collectas novimus, & hodiedum manu terimus; nemo tamen noſtrorum ad eam uſque credulitatem tam facilis erit, ut extra illarum cenſum nullas alias à Xaverio datas præfractiùs credat. Et unde probat Graveſonius, *primò* quòd eo tempore, quo Epiſtolarum D. Saleſii parabatur collectio, jam ad omnes omnino (qui pretioſas Saleſii literas eouſque penes ſe aſſervaverant) ea meditatæ collectionis fama pervenerit? *ſecundò*: quòd omnes, ejus collectionis jam conſcii, mox è remotioribus etiam terris ſingulos Saleſii apices Collectoribus communicaverint, & nemo uſpiam fuerit, qui cujuscunque demum argumenti Epiſtolas Saleſianas apud ſe vellet occultari? *Tertiò*: Quòd Collectores (ſi fortè hanc ipſam Saleſii de Prædeſtinatione Epiſtolam ad manus habuerint) ſive privatis ſuis, ſive aliorum, quorum intererat, rationibus impediti non fuerint, ne tam luculentum S. Saleſii teſtimonium & maximi ponderis auctoritatem Collectioni ſuæ inſererent? Sed quid moleſtiùs quæſtionem hìc urgeo? opus videlicet haud fuerat, ut Collectoribus exteris ſive apographam ſive autographam D. Saleſii Epiſtolam Hagiographi noſtri Antverpienſes incerto adhuc eventu transmitterent, utpote qui ipſi jam conſtituerant, pretioſum hocce depoſitum multò honoratiùs proſequi, & ad univerſorum notitiam non modò in Muſeo ſuo quibusvis petentibus exhibere coràm, ſed & publico æri quàm fideliſſimè incidere, longè utique majore ipſius Epiſtolæ gloriâ, quàm ſi vulgarem cum ceteris Epiſtolis locum in promiſcua Collectione accepiſſet. Dein ſi Graveſonii argumentatio tenet, etiam ſpuria & adulterina cenſeri debebit D. Saleſii Epiſtola, quæ hodiedum in Helvetia à Cœnobitis Einſidlenſibus ſervatur (etſi in edita hactenus

Col-

Collectione non extet) neque tamen in ullius fraudis falſitatisve vel minimam ſuſpicionem Calmetus teſtis oculatiſſimus & eruditiſſimus traxit. Vid. *Calmetus* in Diario Helvetico p. 44, Einſidlenſibus typis edito A. 1756.

Et quinam tandem illi Viri Eruditi, à quibus hanc Saleſii ad Leſſium Epiſtolam exſufflatam fuiſſe Graveſonius jactat? Nemini hactenus, inquit Cuperus noſter, Vir in re Critica atque Hiſtorica diu exercitatus (in Diſſertat. de Guzmannica S. Dominici ſtirpe pag. LI) " Nemini hactenus in mentem venit dubitare de genuina Epiſtolæ iſtius " fide, ſi excipias *Ignatium Hyacinthum Amat de Graveſon*, Dominica- " num, qui pretioſum illud inſtrumentum de ſuppoſitione vel fictione " arguere eámque Epiſtolam rotundè *ſpuriam*, & *adulterinæ fœturæ partum* " vocare non erubuit. Interim hæc autographa S. Franciſci Saleſii Epiſto- " la cuilibet, etiam contrariam ſententiam tenenti, humaniter ab ha- " giographis oſtendebatur, ùt plures experti ſunt ac teſtari poſſunt, " qui Muſeum Antverpienſe luſtrârunt. Ut autem Eruditi exteri, " qui nunquam in Belgium venerant, etiam ſinceritatis hujus noti- " tiam haberent, Joannes Baptiſta Sollerius piæ memoriæ Collega " noſter totam illam Epiſtolam æri fideliter incidi curavit, ac ita quo- " dammodo ipſum autographum multiplicavit, ùt Trivoltiani (ſcili- " cet in Memoriis Trivoltianis Anni 1729 menſe Julio p. 1305.) lo- " quuntur. Multa cælaturæ hujus exemplaria per Europam ſparſa " ſunt, iisque laudatus Sollerius addidit ſequentem monitionem: *Ce-* " *leberrima Sanctiſſimi Gebennenſium Præſulis & Principis Franciſci Saleſii ad* " *Leonardum Leſſium Epiſtola, propriâ ejus manu exarata, cum multis aliis* " *ejusdem Sancti autographis Epiſtolis ſæpiùs collata, eruditorum omnis gene-* " *ris & gentis oculis tot annis uſurpata, omnium calculis approbata, imò Ca-* " *tholicorum plerorumque venerabundis oſculis nonnihil fœdata, apud PP.* " *Societatis JESU, qui ſcribunt Acta Sanctorum, Antverpiæ religiosè aſſer-* " *vatur, adventantiúmque omnium conſpectui quotidie exponitur. Eadem* " *ipſa in variis Operibus ſeu tota, ſeu ex parte excuſa eſt; de cujus genuina* " *autographia nemo, quod ſciam, ſaltem oculatus vel dubitare auſus eſt ha-* " *ctenus, donec è Sacro RR. PP. Prædicatorum Ordine in ipſam impegit qui-* " *dam, cujus audax juxtà ac temeraria cenſura, Solem & Cœlum contra, ut* " *ad oculum convellatur, totam ipſam Epiſtolam, quanta eſt, ſecundum for-* " *mam, plicaturam, inſcriptionem, ſigillum, ceteróſque omnes omnino apices* " *æri inciſam hìc expando, ut ex notiſſimo toto orbe Catholico Sancti chara-* " *ctere refutetur calumnia, diſcátque inpoſterum præceps Criticus à tam Sacris* " *Sanctiſque monumentis calamum cohibere, quem turpiter hìc acuiſſe, exſe-* " *quenti extracto circumforanei Operis Saxo clarè perſpicias.* Deinde refe-

" runtur (à Sollerio) ipſa verba Graveſonii : *Circumfertur quædam S.*
" *Franciſci Saleſii Epiſtola ad Leonardum Leſſium* &c. *Luce digna judicáſſe.*
" Hucusque Graveſonus: *cujus* (ùt pergit Cuperus) *argumentum merè*
" *negativum* (*propter iſtud argumenti genus RR. PP. Prædicatores non parùm*
" *de me conquesti ſunt*) *Joannes Baptiſta Sollerius breviter diluit his verbis :*
" *Quæ argutandi ratio ſi ſubſiſtat , jam ſpuriæ ſunt , ſuppoſitæ ſunt , adulteri-*
" *næ fœturæ partus ſunt , quotquot usquam extant ejusdem Sancti literæ , &*
" *hìc in Belgio , & alibi , quæ in dicta earum collectione non reperiuntur.*
" *Quod pari argumento dixeris de literis Pontificiis , & ſexcentis aliis monu-*
" *mentis , quæ quotidiè erui , quis vel tiro in hisce rebus ignorat ? ut ex eo*
" *ſpecimine colligas , quanti faciendæ ſint tot aliæ id genus Hiſtorici in eodem*
" *Opere* (ſive Hiſtoria Eccleſiaſtica) *cenſuræ. Locum hìc habeat præ-*
" *mia : Ex ungue Leonem.* Ceterum (ſubjungit Cuperus) hæc Epiſto-
" læ Saleſianæ ſinceritas , ab annis undecim tam clarè demonſtrata ,
" ſufficere videbatur , ut Graveſonus inconſideratam ſuam cenſuram
" revocaret. Sed hactenus nullam temerarii iſtius judicii retractatio-
" nem vidi. " Ego, quod Cupero atque Sollerio hìc addam , non habeo , niſi quòd aut nulla penitus autographa Saleſii Epiſtola ſuperſit, aut quòd etiam illa, quæ ad Leſſium inſcribitur , legitimis ſit accenſenda, cùm & hujus & illarum , quæ pro autographis habentur , conſummata ſit ſimilitudo atque conformitas. Quare cùm aſſerere primum ſit ſumma temeritas & contra veritatis torrentem obſtinata dicacitas, etiam ſua laudatæ ad Leſſium Epiſtolæ ſinceritas atque authoritas integerrima ſtabit. Vid. de hac Epiſtola præter Theodorum Eleutherium L. I. C. VI. p. 13 & 14. recentiſſimus Scriptor Theologus Joſephus Gravina in Libro tripartito , cui Titulus : *Frattenimenti Apologetici Sul Probabiliſmo* &c. typis Palermitanis an. 1755. P. I. Dialogo XXX à n. 420. p. 329.

Denique, ne in ſolos ſcientiæ mediæ & gratiæ indifferentis Patronos injurius ſit Graveſonius , etiam in pientiſſimos doctiſſimósque Theologos Probabiliſtas præpoſterum Zelum exercet, & P. III. Tomo VIII Colloq. V. p. m. 204. 205 è Theologorum Societatis noſtræ Catalogo excludit Sanchezium , Tannerum , Tamburinum , Eſcobarium , Azorium , Filliutium , Sanctium , Baunium , Reginaldum , Maſcarenham, Buſenbaum , & alios benè multos : *quia* ſcilicet (inquit Graveſonius , ſpecioſior quàm ſolidior rigoriſmi Zelotes) *ut candidè fatear , in his , quæ ſpectant ad diſciplinam morum , non mihi probantur multa ab eis aſſerta Placita ; ſed alios longè antiquiores & ſecuriores Duces hactenus ſecutus ſum , quorum libri inoffenſo pede legi poſſunt , utpote immunes ab his morum corruptelis & perniciosis laxitatibus , quas Summi Pontifices Alexander*

der VII, Innoc. XI, & Alexander VIII. proſcripſerunt. Non poſſum tamen, quin ſummis laudibus efferam, Thyrſum Gonzalem, Præpoſitum Generalem Societatis JESU, qui Seculo XVII, hoc eſt, Anno 1687 librum Romæ typis edidit, in quo probabiliſmum datâ operâ impugnat, & invictè demonſtrat, in conflictu duarum opinionum, quarum una minùs probabilis, altera probabilior eſt, eligendam eſſe probabiliorem, quæ ſtat pro lege, relicta opinione minùs probabili, quæ favet cupiditati, ſuámque doctrinam confirmat teſtimoniis doctiſſimorum Theologorum Societatis JESU, præſertim Pauli Comitoli, qui probabiliſmi aliarúmque in doctrina morali laxitatum fuit acerrimus inſectator. Hanc Thyrſi Gonzalis contra Probabilitatem ſententiam mordicus propugnârunt in Gallia duo ejusdem Societatis JESU perdocti Theologi Franciſcus Malatra, & P. Giſbertus, qui novum probabilitatis commentum, ex quo periculoſæ opiniones, & variæ morum corruptelæ eruperunt, publicis lucubrationibus exploſerunt, confutârunt, profligârunt, atque ſolidis momentis propulſârunt calumniam, quam jactitant nonnulli, qui doctrinæ de vaga probabilitate inventionem Theologis Societatis JESU acceptam referunt, aut ejus defenſionem toti Societatis JESU Scholæ falsò imputare præſumunt. En, quàm audacter, falsò, atque protervè ex Probabiliſmi doctrina *novum commentum*, quàm *varias morum corruptelas*, *perniciosas laxitates*, *cupiditatis incentiva*, *periculoſas opiniones* Graveſonius exſculpat, fingat, ac crepet! viciſſim verò quanta cum jactantia & ſeſquipedalibus verbis Probabiliſmum *exploſum*, *confutatum*, *ac profligatum*, Probabilioriſmum *invictis demonſtrationibus* firmatum proclamet atque declamet! ſine propriæ quidem mentis calamíque horrore, at non ſine palmari tot inſignium ex omni Ordine Theologorum & Probabiliſmi vindicum injuria, quorum & numerus longè major, & eruditio non minor, nec impar ingenium, nec inferior probitas, argumenta verò multò ſolidiora, neutiquam certè minora; prout illi agnoſcent, qui utriusque partis momenta non obiter & perfunctoriè, ſed altius ac penſiculatiùs rimantur, & hinc quidem pias pro lege conjecturas, ſimúlque ineluctabilia exinde intricandæ mentis incommoda, illinc multò ſolidiores veréque Theologicas pro legis abſentia & libertatis præſentia rationes reflexa, quod dicimus, mente rite cribraverit.

S. GREGORIUS TURONENSIS Epiſcopus, qui anno 594 aut 95 mortalitatem expleverat, varia ingenii laborísque monumenta reliquit. I. Libros X Hiſtoriæ Francorum, quos dein Fredegarius continuavit. II. Libros duos de Miraculis Martyrum. III. Librum unum de gloria Confeſſorum. IV. Libros quatuor de Miraculis S. Martini Turonenſis. V. Librum unum de Vitis PP. in XX capita ſive libellos diſtinctum. Extat Gregorii Hiſtoria Francorum Imò in Corp. Hiſt. Franc. ſinceræ & S. GREGORIUS TURONENSIS.

Veteris apud Freherum. 2. Apud Du-Cheſnium T. I. Script. Franc. 3. Apud Ruinartium, qui Opera omnia Gregorii Pariſiis in folio edidit an. 1699. 4. Separatim Pariſiis excuſa typis Morellianis an. 1561.

Non eadem eſt apud omnes Criticos Gregorii auctoritas. Jam enim Seculo IX Hilduinus Abbas San-Dionyſianus & Ludovici pii Cæſaris Archi-Capellanus, cùm S. Gregorium Turonenſem in quæſtione de S. Dionyſio Pariſino & hujus in Gallias miſſionis tempore ſibi haberet contrarium, ad hujus auctoritatem enervandam, ſuam verò opinionem ſtabiliendam ita ſcripſerat: *Parcendum eſt ſimplicitati Viri religioſi Gregorii Turonenſis Epiſcopi, qui multa aliter, quàm ſe veritas habeat, æſtimans, non calliditatis aſtu, ſed benignitatis ac ſimplicitatis vote literis commendavit. Patenter equidem noſcere poſſumus, non adeò quædam ſolerter eum inveſtigâſſe; cùm ei contemporalis exiſtens Vir prudens & Scholaſticiſſimus Fortunatus, qui plura ad eum & frequenter ſcripſerat, hymnum rithmicæ compoſitionis pulcherrimum de iſto glorioſiſſimo martyre compoſuerit, in quo commemorat, eum à beato Clemente deſtinatum, ſicut in Latinorum paginis didicit.* Vid. Surius in Vitis SS. ad diem IX. Octobr. Pagius T. III. Crit. ad an. 834. n. 12. quo ipſo in loco, uti & T. II. ad an. 533. n. 8. pluribus ab exemplis advertit Pagius, Gregorium Turonenſem non modò de iis, quæ extra Gallias geſta, ſed & de illis, quæ intra Gallias primis ſaltem Eccleſiæ Seculis contigêre, plerumque non ſat rite fuiſſe edoctum. Quod ipſum etiam affirmat Baronius in Martyrologio Romano ad diem IX Octobris, in Scholiis de S. Dionyſio. *Theophilus* noſter Raynaudus in Indiculo Sanctorum Lugdunenſium (Vid. *Acta SS.* Antverpienſia T. V. Junii in vita S. Irenæi, in Comment. præv. n. 2.) etiam ſomniculoſitatis arguit Gregorium circa perturbatum narrationis ordinem, qui de Vettio Epagato S. Polycarpum ad coronam ſecuto in Gregorii Hiſtoria legitur. Omnium verò immodeſtiſſimè de Gregorio ſenſit & ſcripſit Hadrianus Valeſius, Vir aliàs (ùt eum Henſchenius noſter appellat T. ultimo Maji in Exegeſi Prælim. de Epiſcopatu Tungrenſi C. III. n. 13.) *eruditiſſimus déque re literaria in multis bene meritus.* Nam in rerum Francicarum Tomis à ſe conſcriptis (quorum complures textus allegat Henſchenius l. c. C. IV. n. 21. 22.) paſſim Gregorium liberrimè carpit Valeſius, & nunc illius *errores circa Francorum origines*, nunc *ejus ſilentium circa primos Reges*, ac præcipuè Pharamundum, alibi etiam *fabellas ſcriptis ejus infartas*, item *contradictiones manifeſtas*, & oblivioſum calamum, nimiam denique in ſcribendo ſecuritatem, ſatyricè propè redarguit.

Verùm nihil admodum ſeveriora iſthæc de Gregorio judicia prohibuêre, quin & à Carolo Cointio in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum

rum ad an. 417. n. 9. & ab Henſchenio l. c. n. 22. & à Papebrochio T V. Junii l. c. n. 2. *Hiſtoriæ Francicæ Parens & Pater* pro merito ſuo ſit dictus, & etiamnum mereatur ſic dici; eſto, quòd falſitatis aut erroris notâ v. g. circa Trojanas Francorum origines, ejus libri non vacent: quo ſanè fato nec cujusquam alterius, ſive qui ante, ſive qui poſt Gregorium ſcripſêre, Hiſtoria caret. Imò non pauca menda librariis potiùs aut interpolatoribus, quàm ipſimet Gregorio tribuenda, Hagiographi noſtri paſſim inculcant: v. g. T. V. Junii l. c. n. 2. & 3. T. I. April. p. 748. cap. I. in vita S. Perpetui Ep. Turon. n. 2. Certè non defuêre, qui (ùt in cit. Exegeſi Prælim. p. XLII. n. 76. Henſchenius monet) contra aliorum tam editorum quàm ineditorum Codicum fidem in Gregorii Hiſtoriam integra etiam capita ex ſic dictis *Geſtis Francorum*, oppidò fabuloſis, intrudere non dubitârunt. Rectiùs itaque etiam in aliis, quæ irrepſêre, erratis (quantum ratio ſinit) excuſari potiùs quàm perſtringi debebit Gregorius, non virtute modò ſed & ſcientiâ clarus; cujus Hiſtoria quantò antiquior eſt, tantò magìs per frequentium tranſcriptorum incuriam aut annoſam interpolatorum licentiam ſenſim potuit transformari. Neque Hagiographi noſtri à Scriptoris tam venerandi antiquitate ſe facilè ſinunt avelli (niſi fortè neceſſitas cogat) ùt tum ex locis jam citatis, tum ex peculiari Henſchenii Diſſertatione de obitu S. Ambroſii, quæ Tomo I. Aprilis præmittitur: dein T. ultimo Maji ex Prælim. Exegeſi de Epiſc. Tungrenſi, præcipuè C. X. item T. V. Junii p. 552 ex animadverſione Papebrochii: & T. IV. Aug. p. 436. n. 11. in vita S. Privati Ep. M. ex reſponſo Cuperi, abunde colligitur. Quid quòd in ipſo Launoyo, Zoilo aliàs rigidiſſimo, egregium ſui laudatorem & contra illaudabile Hilduini judicium Vindicem ſtrenuum habuerit Gregorius? ùt videri poteſt Tomo II Operum Launoii recent. edit. à p. 124 & rurſus pag. 406.

Denique quod Hadrianum Valeſium, Gregorii cavillatorem, peculiariùs attinet (nam Rivetum heterodoxum, quem Labbeus T. I. Script. Eccleſ. *verbò*: Gregorius Turon. *omnium verè Francorum execratione digniſſimum* Scriptorem jam compellavit, & Riveti ſequaces nihil hìc moror) Valeſium ſatis jam confutavit Henſchenius in laudata Exegeſi Prælim. C. IV & X: neque malè in eundem ipſamet ſua verba retorſit cap. IV. n. 22: *Verè Valeſi, quæ Gregorio imputantur, mutato nomine de Te fabula narratur. Tua illa, tua eſt nimia ſecuritas, dictorum oblivio, ne dicatur negligentia. Videris mihi cum Jucundo* (Preſbytero minùs verace & XI Seculi exeuntis Scriptore, cujus ſcilicet jam Cap. II. n. 9. 10. 11. 12. Henſchenius meminerat) *clamare: hæc mirantur, qui nulla*

Scripta rimantur, & dicta negare non poterit, quisquis antecedentia diligenter attenderit. Imò vel ſolum iſtud quale eſt ? quod relato obitu S. Gregorii addis, à te errores Gregorii refelli, ne quis poſthac tam Veteris hiſtorici auctoritate deciperetur. Præclara enimverò reverentia eſt tua erga tantæ auctoritatis Virum, & Hiſtoriarum Galliæ antiquiſſimum & primum Parentem, & ob vitæ probitatem inter Sanctos ab Eccleſia relatum. Quanta profectò Valeſii ſeu contradictio fuerit, ſeu dictorum oblivio, vel ex eo ſatis conjectaverit Lector, quòd (ùt Papebrochius refert P. I. Reſponſ. contra P. F. Sebaſt. à S. Paulo Art. XI. §. IV. n. 21) Valeſius in Ep. ad Amicum ſuper argumento de Dionyſii Areopagitæ à Pariſino differentia Gregorium Turonenſem (quem ſcilicet in hac quæſtione ſibi faventem viderat) *præſtantiſſimum* vocet *ætatis ſuæ Hiſtoricum, ſcientiſſimum inſuper rerum Gallicarum atque Francicarum, omnibúsque æſtimatiſſimum titulò nobilitatis, Virtutis, & eruditionis præclaræ.* Quæ præconia quàm diverſa ſint ab iis cavillationibus, quarum ſuprà ex Valeſio meminimus, nemo non videt, ſimúlque enormem Valeſii inconſtantiam, nunc calidam, nunc frigidam, non poterit non demirari aut indignari.

GUNDLINGIUS. GUNDLINGIUS Nicolaus Hieronymus, Halæ Magdeburgicæ Profeſſor, præter ſingularem librum de Henrico I, vulgò Aucupe: Diſſertationem de Statu Reipublicæ Germanicæ ſub Conrado I: complures item Tomulos, *Otia Gundlingiana* dictos: etiam edidit Hiſtoriam Imperii Romano-Germanici, cui titulus: *Nicolai Hieronymi Gundlings ausführlicher und vollſtändiger Diſcours über deſſen Abris einer rechten Reichs-Hiſtorie &c. Franckfurt und Leipzig Anno* 1732. Atque hæc Hiſtoria, etſi de politicis & Genealogicis Germaniæ rebus non pauca ſcitu digna contineat, non immeritò tamen apud ſinceriores quoscunque Criticos, & maximè orthodoxos (quibus ruboris adhuc aliquid & verecundiæ ineſt) graviſſimè vapulat propter frequentiſſimas, quæ inſperſæ ſunt, falſitates, mendacia, fabulas, criminationes, Scommata, ipsámque ſtyli nunc joculariter, nunc ſcurriliter ſubſultantis petulantiam: unde ad primi generis balatrones & proſcribendos Auctores Gundlingius eſt ablegandus: ſi tamen ipſe totius (prout eandem ſub ejus nomine, primùm poſt Viri fata, nunc excuſam habemus) Hiſtoriæ genuinus ſit Auctor. Ego de quamplurimis pauciora decerpo, atque ut ſingulos abſurdiſſimæ Scriptionis apices fideliùs exprimam, vernaculi pariter (quo uſus eſt Auctor) idiomatis verba transſcribo.

Paginâ 233. §. 28. Es ware damahls ſchon der Pabſt in groſſer Auctorität, und wurde alles von Rom aus dirigiret. Er hat auch damahls

mahls (ſub Lud. Pio) ſchon viele Suppoſititios Canones ediret, und ſeine Auctorität ſehr etabliret. Blondell in ſeinem Pſeudo-Iſidoro hat gezeiget, wie der Pabſt immer einen falſchen Canonem und Epiſtel nach der andern ſupponiret, und ſeynd wir dem Blondell infinement verbunden, daſs er uns die *Schelmerey* entdecket &c.

Pag. 233. §. 31. Lotharius (I) kam mit ſeinen Trouppen aus Italien, und brachte den Pabſt Gregorium IV mit ſich. Dieſer thate, als wann er in Teutſchland Frieden ſtiften wolte, welches aber ſeine wenigiſte Intention ware. Ludwig (Pius) aber war einfältig, und dachte nicht, daſs die Welt böſs ſeye. Er hatte kein Reſolution, da doch ein groſſer Herr alle Boſsheiten der Menſchen wiſſen und überlegen ſoll, daſs er nicht trauen darf, weder ſeinen Unterthanen, noch ſeinen Kindern, oder dem Pabſt, der immer neue Liſt und Ränke erdachte. Dann junge Leute ſeynd ambitieux, und die Crone iſt quelque choſe de brillant. Gleichwie man alle Filouterien im Spiel wiſſen muſs, damit man ſich nicht betriegen laſſe, ſo muſs auch ein Fürſt auf alle *Spitzbubereyen* dencken, wann man mit ſolchen Leuten zu thun hat.... Der Pabſt gieng zu Ludovico, und ſtellte ſich, als wollte er Freundſchaft ſtiften. Kaum aber war er wieder weg, ſo gieng die ganze Armee Ludovici über. Dann der Pabſt hatte ſie zum Abfall beredet. Der *Bärenheuter* Paſchaſius Ratbertus (qui tamen inter Sanctos colitur) in vita Walæ gibt dieſes vor ein Miracle aus. Allein alle Betrüger, die es nur ſo anfangen, können ſolche Miracles thun. Alle Scriptores coævi (patentiſſimum mendacium) attribuiren den Abfall derer Soldaten denen Tückiſchen Perſuaſionen des Pabſts.

P. 235. §. 36. Selbſt der *verfluchte* Wala (ſimiliter Sanctus) riethe ab, daſs Lotharius ein ſolch Bubenſtuck an ſeinem Vatter begehen möchte. Der *Erzböſswicht* (ſcilicet Wala) merckte nun &c.

P. 237. §. 43. nunmehro wurde der Pabſt (Gregorius IV) vor die dem Lothario geleiſtete Dienſt bezahlt. Dann Lotharius machte dem Pabſt tauſend Verdrieſslichkeiten in Rom: wie er dann ein Betrieger von Profeſſion war, der viel verſprach, und hernach lauter intriguen machte, keine Parole hielte, und auf nichts, als Betrügereyen umgienge. Dem Pabſt machte er das Leben ſauer... und vexirte den alten Vatter zu Rom dergeſtalt, daſs er vor Chagrin einen Blutſturz bekam, und ſtarb.

P. 254. §. 94. Launoy ein Doctor Sorbonicus ſcripſit de Jure regio circa matrimonia, da er zeiget, wie unrechtmäſſiger Weis der Pabſt ſich in die matrimonia gemiſchet. Wann der Pabſt Dieſes hat,

ſo

ſo kan er groſſe Herren ſcheren, wie er will. Dann nebſt dem Hunger und Durſt iſt die amour die gröſte incommodität des Menſchen. Der Pabſt aber behält ſich die Freyheit zu diſpenſiren, und alſo groſſen Herren Douceur, und auch Widerwillen zu machen... Launoy hat viele Fablen in der Päbſtlichen Kirche entdecket. Monſ. Patin ein Medicus in ſeinen Lettres, die mit einem ſtile paſquinade geſchrieben, ſagt daher artig von ihm: wann er fortführe, und ſtriche alle Tag einen Heiligen aus dem Calender, ſo wurden wir bald einen Römiſchen Calender haben ohne Heiligen. Er war ein Tod-Feind von dem Imperio Pontificis, wie die Doctores Sorbonici faſt alle ſeynd. ... Monſieur Blondell zeiget, wie der Pabſt ratione matrimonii allerhand ärgerliche Sachen eingeführet habe. Dann er ſuchet nur mit ſeinen Diſpenſationibus die Leute ums Geld zu ſchneuzen; daher hat er auch die Gradus prohibitos weiter extendiret. Man möchte zwar ſagen: es iſt doch nicht recht, daſs Lotharius (Junior) die Waldradam (repudiata legitima conjuge Teutberga) geheyrathet. ... Reſpond. Es iſt wohl wahr, es excuſirt es auch kein Scriptor coævus. .. Dieſem allen aber ungeachtet, ſo hat doch der Pabſt nicht Urſach gehabt den Lotharium zu excommuniciren, und nach Rom zu citiren. Man laſſet es eines jeden Herrn ſeinem Gewiſſen anheim geſtellt ſeyn. Lotharius hätte ſie zwar nur mögen heimlich haben. Hat doch auch David und Salomo es auch ſo gemacht.

P. 742. §. 198. Der Pabſt Joannes XXII, ein klein-ſchmales ambitieuſes Silicernium... Er war ein Melancholiſcher und Metaphyſicher Kerl.

P. 908. §. 207. Nicolaus V... ein ſchlauer Kerl.

P. 909. §. 209. Wer den Päbſtlichen Thron behaupten will, der muſs noch einmahl ſo viel Liecht und Fourberien gebrauchen, als ein anderer.

P. 910. §. 213. Der Pabſt aber hielt ſie (Concordata) nicht einmahl, wie ſelbſt der P. Simſon in ſeinem Tractat des Origines revenües Eccleſiaſtiques angemercket, und es publicè geſaget hat, ob er gleich Catholiſch iſt. Er ſaget: es machet der Pabſt ein Concordat in ſui favorem; darnach macht er wieder ein neues, und kehret das alte um. Denn er iſt inſatiabilis, und möchte gern die ganze Welt haben, die er hernach denen Layen in feuda geben wurde.

P. 657. §. 26. Des Pabſts Macht war zu gros, er nennte die Kayſer und König gleich filios Satanæ, und that ſie in Bann; davor hat ſich Rudolphus (Habſpurg) gefürchtet. Wann ein Lutheraner drüber

ber kommt, ſaget er, Rudolph war ein Pfaffen-Freund. Ja der Pabſt war zu mächtig; das machte die Superſtitio, und wann die Leute in der Finſternis ſeynd, wie ſie damahls geweſen, ſo kan man ihnen alles weis machen. Darum hat er ihm flattiret.

Pag. 1044. §. 35. Der Pabſt (Clemens VII) retirirte ſich nach der Engels-Burg; aber die vier Baſtions, die der 4. Evangeliſten Nämen haben, konnten ihn nicht defendiren, die Engel wollten ihm auch keine Speiſen bringen, wie dem Habacuc; alſo muſte er ſich doch endlich gefangen geben. Alſo war Carolus V auch maitre vom Pabſt. Er ſtellte ſich, als wann es ihm leid wäre, aber er war doch in Willens, ſolchen nach Spanien bringen zu laſſen, welches ihm aber einige, in Anſehung der Bigotterie, widerriethen. Indeſſen lies er auf denen Canzlen in Spanien vor ihn bitten, thät alles, als wann es wider ſeine Ordre geſchehen wäre.

P. 454. §. 103. Mann gibt ihr Schuld (der Mathildi) ſie habe mit Gregorio VII Liebes-Intriquen geſpielet, wiewohl er doch dazumahl ſchon ein alter dürrer Mann war. Allein ein Schwefel-Hölzgen brinnt auch. Maymburg meynet zwar nicht, daſs er mit Ihr zugehalten, aber es wäre doch verdächtig, daſs er ſo oft allein bey Ihr geweſen.

P. 462. §. 137. Der Pabſt (Urbanus II) war ein müſſiger Kerl, und hatte immer neue Inventiones, die Welt in Unruhe zu ſetzen. Nun war das Dichten und Trachten auf das Inveſtitur-Recht, und auf die Schwächung der Kayſerlichen Autorité gerichtet; daher vvolte er den Kayſer gern vom Halſe los ſeyn. Er ſchickte Ihn alſo in das gelobte Land, vvelches die Saracenen damahls inne hatten. Seine Helffers-Helffer, die Dominicaner (qui tamen in rerum natura tunc necdum exiſterant) fiengen an, das Creutz zu predigen. Sie poſtillirten: Iſt das nicht zu erbarmen? die Unglaubigen haben den Stall, vvo JESUS gebohren vvorden. Sie haben Jeruſalem und Golgatha, vvo JESUS gecreutziget worden. Die Leute fiengen an Reliquien aus dem Lande zu hohlen, und zu vvallfahrten. Iſts nun nicht beſſer, vvann vvir Jeruſalem ſelber haben? daher muſten ſich die Fürſten darzu gebrauchen laſſen.

P. 1085. Dieſer Pabſt (Paulus IV) hatte nichts als Krieg und Unruhe im Kopf, und doch affectirte er vitam contemplativam, und damit er den Schein haben möchte, daſs er ein Feind des Intereſſe vväre, ſo hat er den Nepotiſmum abgeſchaffet. Man kan hier des Fratre Paolo Sarpi, der ſich auch zuvveilen P. Soavem genennt, ſeine Hiſtoriam Concilii Tridentini gebrauchen. Die Venetianer haben immer einen, der ihre Jura defendiret, und das vvar dieſer Paolo: er

hat auch mit einem bon ſens geſchrieben. Der Pabſt hat ihm den Pallavicini entgegen geſetzt; der Paolo iſt hernach umbracht vvorden. Man glaubte, daſs der Pabſt die Banditen beſtellt, die ihn um das Leben bringen müſſen.

P. 174. §. 28. Carls (des Groſſen) intention vvare, die Sachſen zu bekehren, und vveil ſie dazu keine Luſt hatten, ſo gieng er grauſam mit ihnen um... Man macht es heut zu Tag faſt nicht beſſer, und vvann man gleich nicht allemal die Leute par force bekehren vvill, ſo toleriret man ſie doch nicht, vvelches faſt eben ſo ſchlimm. Will man recht gehen, ſo laſſe man das Evangelium predigen, und ſein Liecht leuchten vor denen Leuten, daſs ſie unſere gute Wercke ſehen. Sehen ſie dieſes, ſo vverden ſie ſchon folgen. Man brauchet keiner force, daſs man ſie klug mache. Zvvingt man ſie, ſo vverden es Heuchler, vvelches GOTT ſo vvenig gefällt, als vvann ſie Heyden geblieben vvären..... Was hat Louis der XIV nicht gethan? vvie hat er die Leuth nicht dragoniſiret? vvie iſts nicht auch andervvärts hergangen?

P. 239. Kurz vor ſeinem End (Ludovici Pii) ſtunde ein Comet an dem Himmel, darüber erſchrack der arme Kayſer, die ſuperſtitieuſe, melancholiſche Seele, als vvelcher gar keine vigilance bey ſich hatte &c.

P. 399. à §. 399. Er (Henricus S.) vvar eine ehrliche gute Haut: .... Er war auch impotens, doch meynte er immer, er vvollte noch Kinder bekommen... Er lieſs auch einige Wort mit einflieſſen, pro prole ſua, quam ſperabat &c. Dieſes ſtreitet auch ziemlich cum conjugio virgineo, vvelches er mit Ihr geführet haben ſoll. Es klingt wunderlich: ich nehme dich zur Ehe, daſs du meine Schweſter ſeyn ſollt. Conjugium Virgineum eſt contradictio in adjecto. Furetiere hat beſſer raiſonniret: Coucher & manger enſemble c' eſt mariage ce me ſemble. Ich dencke, dieſe Legende ſey daher kommen, da Henricus ſahe, daſs er impotens, ſo hat er durch dieſen heiligen Mantel ſeine Schand bedecken wollen.

P. 1080. §. 104. Wie er (Carolus V.) ſich im Cloſter aufgeführet, wäre viel zu ſagen.... Die Mönchen waren, wie ordinair, ſehr faul; einmal weckte er einen ſehr frühe auf, welches ihn ſo ſehr verdroſs, daſs er ſagte: er hätte in der Welt ſo viel Unruhe gemacht, nun könnte er ſie auch nicht raſten laſſen.... Im Cloſter wollte er die Uhren ſo richten, daſs ſie in einem Moment alle zugleich ſchlügen. Er brachte es aber nicht zu Stande; drum ſagte er: kan ich nicht ſo viel zuwegebringen, daſs dieſe Uhren zugleich ſchlagen,

warum

warum habe ich mir dann die Mühe gegeben, die Religionen zu vereinigen?

P. 1081. §. 106. Dieſes muſs man doch ſagen, daſs er (Carolus V.) herrliche Qualitäten gehabt, das artificium ſimulandi und diſſimulandi verſtunde er accurat... Wie er den Pabſt in der Engelsburg gefangen, lieſs er auf den Canzlen vor ihn bitten... Alle Amours vvären noch zu pardonniren, aber die mit ſeiner eigenen Schvveſter ſeynd zu extravagant, und ſie vvollte doch als die Keuſchiſte angeſehen ſeyn, konnte auch keine ideam verecundiæ alicujus per indirectum leiden; man kan hier mit Recht von Ihr ſagen, vvas Moliere von Ihr ſagt: ſie vvar viel keuſcher an ihren Ohren, als an ihrem Leibe.

P. 1080. §. 102. Er begab ſich nach dem Cloſter S. Juſti in Spanien... und lieſs ihnen (Churfürſten) melden, daſs er das Reich nicht länger vervvalten könnte; er müſte ſich nach dem Himmel umſehen. Es mag auch vvohl vvas dran gevveſen ſeyn, das Gevviſſen mag ihn zimlich gebiſſen haben. Carolus V. hatte vortrefliche Qualitäten, aber auch groſſe Laſter, ſonderlich mag ihme der inceſtus nahe gegangen ſeyn. Es iſt ſolches certiſſimum, man darf nur beſagten Bayle leſen, ſo vvird man ganz convincirende marquen finden, und ſeit der Zeit, daſs Monſr. Monoye die Menagiana vvieder ediret, und noch zvvey Bände dazu gethan, ſeynd auch noch mehr particularia bekannt vvorden.

P. 1081. §. 107. Man diſputiret, ob er (Carolus V) Lutheriſch iſt geſtorben; vvenigſtens iſt nach ſeinem Tode ſein Beichtvatter, der P. Conſtans, in die Inquiſition kommen, und ob er gleich ſchon geſtorben, haben ſie ihn doch in ſeinem Habit verbrannt. Der Prinz von Oranien hat auch entſetzliche Sachen von Philippo II geſchrieben; er ſagt: er habe ſeines Vatters (Caroli V) Gebein vvieder ausgraben, verbrennen, und aufs Meer ſtreuen laſſen, aus der Urſach, vveilen er gemeynet, man hätte ihn verdächtig gehalten, als vvann er Lutheriſch geſtorben &c.... Daſs er aber (Carolus V) von denen Proteſtanten eine gute Opinion gehabt, iſt kein Zvveifel; er hatte ſchon einen bon ſens, und vvar kein Bigot, ſo man aus dem Exempel des Pabſtens leicht ſiehet.

P. 1158. §. 308. Ferdinandus II. ſtarb anno 1637... Er lieſs ſich mit vielen Reliquien bedecken, und meynete, er müſte in Himmel kommen, vvann er gethan, vvas ihm die Päbſte vorgeſchvvatzet... Er vvar ein Herr von groſſem Glück, deſſen er ſich misbrauchte. Von einem appanagirten Herrn iſt er Kayſer vvorden; hätte er

ſeine Deſſeins bey Seite geſetzt, ſo vvurde er vveit gröſſer gevveſen ſeyn. Er vvar vigilant genug... aber ſeine Superſtition machte, daſs er nichts hielte. Er hat ſo viele tauſend Seelen ſeiner Superſtition aufgeopferet, und Teutſchland ſehr confus gelaſſen; daher er auf ſeinem Tod-Beth ganz conſternirt vvar. Die Jeſuiten vvaren an Allem Schuld, vvelche ſeine falſche Propheten vvaren.. Seine Bigotterie iſt ihm ſehr ſchädlich gevveſen, und daſs er ſich von ſeinen Premier-Miniſtres lencken, und von Maximiliano von Bayern in die Karten ſehen laſſen.

P. 1090. §. 124. Maximilianus II. vvar ein Prinz, der eine groſſe Opinion vor ſich hatte. Die Proteſtanten glaubten, daſs er ihrer Religion zugethan vväre, ſo ſich auch in der That ſo verhielte. Selbſt der Cardinal Commendon hat es geſchrieben. Er lieſs vvohl Catholiſch predigen, vvievvohl er auch dieſen Predigeren ſagte: ſie ſollten kluge Sachen vorbringen. Auſſer dieſen kam aber einer in einem grauen Rock, mit Degen und Stock, der hat ihm Lutheriſch geprediget: das hat Commendon auf ſeiner Reiſe, die er über Wien nach Pohlen gethan, obſerviret.. . Es vvar recht par inclination, hat auch überall (Maximilianus) die Lutheriſche Lehr etabliret, doch mit Freyheit, Catholicis nihil demendo; dazu hat er den Cythræum gebrauchet.... Dem Pabſt vvurde angſt, er möchte etvva gar die Lutheriſche Religion annehmen, gab ihm deſsvvegen die beſte Worte, und meynete ihn etvva damit zu gevvinnen; aber es iſt doch nicht geſchehen.

Atque hæc, quæ hucusque retulimus, etſi prolixiora fortaſſe Lectori videantur, minutiſſimam tamen eorum partem conficiunt, quibus fabuloſiſſima ac mendaciſſima Gundlingii Hiſtoria ſordet. Neque tamen opus hìc fore arbitror, ut in effrontibus hisce fabulis convellendis & tempus & ſyllabas perdam, aut poſt Homerum Iliada ſcribam; dudum enim proterva iſthæc commenta exſibilârunt ac confutârunt Scriptores graviſſimi, quos tamen Gundlingius aut non legit, aut malevolentiſſimo ſilentiô tegit. Id unum hìc repeto, quod jam antehac de Italico Bernardini Ochini libro animadvertit Surius in Comment. rerum in orbe geſtarum ab an. 1500 ad 1574 p. m. 448. ad finem anni 1549: *Siquis ita ſcriberet in Principes Evangelicos* (ſcilicet Acatholicos) *quemadmodum liber ille* (tam Ochini quàm Gundlingii) *perſtringit Pontificem* (& Imperatores Auſtriacos) *nemo æquo ferret animo*: Mox gravaminum centuriis perſonarent Tribunalia, & Auctor Catholicus, alìàs veraciſſimus, è publico Scriptorum albo expungeretur.

H.

HEDERICH Benjamin, Rector Schol. Hayn. Alaſtorem potiùs, quàm Scriptorem egiſſe videtur in libro, cui titulus: *Anleitung zu denen fürnehmſten Hiſtoriſchen Wiſſenſchaften &c. Wittenberg an.* 1725. Certè malo genio afflatum hunc hominem ipſe calamus probat, quò crudiorem & impudentiorem noſtra ætas vix vidit. Verba de Pontificibus Romanis ſubjungo. HEDERICH

Pagina 293. *Sabinianus* ein böſer Menſch, ſo aus bloſſem Neid des Gregorii M. Schriften verbrennen laſſen vvolte... und letzlich von des beſagten Gregorii Geiſt mit einem Brügel auf den Grind geſchlagen worden ſeyn ſoll, daſs er davon verrecket.

Bonifacius III, vvelcher von dem Kayſer Phoca den Primat über alle andere Biſchöffe erhielt, vveilen er den an dem Kayſer Mauritio begangenen Mord gut hieſſe.

P. 299. *Joannes* XIII, aliàs XII, vvelcher endlich von dem Teufel umgebracht, oder vielmehr im Ehebruch erſtochen vvurde.

Sylveſter II ein Hexenmeiſter, deſſen Gebein bis jetzo noch in ihrem Grabe ein Geräuſche machen ſollen, vvann eines Pabſts Ende vorhanden iſt.

P. 301. *Benedictus* VIII auch ein fameuſer Hexenmeiſter, der ſich nach ſeinem Tode auf einem ſchvvarzen Pferd ſehen lieſſe, und über ſeine Peyn in der Hölle klagete.

Benedictus IX des Vorigen gleichens, der ſich nach ſeinem Tode mit einem Bären-Leibe, allein Eſels-Kopf, und desgleichen Schvvanze ſehen lieſſe.

Gregorius VII, ſonſt Hildebrand, oder vielmehr Höllenbrand genannt, vvelcher ſich durch Gift und andere böſe Künſte auf den Päbſtlichen Stuhl brachte, darauf inſonderheit den Kayſer Henricum IV auf das grimmigſte verfolgte, denen Prieſtern zuforderiſt in Teutſchland und Franckreich die Ehe verboth, indeſſen doch ſelbſt mit der Mathilde zuhielt, und ſich durchgehends, als der leibhafte Anti-Chriſt aufführte.

P. 305. *Innocentius* IV, ſo... endlich von einem Geiſte eine Ohrfeige bekam, daſs er ſtarb, vvobey ihme dann eine Stimme zurieff: Veni miſer ad DEI Judicium.

Urbanus IV, ſo das Frohnleichnams-Feſt auf Angeben ſeiner Maitreſſe anordnete.

Bonifacius oder vielmehr Malefacius VIII, ſo... den König in Franckreich in den Bann that, allein den Titul eines Narren darfür bekam,

endlich in Ketten und Band geleget vvurde, in vvelchen er ſich für Ungedult ſelbſt das Fleiſch von denen Armben hinvveg fraſſe, und nach ſeinem Tod die ſchöne Grabſchrift bekam: Intravit ùt vulpes, vixit ùt Leo, mortuus eſt ùt canis

P. 308. *Clemens* V. ſo . . den Herzogen von Venedig Franciſcum Dandulum mit Ketten gebunden als einen Hund unter ſeinem Tiſch liegen lieſſe.

Benedictus XII, vvelcher ſelbſt zu denen Cardinälen ſagte, da ſie ihn ervvählet hatten: Scitè feciſtis, quòd aſinum elegiſtis: und da er ſtarb, bekam er dieſe Grabſchrift: Hic ſitus eſt Nero, laicis mors, vipera Clero: devius à vero, culpa repleta mero.

Urbanus VI, vvelcher 5. Cardinäl in Säcken ſtecken und erſauffen, 6. andere aber im Gefängniſſe hinrichten lieſſe.

P. 310. Joannes XXIV, der auf dem Concilio zu Coſtnitz des Ehebruchs, der Blutſchande, Sodomiterey und Ketzerey, vveilen er inſonderheit die Unſterblichkeit der Seel laugnete, angeklaget, und des Pabſtthums entſetzet vvurde.

Paulus II. Welcher endlich vom Teufel ſolle ervvürget vvorden ſeyn.

Sixtus IV. Welcher zu Rom die gemeine Huren-Häuſer erlaubte, und daraus Jährlich bis 2000 Ducaten oder doch ſo viel Scudi zog.

Innoc. VIII, ein Vatter von 16 Kindern.

P. 313. *Julius* II ein martialiſcher, allein auch verſoffener Pabſt, der die Schlüſſel S. Petri in die Tiber vvarf, und dafür Pauli Schvverd ergriffe.

Leo X ein gelehrter, aber auch verkehrter Pabſt, der Chriſti Hiſtorie für eine Fabel hielt, und um Geld zuſammen zu bringen, überall Ablaſs predigen lieſſe.

Clemens VII. Welcher Rom von denen Kayſerlichen einnehmen und ausplündern laſſen, ſich aber endlich ſelbſt auch in der Engelsburg an ſich ergeben muſte, Lutherum mit Feur und Schvverd verfolget wiſſen vvolte, und da er ſterben ſollte, das ſchöne Glaubens-Bekanntniſs that, daſs er nun bald ſehen vvollte, ob ein GOTT, die Seele unſterblich, und ein evviges Leben ſeye.

P. 316. *Innoc.* X. Der den Weſtphäliſchen Frieden nicht vvollte gelten laſſen, ſonſt aber ſich gänzlich von ſeines Bruders Frau, der Donna Olympia regieren lieſſe.

Alexander VII. Welcher dem König in Franckreich eine ſolenne Abbitt vvegen Beleidigung ſeines Geſandtens durch die Corſen muſte thun laſſen, ſonſt aber ein vvürcklicher Befreundter des Türckiſchen

Kayſers

Kayſers Mahomets IV vvare, und mit der Königin Chriſtina, die zu ihm nach Rom kam, vver vveis vvas erhaſcht zu haben vermeynte, die aber hernach dem H. Stuhl mehr eine Laſt als Luſt vvare.

Innoc. XI. Welcher... vvegen des Quietiſmi faſt ſelbſt in die Inquiſition gerathen vväre. ... und ſonſt ſelbſt auch denen Proteſtanten ſo gar ungeneigt nicht vvare.

P. 320. *Innoc.* XIII. Der in ſeiner Regierung gern etvvas mehr, als nichts Merckvvürdiges vvurde gethan haben, vvo er mehr Zeit, Macht und Muth gehabt hätte.

En! quàm execranda ſit Hederichii impoſtoris audacia, quâ non paucis Pontificibus Romanis, etiam pientiſſimis, aniles fabulas, horrenda vitia, enormes atheorum, Gentilium, & hæreticorum blaſphemias, infamia & diabolica mortis genera, contra omnium retro temporum ac ſynchronorum teſtium fidem, impudenter affingit! Et has Luthericolæ hominis furias ac Hiſtoriæ peſtem Orthodoxa Germania ferat? hos denique ferales infrunitæ impunitæque licentiæ fructus tolerata hactenus per Germaniam Acatholica religio parit!

HEGESIPPUS, ſeu veriùs, *Pſeudo-Hegeſippus.* " Extant (inquit Hen- HEGESIP-
" ſchenius T. V. Junii in Comment. prævio ad Acta SS. Petri & Pauli PUS.
" p. 400. n. 5.) libri quinque de bello Judaico & Excidio urbis Jero-
" ſolymitanæ ſub Tito Veſpaſiani Imperatoris filio, in quibus cùm
" libro III capite I. flagitia Neronis eſſent indicata, capite II deſcri-
" buntur Acta quædam SS. Petri & Pauli, certamen cum Simone Ma-
" go, apparitio Chriſti Petrum ad mortem ſubeundam adhortantis,
" & utriusque martyrium. Trithemius libro de Scriptoribus Eccleſ.
" eos libros attribuit S. Hegeſippo, qui ſeculo Chriſti ſecundo flo-
" ruit, cujus Acta die VII Aprilis dedimus. Scripſit hic S. Hegeſip-
" pus Hiſtoriam, libris quinque diſtinctam, à Paſſione Domini us-
" que ad ſuam ætatem, Eccleſiaſticorum Actuum texens narrationes:
" ſed illi cum magno reipublicæ Chriſtianæ damno periêrunt, præter
" aliqua fragmenta, quæ collegit Petrus Halloix Tomo II de Vitis
" Scriptorum Eccleſiaſticorum Orientalium. Huic ergo Hegeſippo
" ſuppoſiti fuerunt ſuprà indicati libri quinque de bello Judaico, à
" temporibus Machabæorum usque ad ruinam urbis & templi Sancti
" Hieroſolymitani; & in plerisque ſunt purum putum compendium
" Joſephi Judæi, qui cùm forſan ab aliquibus *Joſippus* appellaretur,
" inde formatum ſit nomen *Hegeſippi*, quem Baronius *juniorem Hegeſip-*
" *pum* nuncupat, alii *Pſeudo-Hegeſippum.* Extant hujusmodi libri pri-
" mùm Coloniæ anno 1525 excuſi, & ùt in frontiſpicio additur, Di-

vo

" vo Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo interprete: extant etiam recuſi " à Laurentio de la Barre in Hiſtoria Chriſtiana Veterum Patrum, & " paſſim in Bibliothecis Patrum, ſed absque mentione S. Ambroſii In- " terpretis. Interim Gronovius in Monobiblo obſervatorum in Scri- " ptoribus Eccleſiaſticis Daventriæ an. 1661 excuſo cenſet, Ambro- " ſium illorum librorum Auctorem, quòd varia ejusdem verbis & " ſententiis tam in his libris quàm in aliis S. Ambroſii Operibus le- " gantur. Gronovii ſenſum non improbabilem arbitratur Philippus " Labbeus de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Hegeſippo. Quidquid de " ea re ſit, videtur Auctor circa tempora S. Ambroſii vixiſſe, qui l. " 3. c. 5. cùm deſcripſiſſet Antiochiam, metropolim Syriæ, iſta addit: " *Urbs Antiochia tertio loco antè ex omnibus, quæ in Orbe Romano ſunt, Ci-* " *vitatibus æſtimata*, NUNC QUARTO, *poſtquam Conſtantinopolis excre-* " *vit Civitas Byzantinorum.* Eſt autem hæc prærogativa Conſtantino- " poli delata in Concilio, in ea urbe an. 381 habito; ad quod tem- " pus particula *nunc* alludit. „ Ita Henſchenius: quocum etiam ce- teri Scriptores critici uno ore illos V. libros S. Hegeſippo ex indubi- tatis argumentis abjudicant. Vid. *Bellarm.* de Script. Eccl. *Poſſevin.* in Apparatu: *Labb.* T. I. Script. Eccl. *Nat. Alex.* T. III. Hiſt. Eccl. Genuini verò Hegeſippi meminit Euſebius l. 4. c. 21. & l. 3. cap. 20. quo tamen in loco de Domitiano refertur Hiſtoria ex Hegeſippo, quam nonnulli Critici in dubium vocant, ùt notat Graveſonius P. 1. Hiſt. Eccl. T. I. Colloq. 1. p. m. 8.

HELMOLDUS. Vide *Chronicon.*

HEPIDANNUS. HEPIDANNUS, Cœnobita San-Gallenſis, circa medium Seculi XI vixit, & ſcripſit. Ejus ſunt 1mò Vita S. Wiboradæ, Virginis recluſæ, quæ legitur tum in Actis SS. T. 1. Maji, tum apud Goldaſtum T. 1. Rerum Alemann. 2dò Annales breves rerum in Alemannia geſtarum ab an. 708 usque ad ſua tempora ſive Annum 1050: quos exhibent Goldaſtus l. c. & Du-Cheſnius T. III. Script. Franc. Illud omnes Chronologi in Hepidanno notant, quòd, quantumvis veritati ſtuduerit ejusque teſtimoniô frequenter utantur Auctores, ſæpe ſæpius tamen in Chronologiam vehementer impegerit. Vid. *Pagium* T. III. Crit. ad An. 774. n. 11.

HERMANNUS CONTRACTUS. Vide *Chronicon.*

HERODOTUS

HERODOTUS Halicarnaſſeus, qui IV & ampliùs Seculis Æram Chriſtianam eſt antègreſſus, novem hiſtoriæ libros conſcripſit. Aſt ùt Cornelius à Lapide T. I. Comment. in L. Reg. p. 242 & T. II. p. 393 & 398. obſervat, tam res Judaicas, quàm alia permulta; v. g. Hiſtoriam de cæſis Aſſyriis ſub Sennacheribo, & de Pharaone depravavit. Nihilominus non pauca, quæ alii in Herodoto ùt fabuloſa aut erronea traduxêre, nec fabulis propterea nec erroribus mox accenſenda, imò quam plurimùm utilitatis ex Herodoti libris ritè lectis & intellectis, poſſe derivari prolixè oſtendit *Poſſevinus* in Bibliotheca Selecta de Ratione Studiorum L. XVI de Hiſtoricis, toto Capite III. IV. & V. ubi de Hiſtoricis Græcis fit mentio: item *Joachimus Camerarius* in Præfat. ad Herodotum. HERODOTUS

HIBERNI Scriptores, ac præcipuè Hagiographi. De his ita noſter Joannes Veldius: *Prodigia plerumque narrant ſtupenda magis, quàm veræ: vel quæ ab uno Sancto ſemel ſunt facta, pluribus tribuunt, aliter atque aliter compoſita, potiùs ex imperita ſimplicitate, ùt opinor, quàm fallendi voluntate.* Vid. *Acta SS.* T. I. Sept. p. 664. n. 9. p. 665. lit. d. f. p. 666. lit. q. ubi aſſerti hujus quædam ſpecimina dantur. Item vide T. I. Maij p. 104. n. 5. p. 264. lit. a. b. HIBERNI

Atque idem quoque Judicium de *Anglis*, antiquioris ævi Scriptoribus, judicium tulit Bollandus T. II. Januarii p. 329. n. 2.

HIERONYMUS. Vide *Chronicon Euſebii*. HIERONYMUS

HOVEDENUS Rogerius, Eboracenſis Anglus, ineuntis Seculi XIII Scriptor, Annales de rebus Anglicis edidit, & Bedam continuavit. Excuſi ſunt inter Scriptores Anglicanos Londini 1596: recuſi Francofordiæ A. 1601. Quanquam verò apud Eruditos multa Hovedeno ſit fides, ubi de rebus Anglicis agit (Vid. *Acta SS.* T. I. Aug. in Comment. prævv. ad vitam S. Waltheni Abbatis p. 247. 248. 249: item *Gretſer.* in Comment. Exeget. ſive Baſilico Doro ad Jacobum Angliæ Regem c. 14. p. m. 224. 225.) non tamen æqualis ubique eſt ejusdem auctoritas, quando de aliis extra Angliam geſtis ſermonem immiſcet. Et de Germaniæ quidem negotiis illum non ſemper rite fuiſſe inſtructum, jam obſervavit Köhlerus in Hiſt. Imp. p. 201. Sed & de rebus, in Italia geſtis, Hovedenum aut minùs vera ſcripſiſſe, aut certè à malevolis editoribus vel tranſcriptoribus fuiſſe interpolatum ac depravatum, dubitari vix poteſt. In hodiernis enim Hovedeni Annalibus Parte II ad A. 1191. p. m. 392. col. 2. ita legitur: *Introduxit Papa* (Cœleſtinus III. HOVEDENUS

Henricum VI. Germ. Regem & Conſtantiam Conjugem) *in Eccleſiam, & unxit eum in Imperatorem, & uxorem ſuam in Imperatricem. Sedebat autem Papa in cathedra Pontificali, tenens coronam auream imperialem inter pedes ſuos, & Imperator inclinato capite recepit coronam, & Imperatrix ſimiliter de Pedibus Papæ. Dominus autem Papa ſtatim percuſſit cum pede ſuo coronam Imperatoris, & dejecit eam in terram, ſignificans, quòd ipſe poteſtatem eijciendi eum ab Imperio habeat, ſi ille demeruerit. Sed Cardinales ſtatim arripientes coronam, impoſuerunt eam capiti Imperatoris.* Quam quidem narrationem ùt legitimam admittunt ex Catholicis *Baronius* T. XII ad A. 1191 n. 10. *Fr. Pagius* T. III. Breviarii Geſt. Rom. Pontif. p. 143. n. 4. ex Acatholicis *Köhlerus* in Hiſt. Imp. p. 194. *Lehmannus* L. V. Chron. Spir. Cap. 66. *Schilterus* L. V. de libertate Germ. c. VII. §. 1. *Conringius* T. I Operum p. 101. §. IV. Aſt multò rectiùs hanc narratiunculam reijciunt ex Catholicis *Nat. Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. C. VI. Art. XIII. p. 462. col. 2. ſub finem, & p. 465. Scholio I. Ex Acatholicis *Hahnius* in Hiſt. Imp. P. IV. p. 38. 39. lit. h. *Struvius* in Corp. Hiſt. Germ. p. 420. n. 17. Nam *primò* nemo penitus Germanorum Scriptorum, non Arnoldus Lubecenſis, non Chronographus Reicherſpergenſis, nec Godefridus Colonienſis, aut Otho de S. Blaſio, non Monachus Weingartenſis, & nec ipſe Cæſaris Henrici VI notarius, Godefridus Viterbienſis, quidquam ea de re literis prodidêre. *Secundò* illi ipſi Scriptores Germani uno potiùs ore affirmant, Henricum VI à Pontifice *gloriosè ſuſceptum, gloriosè, honorabiliter, cum ſumma pacis tranquillitate coronatum.* Quomodo autem glorioſa quomodo honorabilis, aut ſumma cum pacis tranquillitate peracta dici poterit coronatio, ſi narratio Hovedeni ſubſiſtat? *Tertiò.* Conſtat, quòd Pontifices non magis quàm Imperatores antiquis ritibus ſive in adventantium ſuſceptione ſive in Imperiali coronatione exactè inſtiterint; ùt abunde diſcimus ex geſtis Friderici I. qui non modò Stratoris Pontificii munus eouſque detrectavit, donec de Anteceſſorum more veteri fuiſſet edoctus, ſed & ad ſolam *beneficii* voculam, quam in literis Pontificiis legerat, mox commotiore ſtomacho ad Pontificem reſcripſit, ratus videlicet, quòd Romanus Antiſtes *beneficii* nomine ſubintellexerit *feudum*, proindéque Imperium velut Sedis Apoſtolicæ feudum nunc venditare voluerit. Suſpicandum itaque haud eſt, quòd Pontifex octogenarius & ſapientiſſimus novo penitus more, qui in eum uſque diem viſus eſt nunquam, ideóque non inſolitus modò, ſed & probroſus tam animoſo Principi ceteríſque Germaniæ Principibus videri poterat, Hoſpitem adeò potentem atque timendum exaſperare potiùs quàm condecorare decreverit. Neque enim ignorare poterat Cœleſtinus, quantos demum poſt labores & adver-

adverſitates Pax Eccleſiaſtica atque civilis, inter præceſſores Pontifices & Fridericum I, hujus ipſius Henrici Genitorem, ante annos primùm quatuordecim fuerit reſtituta, non parùm utique nutatura aut denuo reſcindenda, ſi poſt acceptam ſemel coronam ad ſuos in Germaniam remearet, & inuſitatæ coronationis novatio ad delicatioris Germaniæ aures perveniſſet. Longè igitur veroſimiliùs alterutrum erit ſtatuendum: aut in genuinis Hovedeni Annalibus nihil unquam hujuscemodi narratiunculæ traditum, ſed interpolatoris cujuſpiam fraude atque malitia, in fictitiæ ambitionis Pontificiæ argumentum, eam fabellam Hovedeno fuiſſe inſertam: aut ſi Hovedenus eam primitus conſignârit, non niſi rumuſculis Anglicanis eum Hovedeni errorem deberi, quibus ſcilicet graviſſimum in Cæſarem odium viam facilè ſtravit; utpote qui Richardum, Anglorum Regem, contra jura Gentium (ùt ſpargebatur) longo admodum tempore captivum detinuit, nec niſi poſt immane lytrum duriſſimásque pactiones è captivitate dimiſit. Quare ejuſdem furfuris erit exiſtimanda hæc de Cœleſtino III. narratio, cujus eſt illa, quam de Alexandro III. calcatóque Friderici Cæſaris collo Sectarii confinxêre.

HUGO FLAVIN. Vid. *Chron. Virdun.* HUGO FLAVIN.

I.

IDACIUS vel IDATIUS, Aquiflavienſis in Gallæcia Epiſcopus, patriâ Lemicenſis, Sæculi V. Scriptor, Chronicon ſuum abſolvit in Anno 469, ùt Pagius ait T. II. Crit. ad h. a. n. 5. & 6. Nam quod Sigebertus ſcripſit in Chronico ad A. 490, Idacii Chronicon, quod à primo Theodoſii conſulatu fuerat cæptum, in anno primum 490 fuiſſe terminatum, id refutatur *primò* ex eo, quòd ipſe Idacius de ſe teſtetur, ſibi infantulo adhuc atque pupillo viſum cognitumque tam Theophilum Ep. Alexandrinum, quàm S. Hieronymum. Obiit autem Theophilus A. 412. 15. Oct. ùt videre eſt T. V. Junii p. 51. in Hiſt. Chronolog. Patriarch. Alex. Quare ad Annum uſque 490 nec vitam nec Chronicon ſuum Idacius perduxiſſe videtur; licèt enim nonagenaria ætas fidem limitésque mortales non ſuperet, rara tamen cùm ſit, ea ſine graviorum teſtium aſſertione affirmari non debet. *Secundò*: in libello de 12. Scriptoribus Eccleſiaſticis (qui Iſidori & Ildephonſi de eodem argumento opuſculis ſolet ſubnecti, & à quibuſdam Felici Toletano Epiſcopo tribuitur) cap. 8. legitur, quòd Idacius Hiſtoriam à

IDACIUS vel IDATIUS

fine Chronici Hieronymiani ſcripſerit uſque ad Annum Leonis Imperatoris octavum, Chriſti 464, atque ſub eo, ultima jam pene ſenectute, deceſſerit. Ipſe verò Leo vivere deſiît A. 474. Quare rectiùs exiſtimandum, quòd quidquid ab anno 469 aut omnino ab A. 464, in Idacii Chronico uſque ad A. 490 continuatum legitur, non Idacio, ſed alteri Continuatori Anonymo ſit adſcribendum: niſi fortè ipſe Idacius primæ Operis ſui lucubrationi poſtea primùm aliquos adhuc annos adjecerit, ùt varii fecêre Scriptores v. g. Joannes Biclarienſis & Beda. Vid. *Pag.* ad A. 469. n. 5. Unde fieri potuit, ut prout quiſque Scriptorum nunc primi, nunc auctioris Chronici Idaciani apographum præ manibus habuit, ita etiam circa Chronici hujus finem variârint, & unus quidem in Anno 464 (ùt author libelli de XII. Scriptoribus Eccleſiaſticis) alter in Anno 467 (ùt Labbeus) alius in Anno 469 (ùt Pagius) illud terminari exiſtimârit. Sigeberto verò, qui Chronici hujus uſque ad A. 490 Continuatorem pro ipſomet Idacio acceperat, idem accidit, quod illis, qui continuatorem Marcellini pro ipſo Marcellino perperam habuêre. Vid *Pagius* l. c. n. 6.

Laudatur quidem Idacius à Janningo noſtro tanquam *accuratus Chronologus*. Vid. *Acta SS.* T. V. Junii p. 408. n. 39. Aſt imperfectior mendoſiórque eſt Chronici hujus Editio triplex, quam ſcilicet Henricus Caniſius in Lect. Antiq. Joſephus Scaliger in Theſauro Temporum, & Andreas Schottus (Vid. Hiſpan. Illuſtrat. Tomus IV. à p. 208) adornârunt, ùt rite obſervat Labbeus noſter T. I. Script. Eccl. item Pagius, qui T. II. Crit. ad A. 463. n. 6. & A. 405. n. 15. Idacii Chronicon, præcipuè circa poſteriores annos, non modicè depravatum fuiſſe oſtendit. Neque parùm erroribus ſcatet editio Romana Anni 1615, quam ſcilicet æmuli quidam ex apographo (quod Sirmondo noſtro clanculum ſubduxerant) furtim deproperârunt, ùt idem Labbeus teſtatur. Unde multò emendatius atque ad pervetuſti MS. Codicis fidem, Chronicon iſtud unà cum Marcellino Comite & parte Faſtorum, eidem Idacio tributorum, Pariſiis publicavit ipſe Sirmondus A. 1619. Integros verò Idacii Faſtos, à pluribus Eruditis pridem expetitos, poſtmodum vulgavit idem Labbeus T. I. novæ Bibliothecæ MS. librorum: Poſt Labbeum *Grævius* T. XI. Theſauri Antiquit. Italiæ: & *Scheleſtratius* T. I. Antiquit. Illuſtratæ, à p. m. 549. ad 561. Annum in Chronico ſuo orditur Idacius à Kalendis Octobribus, ùt ſæpiùs inculcat Pagius v. g. ad A. 415. n. 23. A. 469. n. 5. Denique ait Pagius ad A. 469. n. 6. quòd Idacii Chronicon S. Iſidorus Hiſpal. ferme de verbo ad verbum exſcripſerit, omiſſis tamen annis ad marginem appoſitis; qui cùm in Idacio fuerint loco moti variis in annis, nova quidem Idacii editio cum

MSS.

MSS. collata, valde adhuc neceſſaria eſſet; verùm nullum aliud hactenus viſum, quàm quod aſſervatur in Bibliotheca PP. Jeſuitarum Pariſienſium: unde ſuam Editionem jam mutuavit Sirmondus.

JOANNES Abbas Metenſis, qui circa medium Seculi X. Abbatiam S. Arnulfi apud Metenſes rexerat, librum de Vita, translatione & miraculis S. Glodeſindis Virginis conſcripſit: cujus præcipuè Caput V. tam ad Lotharii I. Imperatoris, quàm ad Lotharii Junioris, Lotharingiæ Regis, Hiſtoriam elucidandam ſervit. Extat hic liber apud Labbeum T. I. Bibl. MS. p. 724. in Actis SS. T. VI. Julii à p. 210: apud Surium in Vitis SS. ad diem XXV. Julii: Mabillonium in Actis SS. Ord. S. Benedicti Seculo II. p. 1087. & Seculo IV. Parte I. p. 435. JOANNES METENSIS

JOSEPHUS FLAVIUS, Judæus, natus anno Chriſti 37, edidit 1ò. Antiquitatum Judaicarum libros XX. 2. De bello Judaico libros VII. 3. De Antiquitate Judæorum libros II. ad Epaphroditum contra Appionem Grammaticum Alexandrinum. 4. De Machabæis ſive de Imperio Rationis. 5. Suam denique propriam vitam. Scriptoris hujus laudes, ob mirabilem præſertim dictionis pene Livianæ nitorem, etſi apud graviſſimos etiam Auctores non rarò occurrant, ejuſdémque teſtimonium Sancti PP. ſubinde adhibeant (ùt videre eſt apud Labbeum T. I. Script. Eccl. p. 624. & 625.) gravi tamen reprehenſione & Criticorum ferulis dignum ſe præbuit ob neglectum ſæpiſſimè veritatis ſtudium. Certè Cornelius à Lapide in Comment. ad libros Regum verbô: *Joſephus*: ejus mendacia, errores, atque figmenta redarguit: utpote qui ſuorum geſta nimiùm exornet, ſcripturæ contraria ſcribat, quandoque ridicula, ſi non impia, v. g. de fonte aquarum ab Eliſæo ſanatarum, enarret. Idem de Joſepho (quòd videlicet à Scriptura ſæpiùs aberret, non pauca aſſutè prætermittat, aut interpolet &c.) judicârunt *Natalis Alex.* T. I. & II. Hiſt. Eccl. verbô: *Joſephus*. *Ceſar Calini* in Hiſt. Bibl. Veteris & novi Teſtam. in præfat. & alibi: Joannes *Limpenus* noſter T. I Sept. in geſtis Joſuæ & Gedeonis: item *Graveſonius* Tomo I. Tractatûs de Vita & Myſteriis Chriſti Diſſert. VIII. p. m. 151. 152. & Diſſert. VII. §. 2. probatione 4ta. p. m. 132. Unde mirandum, quòd hic ipſe Graveſonius T. I. Hiſt. Eccl. Colloq. II. p. m. 26. col. 2. eundem Joſephum *fidelis & accurati Hiſtorici* elogio rotundè cohoneſtârit. Etſi enim Joſephi teſtimonium de Chriſto l. 18. Antiquitatum Jud. c. 4. (quod Graveſonius in Hiſt. Eccl tum l. mox cit. tum p. 226 & 227 tanquam illuſtre & genuinum allegat, & cum Graveſonio pariter tuentur *Labbeus* l. c. *Nat. Alex.* T. II. Hiſt. Eccl. Diſſert. X, aliique) veritati quàm maximè JOSEPHUS FLAVIUS

conſonet, non tamen idcirco *fidelis & accurati Hiſtorici* nomine incircumſcripto is poterit compellari, in quo multò plura occurrunt, quæ vel à vero recedunt, vel ad fabulas accedunt, vel (ſi veriſſima forent) infideli ſilentio à Scriptore penitus ſupprimuntur atque diſſimulantur. Rectè tamen cum aliis Eruditis advertit Graveſonius T. I. Tractatûs de Vita &c. Colloq. I p. m. 84. & 85. Joſephi Chronologiam, prout hodie extat, Græcorum præcipuè fraude in aliquibus, imò (ùt Melchior Canus l. XI. de locis Theologicis c. V. ad Argumentum nonum affirmat) in plurimis aut propè innumeris eſſe vitiatam. Omnium uberrimè & eruditiſſimè de Joſephi laudibus & vitiis agit *Poſſevinus* T. II. Apparatûs Sacri verbô *Joſephus*: & in Biblioteca ſelecta de Ratione ſtudiorum T. I. lib. II. Cap. 61. 63. T. II. lib. XVI. Cap. XIV. Ejuſdem Joſephi auctoritatem, ſaltem in rebus ſuo tempori vicinioribus, ùt longè maximam admittit Scheleſtratius T. I. Antiquit. Illuſtratæ Diſſert. I. Cap. II. Art. I. n. 1. p. m. 12. 13.

IPERIUS

IPERIUS Joannes, Abbas S. Bertini in Belgio, qui mortem oppetiit Anno 1383, Chronicon Sithienſe S. Bertini, vulgò Bertinianum, compilavit; quod ùt Manuſcriptum adhuc ineditum laudârunt Hagiographi noſtri T. I. Maij p. 274. n. 2. in Vita S. Waldeberti Abbatis, & aliàs ſæpiùs, hoc autem currente Seculo primus in lucem edidit Edmundus Martenius Tomo III. Theſauri Anecdotorum, qui non modò pietatem Scriptoris atque utilitatem hujus Chronici multis laudibus in Admonitione prævia commendat: ſed auctoritatem quoque illius operis magnificis adeò verbîs extollit, ut aſſerat vix ullum res Belgicas enarrandas ſuſcepiſſe, *qui dicenda, majori ex parte, hac ex lucubratione tanquam ex perenniſſimo ac certiſſimo fonte non hauſerit.* Verùm reſpondet Martenio Stiltingus noſter T. II. Septembr. p. 555. à n. 25.

" Mallem ego, ut laudatus Editor (Martenius) accuratam de hoc
" Chronico criſim dediſſet, quàm laudes exaggeratas: ita enim lector
" ſtudioſus meliùs intellexiſſet, quid ex eo amplecti tutò poſſit, à qui-
" bus contrà cavere debeat. Certè Chronotaxis plerumque vitioſa eſt
" in prioribus hujus Chronici Seculis, ùt patebit per decurſum. Imò
" ne facta quidem relata in hoc Chronico tam certa eſſe, támque im-
" munia ab erroribus, ut correctione ſat frequenti non indigeant, non
" rarò oſtendere cogar. Conatur Chronici Auctoritatem probare
" Martenius, quia Iperius ſecutus eſt Folquinum Diaconum, Simo-
" nem Abbatem, & eorum continuatorem Anonymum Seculi XIII.,
" quem ait ſcripſiſſe anno 1229. *Ex quibus*, inquit, *ita Chronicon ſum-*

" con-

" *confeciſſe videtur Joannes Iperius, ut eorum integras lucubrationes Operi ſuo*
" *inſeruiſſe meritò cenſendus ſit.*

" Oſtendere id conatur verbis quibusdam allegatis, quæ Iperius
" de ſe proferre non poterat, quæque idcirco antiquioribus attri-
" buenda ſunt Scriptoribus, quorum dicta eatenus non mutata Chro-
" nico ſuo Iperius inſeruit. Verùm vehementer ſuſpicor, Martenium
" nunquam contuliſſe Chronicon Iperii cum tribus illis Scriptoribus,
" à quibus eum tam multa mutuatum dicit. Certè ſi diligenter ver-
" ba Iperii contuliſſet cum verbis Anonymi Continuatoris, qui eſt
" compilator vitæ S. Bertini à Mabillonio editæ, vidiſſet totum ver-
" borum ſenſum mutatum ab Iperio in facto, quod referetur in Ap-
" pendice Miraculorum n. 25, ut ibidem obſervabo. Præterea ſi iſtos
" Auctores tres diligenter contuliſſet & examinâſſet, vidiſſet pauciſ-
" ſima ab iis narrari tanquam viſa, ſed pleraque ùt longè præterita:
" eáque de cauſa non dixiſſet, *Chronicon iſtud Bertinianum tantò majorem*
" *apud Eruditos promereri fidem, quò antiquiores habet Auctores, qui ſui tem-*
" *poris res geſtas, prout viderant aut à teſtibus oculatis audierant, ſcriptis*
" *mandârunt.* Inconſideratè & ſine ſufficienti Examine hæc dicta ſunt:
" nam pauca ex Scriptoribus, qui viderant, aut facta ſuo tempore
" ſcripſerant, hauſit Iperius, ſaltem in primis Seculis Chronici ſui,
" longè plura ex iis Scriptoribus, qui geſtis, quæ referebant, lon-
" gè erant poſteriores. Quin & plura ex aliis Scriptoribus habet Ipe-
" rius, quàm ex tribus illis, quorum tantùm non continuatorem fa-
" cit Martenius.

" Hæc de Iperio obſervanda cenſui, ne quis immodicis Martenii
" laudibus deceptus, me ſtatim reprehendendum exiſtimet, ubi vi-
" derit Auctoritati iſtius Scriptoris non acquieſcentem. Nolim ta-
" men debita laude fraudare Iperium, cujus Chronicon utile & mi-
" nimè contemnendum judico, ſed non cæcè ſequendum. Unde il-
" le ſua hauſerit, quantáque fide ſcripſerit, indicat ipſe in Prologo
" ſecundo his verbis: *Præſens Opuſculum ex multis Voluminibus Scriptis-*
" *que authenticis grato labore collegimus, ſumendo de quolibet, quod ad pro-*
" *poſitum ſpectare viſum eſt, nihil inſerendo, quod non authenticis Scriptis ap-*
" *probatur.* Deinde explicat, quid per Scripta authentica deſignet,
" multas videlicet Vitas Sanctorum, Chronica item non pauca, an-
" tiquitates, Annales, Hiſtorias, & Archiva tam Eccleſiæ Sithienſis,
" quàm aliorum Monaſteriorum Belgii & Franciæ, libros alios hiſto-
" ricos, ac demum Cartas privilegiorum. Ex hisce omnibus monu-
" mentis ſe Chronicon ſuum concinâſſe aſſerit: *ex die & Conſule tem-*
" *pora temporibus, & ex cauſis in eo contentis negotia negotiis concordando.*

" Non

" Non dubito, quin id & diligenter & bona fide præſtiterit Vir pius " & doctus; at ſine erroribus factum non eſſe, luce clarius eſt. Et " ſanè tale Opus illo Seculo, quo vixit Iperius, ſine variis erroribus " conſcribere, humanæ non erat induſtriæ; tum quòd monumenta " multa, quibus utendum erat, non omni carerent errore, tum quòd " varia per conjecturas erant concilianda. Hæc autem conciliatio " tantò erat difficilior, quantò minùs ad perfectionem hodiernam " accedebat ſcientia Chronologica & Critica. „ Hactenus de Iperii Chronico Stiltingus, qui quæ aſſeruit verbô, etiam argumentis luculentiſſimis firmat cit. T. II. Septemb. toto Comment. prævio ad Vitam S. Bertini Abbatis. Unde huic eruditiſſimi expertiſſimique Stiltingi judicio nemo facilè criticorum refragabitur.

ISIDORUS. ISIDORUS *Mercator*, vel rectiùs, ùt ipſe ſe ſcripſit, *Epiſcopus peccator*, natione Hiſpanus (prout ex ipſamet Iſidori Præfatione colligit Pagius T. III Crit. ad an. 786. n. 3.) Decretales primorum Pontificum Epiſtolas à Clemente I usque ad Deus-dedit, ſive usque ad an. 615, *Epiſcoporum rogatu* in unum Volumen *collegit*, & compilavit, ſicut in Præfationis ſuæ initio teſtatur. Quo Seculo vixerit, affirmatè dici haud poteſt. Aliqui, ùt Graveſonius P. I. T. III. Colloq. V. p. m. 194, Scriptorem faciunt Seculi IX: alii inclinantis Seculi VIII, ùt Labbeus T. I. Script. Eccl. p. 649: alii etiam S. Eulogii Cordubenſis Martyris fratrem fuiſſe exiſtimant, ùt Eckhartus T. I. Comment. de Rebus Franc. Orient. p. 769. Verùm cùm Eulogius Martyrium primùm ſubierit anno 859, Iſidori verò collectio cum collectione Canonum & Decretalium, jam anno 785 Hadriano I. oblata congruat, & Hincmaro Remenſi teſte jam à Riculfo Archiepiſcopo Moguntino, Lulli ſub annum 787 Succeſſore, ex Hiſpaniis in Germaniam Galliásque fuerit allata, Iſidori ætas certè à Seculi VIII ſive adoleſcentis ſive jam adulti periodo removeri haud poteſt. Sicut autem has Decretales Epiſtolas, præcipuè usque ad Siricium, ſubditicias eſſe unanimis hodie Eruditorum, etiam Catholicorum, conſenſio tenet: ita pariter nulla quidem hujus Iſidori auctoritas eſt (ſive dein ipſus eas bona fide confinxerit, ſive ab alio fabulatore jam ita conſarcinatas invenerit, & nulla fraudis ſuſpicione ipſe ùt legitimas deinceps obtruſerit) ipſa tamen Epiſtolarum contenta non illico temerè poſſunt repudiari, quia pleræque ex aliis probatiſſimorum Scriptorum, ùt Damaſi, Leonis I. Idacii Clari, aliorúmque quà Epiſtolis quà lucubrationibus compilatæ. Labbeus quidem l. c. ob ſpurias hujusmodi merces *impoſtorem* vocat Iſidorum: Harduinus T. I. Concil. col. 93. in marginalibus notis,

Iſidori

Iſidori *fraudem hìc patefieri* monet: Pinius noſter T. V. Aug. ad diem XXVI Auguſti p. 787. §. 2. n. 21. has Iſidori Epiſtolas *impoſtoris quisquilias* nominat, *ſæpiùs ſine ullo merito recuſas*. Aſt cùm certò haud conſtet, quòd dictæ Pontificum Epiſtolæ ipſius Iſidori ſint fœtus, etiam certam impoſtoris notam eidem impingere nolim. Videri de Iſidoro & ejus Collectione poterunt *Baronius* tum aliàs ſæpiùs in Annalibus Eccleſiaſticis, tum ad an. 865. n. 8. *Bellarminus* l. 2. de Rom. Pont. c. 14. *Poſſevinus* in Apparatu T. II. p. 295. 296. *Nat. Alex.* T. III. Hiſt. Eccl. *Papebrochius* P. I. Reſponſ. contra P. F. Sebaſt. à S. Paulo Art. III. p. 87. item in Propyleo Maji ſive Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogos Pontif. p. 17. n. 4. *Pagius* T. I. Crit. ad an. 100. n. 4. ſeq. & T. III. Crit. ad an. 786. n. 3. 4. *Graveſon.* l. c. *Labbeus* l. c. p. 236. 649. 662. *Eckhart.* l. c. p. 769. 770. aliique non pauci, quorum alibi à nobis mentio fiet in Diſputatione XII.

Ivo Carnotenſis Epiſcopus in Gallia, qui vivere deſiit circa Annum 1115, præter Epiſtolas plurimas, alìque, quæ recenſet Labbeus T. II. Script. Eccl. à p. 501, ſcripſit aut veriùs collegit Eximium *Opus Decretorum*. 2dò. *Breve Chronicon* de Regibus Francorum à Pharamundo uſque ad Philippum I: quod publicæ luci expoſuit Juretus Pariſiis an. 1585, unà cum Ivonis Epiſtolis: poſt Juretum etiam Freherus Hanoviæ an. 1611 in Corp. Hiſt. Franc. Sinc. & Veteris à p. 51. Verùm tam Juretus quàm Freherus minùs ſincerum hujus Chronici exemplar ſive apographum habuêre. Nam interpolatum illud & apertiſſimis erroribus (qui Ivoni planè tribui non poſſunt) infectum fuiſſe ſequentia produnt. Nam *primò* in fine Chronici additur de Henrico I Anglorum Rege, Willermi ſeu Willelmi II fratre, quòd regnaverit annis triginta. Obiit autem Henricus anno 1135, quousque ſanè vivendo non pervenerat Ivo Carnotenſis. Multò verò abſurdius eſt *alterum*, quod v. g. de Carolo ſimplice confingitur; nam ea, quæ juxta omnes antiquiores Scriptores Francicos (quos Ivo Carnotenſis ignorare non potuit) ſoli Carolo Martello, duobus prope Seculis antiquiori, & Caroli Magni Avo fuerant attributa, Chronicon iſtud ad Carolum Simplicem impertitiſſimè transfert. Unde multò junior, & in Scriptoribus Francicis admodum rudis extitit, qui Chronicon hac ex parte interpolavit. Prodiit verò & *alius* liber apud eundem Freherum l. c. à p. 1. ad p. 51. cui titulus: *Excerpta Chronica Ivonis Ven. Epiſcopi Carnotenſis de Geſtis quorundam Regum Aſſyriorum, Romanorum Imperatorum, & de Carolo M. & ejus filio Ludovico Pio.* Aſt ùt ex ipſius Chronici præfatione liquet, non Ivo, ſed Hugo, Floriacenſis Monachus, ejus Auctor eſſe cognoſcitur,

qui hoc Chronicon ſuum Ivoni inſpiciendum, &, ſicubi opus foret, etiam emendandum transmiſerat: prout advertit Labbeus l. c. p. 503. Du-Cheſnius T. III. Scripr. Franc. p. 347. *Nat. Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. ad Sec. XII. Cap. VI. Art. IV. p. 515. Num verò *Panormia*; vel *Panomia*, vulgò dicta, tribuenda ſit Ivoni, diſputant Eruditi. Affirmat eum Baluzio Natalis Alex. Diſſert. XX ad Hiſt. Eccl. Sec. I. Negant multò veroſimilius Bellarminus l. 1. Recognit. Operum p. m. 120. Gretſerus l. II. contra replic. cap. 13 à p. 243 ad 247. primæ Editionis. Labbeus l. c. p. 504. & omnium ſolidiſſimè Pagius T. IV. Crit. ad an. 1117. n. 16. 17. 18. ubi ex Vincentii Bellovacenſis Speculo Hiſtoriali L. 25. c. 84. Panormiam, ſive Abbreviationem ex Ivonis Decreto compilatam, non Ivoni, ſed Hugoni Catalaunenſi deberi oſtendit; quæ Pagii aſſertio & argumenta etiam contra Nat. Alex. adverſarium pugnant.

K.

KALENDARIA VETERA.

KALENDARIA Vetera, quantum ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Sanctorúmque præcipuè notitiam ſtabiliendam conferant, nemo Eruditorum & Hagiographorum ignorat. Inter illa celebratur Kalendarium Romanum Seculi VIII, à Frontone Illuſtratum. Antiquius adhuc eſt illud Romanum, quod Martenius T. V. Theſauri Anecdotorum à col. 65. evulgavit, & vel Seculo IV. vel ſub ſequentis initia conſcriptum fuiſſe conjectat. Utriusque meminit Boſchius noſter T. I. Aug. p. 113. n. VIII. IX. & VI; ubi ſimul obſervat, quàm longè utrumque hoc Kalendarium Romanum præferendum ſit Bucherianо, quod ab antiquitate quidem eſt commendandum, attamen non auctoritate publica, ſed à privato quopiam hominc Chriſtiano poſt medium Seculi IV *ad ſuum ſolius uſum qualemcunque*, & *notitiam* cenſetur compoſitum. Singulariter verò Sollerius noſter eodem T. 1. Aug. p. 7. n. 11. in Comment. præv. ad Acta SS. MM. Machabæorum commendat *notiſſimum modò*, & *vetuſtate ſua omnino venerandum Ptolemæi Silvii Kalendarium*, Seculo IV veroſimillimè proximum, cùm in eo *tam rara ſint Chriſtianiſmi indicia, tam rari Sancti Faſtis illis adſcripti, ut toto anni decurſu præter Epiphaniam, Natalem & Paſſionem Domini, ſoli ſex præcipui Martyres celebrentur, nempe SS. Petrus & Paulus, Vincentius, Laurentius, Hippolytus, & Stephanus*: item Martyres Machabæi ad Kalendas Auguſti. Edidit hoc Silvii Kalendarium Sollerius T. VII. Junii à p. 176. cui mox addidit aliud, ſcilicet Furii Dionyſii Filocali, an. 354 conſcri-

ſcriptum. Aliorum Veterum Kalendariorum meminit idem Sollerius T. VI. Junii p. 30. n. 110. & p. 65. n. 278. 279 in præfat. ad Martyrologium Uſuardi; ſcilicet *Bucheriani* (quod ab Aegidio Bucherio noſtro) *Frontoniani* (quod à Joanne Frontone editum ac illuſtratum, jam ſuprà nominavimus) *Allatiani*, ſive à Leone Allatio publicati: *Carthaginenſis*, quod à Mabillonio inter Anacleta Vetera Tomo III à p. 398 excuſum, etiam allegat Cuperus T. VI. Jul. in Comm. præv. ad Acta S. Jacobi p. 6. n. 6. col. 2. lin. 1. Rurſus aliud eſt *Hervagianum*, cujus meminit Janningus T. V. Junii p. 469. n. 194. & aliud, quod ex *Faſtis Ambroſii Navidii Fracci* deſcriptum citat Gothofredus, ùt videre eſt T. V. Junii p. 469. n. 195. Cetèrùm, ùt ait Papebrochius T. V. Junii p. 550 col. 1. in animadverſione ad Diſſertationem Petri de Marca de primis Galliæ Apoſtolis, *magnopere deceptus eſt Roſweydus noſter, dum Kalendarium quoddam, à ſe repertum ante Adonis Martyrologium, cenſuit eſſe vetus Romanum, à S. Gregorio laudatum, Martyrologium, eóque titulo & Boſquetum & à Marca in errorem induxit. Agnovit illud Bollandus noſter in Apparatu ad Januarium.... Illud Roſweydi Kalendarium adeò non eſt vetus, ut ante Annum 1073 ſcriptum non ſit, auctúmque Sanctorum nominibus, & paucis præterea verbis, partim ex Adone acceptis, partim ex Recentiorum compilatione mutuatis.*

KHAM Corbinianus Ord. S. Benedicti, edidit an. 1709 *Hierarchiam Auguſtanam.* Sed notat in eo Eckhartus T. II. Comment. de Rebus Franc. Orient. p. 473. n. 60. quòd unà cum Bruſchio *Epiſcopos & Abbates S. Afræ confundat, & inde miſerè hallucinetur.* Meminit etiam hujus Hierarchiæ Index Rom. noviſſ. Lib. prohib. p. 181. lit. H. KHAM.

KÖHLERUS David, Altorffenſis primùm, poſtea Göttinganus Hiſtoriarum Profeſſor, præter alia Volumina & ſingulares quaſpiam Diſſertationes Hiſtoricas, edidit Hiſtoriam Romano-Germanicam, cui titulus: *Kurz gefaſte und gründliche teutſche Reichs-Hiſtorie. Franckfurt und Leipzig. An.* 1736. de qua quid oporteat ſtatui, ipſe Lector orthodoxus ex Köhleri verbis addiſcet. Ait igitur KÖHLERUS

Paginâ 102. de Henrico S. Er war ein melancholiſcher Herr, dem immer vom Teufel traumte; dahero konnten ihn die Pfaffen und Mönche rupfen, wie ſie wolten. Seine aberglaubiſche Gemahlin Kunigunda half aus affectirter Heiligkeit vvacker darzu, daſs durch die unmäſſige Verſchenckungen an die Cleriſey die Kayſerl. Domainen ſehr abnahmen &c.

P. 130. Gregorius VII. der Herrſchüchtige Pabſt. *P.* 131. Der hochmüthige Hildebrand.

P. 133. Der Pabſt (Greg. VII) überſchickte Rudolffen eine ſchöne goldene Cron, vvorinn zum Zeichen der künftigen Sclaverey vom Röm. Stuhl dieſe Wort eingegraben vvaren: Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho. ... Aber endlich vvard Rudolff in eben ſelbigem Jahr von ihm (Henrico IV) übervvunden, und nebſt verlohrner Hand ſo tödlich vervvundet, daſs er bald darauf in Merſeburg verſchiede, und auf ſeinem Tod-Beth die Gerichte GOttes vvegen ſeiner Untreu buſsfertig erkannte. Deme ohngeachtet hat ſich Jemand nicht geſcheuet, denſelben für einen Blutzeugen und Schutz-Heiligen auszuruffen; damit ja gegen den Kayſer und das Teutſche Reich abtrinnige, meineydige und ſich auflehnende Fürſten ſich an dieſem erſchröcklichen Exempel nicht ſpieglen möchten.

P. 138. Abſonderlich aber beſtand ihr (Ordinum Imperii ſub Henrico IV) gröſter Fehler darinn, daſs ſie ſich durch den allgemeinen Aberglauben und Unverſtand ſelbiger Zeiten dahin verleiten lieſſen, daſs ſie den Röm: Pabſt für den oberſten Richter des Röm. Teutſchen Kayſers erkannten, und ihm die Macht einraumten, König in Teutſchland ein- und abzuſetzen. Wie dann, von ſolcher Zeit an, die Röm. Päbſt ſich angemaſſet haben den Teutſchen Reichs-Staat zu reguliren und unverſchämt zu behaupten, Reges Germaniæ tenere Imperium ſuo beneficio, da ſie vorhero an dergleichen Arroganz nicht einmahl haben gedencken dörffen. Was nun dem armen Teutſchland daraus für ein unheilbarer Schaden ervvachſen, das iſt nicht genugſam zu beſchreiben. Die Beſtellung der Biſthümer vvar von Urſprung des Teutſchen Reichs aus der Königl Gevvalt gefloſſen; Es hatten auch ſolches Recht die teutſchen Könige und Kayſer bishero ungeſtöhrt verwaltet; aber unter Kayſer Henrichen wurde es zu erſt von P. Hildebranden, unter der Beſchuldigung, als ob der Kayſer damit ſimoniacè umgegangen, angefochten. Dann dieſer Pabſt machte auf dem Synodo zu Rom an. 1078 den Canonem, ut nullus Clericorum Inveſtituram Epiſcopatûs vel Abbatiæ vel Eccleſiæ de manu Imperatoris vel Regis vel alicujus laicæ perſonæ ſuſcipiat. Da halffen nun die Biſchöffe und Prælaten wacker darzu, daſs dieſer Canon öfters beſtättiget, und zur Execution gebracht wurde, damit ſie ihrer Perſon nach von der Kayſerl. Gnad nicht mehr dependiren, ſondern vielmehr allemal dem Kayſer den Pabſt entgegen ſetzen möchten, wann er ihnen etwa die Flügel beſchneiden wollte; dabey aber nahmen ſie nicht weislich wahr, was ſie künftig auch für elende Sclaven des Römiſch. Stuhls ſeyn und bleiben wurden, und wie ſie ſelbigen nicht genug mit Geld wurden ſättigen können &c.

P. 145.

P. 145. Unter Kayſer Heinrich dem IV. haben die Creutz-Züge zur Eroberung des heiligen Lands gegen die unglaubige Beſitzer deſſelbigen auf Anſtiften Pabſts Urbans des II wider alle Gerechtigkeit und Klugheit ſich angefangen... wodurch nachmals die teutſche Kayſer ſowol als die übrige Königen und Fürſten von Europa an Mannſchaft entkräftet, ja unter dem Schein der Andacht ſelbe von Haus, Land und Leuthen und der Regierung abgezogen, und dardurch verhindert worden, den Pabſt und die Cleriſey nicht wieder unter den vorigen Gehorſam bringen zu können, welche indeſſen bey deren Abweſenheit und geſchwächten Zuſtand immer reicher und mächtiger vvurden.

P. 154. De Donatione Mathildis, Sedi Romanæ facta, ſcribit ex fabulatore Aventino: wie man dann dazumahl, als die Mathildiſche Donation kund vvurde, offentlich ſagte: Es habe eine Stimm vom Himmel geruffen, daſs ein Weib der Chriſtenheit überzuckertes Gift gegeben habe.

P. 155. & p. 165. de S. Bernardo: der Gleisneriſche Abbt Bernhard.

P. 182. Die unerträgliche Grobheit Hadriani IV: deſſen unbeſcheidene und arrogante Redens-Art.

P. 194. bey ſeiner Röm. Crönung Anno 1190 muſte er (Henricus VI) vom Pabſt Cœleſtino III den faſt unglaublichen Affront erdulten, daſs derſelbe die ihm mit denen Füſſen aufgeſetzte Kayſerl. Cron auch mit denen Füſſen alſobald vvieder vom Kopf ſtieſs &c.

P. 207. ait, daſs der Pabſt viel Landereyen unrecht an ſich gebracht.

P. 212. quòd Gregorius IX expeditionem ſacram & Friderici II progreſſus in Palæſtina ipſemet interturbârit.

P. 243. quòd Clemens IV particeps fuerit necis Conradini.

P. 248. Da nunmehro faſt 19 Jahr (ſcilicet Interregni) völlig verfloſſen waren, daſs Alles bund untereinander gegangen, und es ſich nunmehro auch anlieſs, als ob die weltliche Fürſten denen Geiſtlichen auch an die fetten Bäuche greiffen, und die Güter an ſich zu ziehen trachten vvolten, anbey auch ſonſten vvegen denen groſſen Troublen gar vvenig Geld aus Teutſchland nach Rom in die Päbſtliche Schatzkammer mehr kam &c.

P. 281. de Henrico VII. Imp. Er ſtarb entvveder an einem Geſchvvär an dem Knie, oder hitzigen Fieber, oder Zerſprengung der Blaſe... vvie die Scriptores coævi melden, ſo aus Furcht für der Geiſtlichkeit damals nicht anderſt ſchreiben dörffen. Jedoch bekräftigen

viele andere Scriptores hinvviederum einhellig, der Kayſer ſeye im H. Abendmahl von einem Dominicaner Mönch Bernhard de Monte Politiano auf Anſtiften der Florentiner mit Gift vergeben vvorden. Die Dominicaner und andere Päbſtliche Geſinnte laugnen zvvar dieſes Bubenſtuck aufs äuſſerſte: und produciren abſonderlich die Dominicaner zu Rettung ihrer Unſchuld ein Zeugniſs, vvelches ihnen Kayſer Heinrichs Sohn, Joannes König in Böhmen ſoll ertheilet haben. Allein König Joannes, vvie aus dem Diplomate, vvann es anders ächt iſt, klar zu erſehen, muſte ſeinen Beichtvättern hierin etvvas zu Gefallen thun, damit ſie ihn auch nicht vvieder mit aufgelegtem Buſen peinigten. Und vvas hätte es dann eines Teſtimonii Innocentiæ bedürft, und zvvar erſtlich nach 33 Jahren, vvann nicht die ganze Welt damals aus gründlicher Gevvisheit, und Ueberzeugung, die Dominicaner eines ſolchen erſchröcklichen Kayſer-Mords beziichtiget hätte. Stupidum ſanè Köhleri ratiocinium! nam cùm hoc ipſum Innocentiæ Diploma integris triginta tribus annis poſt Henrici fata primùm fuerit editum, Scriptores verò Henrico coævi longè aliud mortis genus aſſignent, inde oculatus quisque facilè agnoſcet, quòd multò ſeriùs ab Henrici deceſſu hæc in Dominicanos fabula fuerit cuſa; unde nec citiùs poterat Diploma Innocentiæ dari, quàm ipſa fabula naſci.

P. 296. Köhlerus jus tribuit Cæſari, diſpenſandi ſuper impedimento conſanguinitatis.

P. 341. ait, quòd jura ſalvi conductûs fuerint à Concilio Conſtantienſi violata in combuſtione Huſſi & Hieronymi Pragenſis.

P. 356. de Friderico III Auſtriaco: dieſer Kayſer vvar ein ſchläfriger und träger Herr, und von ſchlechter Regierungs-Kunſt, vvelches Unvermögen aber man mit ſeinem friedfertigen Gemüth entſchuldigte. Dabey vvar er von groſſem Geitz; dahero unzählige Staats-Fehler vorgiengen &c.

P. 359. Ein nicht geringer Fehler vvar es auch, daſs der Kayſer das Concilium zu Baſel aufhub, vvelches dem Pabſt die Flügel ſo vvacker beſchnitte, und Hofnung machte, in Teutſchland die alte Kirchen Rechte vvieder herzuſtellen.

P. 364. Die Churfürſten ermahnten den Kayſer, daſs er dem neuen Pabſt Calixto III nicht ſo viel einraumen möchte, ſondern die Päbſtliche Gevvalt nunmehro beſſer einſchräncken ſollte. Allein es vvare alles bey dem ſchläfrigen Kayſer Friderich umſonſt.

P. 400. Der ſchalckhafte Pabſt Julius II. P. 402. Der treuloſe Pabſt Julius II.

P. 405.

P. 405. An. 1517. geſchahe in Teutſchland aus einem geringen Anlas der Anfang zu der heilſamen Reformation der Chriſtlichen Kirche... nemlich der vvollüſtige und verſchvvenderiſche Pabſt Leo X hatte durch übermäſſigen Pracht und Uppigkeit ſeine Kammer dergeſtalt erſchöpfet, daſs um vvieder Geld zu bekommen, er einen Ablas in ampliſſima forma und Diſpenſation vvegen der Faſttäge für baare Bezahlung in der ganzen Chriſtenheit öffentlich ausbieten lieſs, und zu dem End überall gevollmächtigte Commiſſarios ausſchickte. Als nun abſonderlich in Chur-Sachſen, Johann Tezel ein Dominicaner Mönch, gar ſehr unverſchämt und vermeſſen in ſeiner Commiſſion verfuhre, ſo konnte Doctor Martin Luther, ein Auguſtiner Mönch und Profeſſor Theologiæ, ein ſehr gelehrter und herzhafter Mann, desgleichen ſchändliche Lehre weder mit der Vernunft noch der Heil. Schrift zuſammen reimen, und ſchlug dahero zu Steurung dieſes Aergerniſſes in der Kirche, und aus Liebe zur Wahrheit am 31. Octob. 1517 an die Schloſs-Kirche zu Wittenberg 95 Theſes wider den Ablas zu diſputiren an. Nun hätte der Pabſt klug gehandlet, vvann er Luthern und Tezeln ihre Sachen miteinander hätte austragen laſſen, und ſich nicht gleich mit ſolcher Heftigkeit dareingeleget, ja Tezeln gar recht gegeben hätte. Er hätte ihm nur ſeinen zu Rom ſelbſten von vielen Cardinälen gemiſsbillichten Unfug verweiſen, und in etwas den Greul des Ablaſs mindern laſſen dörffen, ſo wären dem Volck die Augen verkleiſtert geblieben; zumal da Luther auch gleich Anfangs dieſes Handels mit dem Pabſt nichts zu thun haben wollte, ſondern nur dieſem Dominicaner zu Leibe gieng, als einem frechen Böſswicht, der des Pabſts Auctorität misbrauchte, und aus denen Schrancken ſeiner Vollmacht ſchritte. Aber GOtt hat es anders verſehen, und ſolte nunmehro das helle Liecht ſeines unverfälſchten Worts aus der dicken Finſternus mit aller Macht hervorbrechen, und ein unanſehnlicher ſchlechter Mönch den Pabſt, welchen faſt kein Concilium mehr zu übermeiſtern vermochte, einen ſo tödlichen Streich verſetzen... Kayſer Maximilian gefiel es Anfangs gar ſehr wohl, daſs Luther ein ſolches Spiel mit denen durchgehends verhaſten Ablaſs-Krämern anhub. Dahero auch er Churfürſten Friderich zu Sachſen durch deſſen Rath Pfeffinger ermahnte, dieſen Mönchen fleiſſig zu bewahren, es möchte ſich zutragen, daſs man ſich ſeiner bedürfte... Es ware dieſer (der Augſpurg:) der letzte Reichs-Tag, auf welchem wegen des Türcken-Kriegs berathſchlaget wurde. Der Pabſt gabe vor, das Ablas-Geld ſolte wider die Türcken angewendet werden; aber man wuſte es beſſer, worzu er es brauchte...., Churfürſt Friderich

derich von Sachſen. . . hintertrieb ſowol, daſs man nicht zu einer Römiſch. Königs - Wahl ſchritte, als auch, daſs der Pabſt unter dem Schein des Türcken - Kriegs durch den Ablas und Zehenden Teutſchland nicht aufs neue ausſaugen durfte.

P. 410. Es wird ihm auch (Maximiliano I) nicht vvohl geſprochen, daſs er hat an. 1511. getrachtet Pabſt zu vverden.

P. 458. Alle Staats - Verſtändige müſſen bekennen, daſs Kayſer Carl (V) das vvahre Intereſſe von Teutſchland ſich niemals eine Regel ſeiner groſſen Unternehmung habe ſeyn laſſen, ſondern vielmehr in allem die beſondere Hochheit und Macht ſeines Erz - Hauſes und erblicher Reich zu befördern geſucht, auch zu deren Verſtärckung vielmehr die Kräfte von Teutſchland angevvendet habe.... Ingleichen tadlet man ihn, daſs er nicht bey Luthers Reformation die ervvünſchte Gelegenheit ergriffen, ſich von der Päbſtlichen Gevvalt zu befreyen, die ſo viele 100 Jahr die Kayſerl. teutſche Reichs-Hoheit mit Füſſen getretten; ingleichen daſs er nicht nach dem Rath des Herzogs von Alba das eroberte Rom behalten, und den Sitz des Kayſerthums daſelbſt vvieder aufgerichtet, vvordurch der Pabſt recht vvurde gedemüthiget, hingegen die alte Hoheit und Würde des Röm. Teutſchen Kayſerthums vviederum in ihren vorigen Glanz und Herrlichkeit erneueret und hergeſtellet vvorden ſeyn. Allein deſſen allzugroſſe Devotion, und die Furcht für dem Haſs der Cleriſey verhinderte alle dieſe groſſe Staats - Intereſſe, vvelches der Kayſer ſovvol als ſeine vortrefliche Miniſtri ganz genau einſahen &c. &c.

P. 496. An allem einreiſſenden Unheil aber vvar das ſchläfrige und nachläſsige Regiment Kayſer Rudolphs (II) Schuld, vvelcher bey ſeiner Drechſelbanck und bey ſeinen Chymiſchen Proceſſen und Aſtronomiſchen Obſervationen, vvelchen Dingen er überaus fleiſſig oblag, die Beſorgung der Reichs - Geſchäften gar ſehr vergaſs, und ſich von ſeinen Miniſtris und der Geiſtlichkeit... gänzlich regieren lieſs.

P. 535. Ad An. 1633. Jedoch vväre es beſſer zu baldiger Endigung des Kriegs gethan gevveſen, vvann aus ſo vielen (Proteſtantiſchen) ein ganze groſſe Haupt - Armee vväre gemacht vvorden, und darmit der Einbruch in die Kayſerlichen Erblande geſchehen vväre.

P. 574. Es hatte aber ſein (Innocentii X contra Pacem Weſtphalicam) vviederſprechen keinen Nachdruck. . . der Kayſer auch ſelbſt zum Päbſtlichen Nuntio ſagte: der Pabſt hätte gut ſagen, vveilen ihm die Donna Olympia den Kopf kratzete, da es in Teutſchland bund hergienge.

P. 629. Der Pabſt... improbirte die Königl. Preuſchiſche Würde zum höchſten. Er vvurde aber heſslich abgevvieſen, und hatte die vvenigſte Ehr von dieſem unbeſonnenen Widerſpruch.

P. 640. Kayſer Joſeph nahm ſich vor, den Pabſt vvegen ſeiner bisheriger groſſen Partialitet gegen Franckreich und den Herzog von Aniou zu züchtigen, zumal da der Pabſt ſeine Sünden-Maas beym Kayſer vollends dadurch häufte, daſs er mit gröſter Ungeſtümme verlangte, der Kayſer ſolte vvegen der Ausübung des ihm zukommenden Rechts der Erſten Bitte erſtlich um die Päbſtliche Vervvilligung demüthigiſt bitten. Dahero geſchahe es auf Kayſerl: Befehl, daſs die Teutſchen ihre Winter-Quartier in dem Parmeſaniſchen, Placentiniſchen, und Ferrariſchen an. 1706 nehmen muſten. Der Pabſt ſuchte ſich dagegen mit ernſtlichen Bullen und endlich gar mit dem eitlen Bann zu trohen. Weilen aber die Zeiten der Unvviſſenheit verſchvvunden vvaren, da man ſich durch eine ſolche angemaſste Geiſtliche Tyranney hatte ſchrecken laſſen, ſo vvurde er damit vom Kayſer verächtlich abgevvieſen, und ſuchte man vielmehr, um ihm recht Tort zu thun &c... Wie nun in ſolcher Noth S. Peters Binde-Schlüſſel nicht helffen konnte, ſo vvolte der Pabſt mit S. Pauli Schvverd darein ſchlagen.

P. 642. Solchergeſtalten hat Kayſer Joſeph die alten Reichs-Rechte in Italien höchſt-rühmlichſt cum fremitu Papæ vertheidiget.

P. 654. Der Pabſt führte ſich bey dieſer Kayſers-Wahl (Caroli VI) am allerübliſten auf, und lieſs durch ſeinen Nepoten Albani.... Schriften ausſtreuen, in vvelchen er von dem Röm. Teutſchen Reich als ſeinem Eigenthum redete... Eben dieſer Albani verlangte mit aller Gevvalt, daſs... in die Capitulation gevviſſe unrechtmäſſige Forderungen des Röm. Hofs.... ſolten einverleibet vverden... Allein es wurde nach allem dieſem ſo wenig gefragt, daſs Albani um viele Proſtitution zu vermeyden, ſich endlich von Franckfurt nach Cölln... begeben muſte. Wie dann auch die ganze verſtändige Welt dieſe Päbſtliche Impudenz bey dieſen heiteren Zeiten deteſtirte.

Ita ſanè: totus ſanior Orbis apertiſſimam Köhleri impudentiam hisce Criticæ ſerenioris temporibus deteſtabitur. Quòd ſi Köhlero pariter animus fuiſſet ſerenior, non ita calamus depuduiſſet, ut tot fabulis, mendaciis, convitiis, atque dicteriis omnium Ordinum homines, & Summos, quà Eccleſiæ quà Seculi Principes proſcindere, vellicare, & allatrare non perhorreſceret. Quanquam plura adhuc ſuperforent, quibus Köhleri Hiſtoria fœtet; ſed paginæ parco.

KRANZIUS Albertus, Canonicus & Decanus Hamburgenſis, qui obiiſſe dicitur VII Dec. 1517, Varia edidit Opera, inter quæ 1mò *Metropolis Saxoniæ* edita Coloniæ an. 1574. Francofordiæ an. 1576 & 1590. De hac tamen Francofordienſi editione obſervat Leo Allatius in confutatione fabulæ de Joanna Papiſſa (Vid. T. ultimum ſive XXV. Hiſt. Byzant. edit. Venet.) quòd Francofordienſes Typographi notam illam eraſerint ſive omiſerint, quam Editor Colonienſis ad illuſtratam à ſe Kranzii Metropolim lib. II. p. 100. addiderat, nimirum in genuino Mariani Scoti Codice nihil de Joanna Papiſſa reperiri. 2. *Vandaliæ*, & *Saxoniæ*, quæ Coloniæ prodiêre an. 1519. Francofordiæ an. 1580. 3. *Daniæ*, *Norwegiæ*, *Suecia*, typis ſimiliter Francofordienſibus an. 1583, & rurſus an. 1585. De Kranzii *Metropoli* ita pronuntiat Eckartus T. I. Comment. de Rebus Franciæ Orient. in Præf. ad Lectorem: *Albertus Crantzius in Metropoli Saxoniæ primus* (è Germanis) *majora auſus eſt, & egregiis monumentis uſus, quæ jam magnam partem deperierunt, Metropolim Saxoniæ ſuam ita confecit, ut exemplo eſſe poſſit hiſtoriam ſacram ſcripturo, ſi Auctores ſuos ubique laudaſſet, & verba ipſa Diplomatum, quæ habuit, inſeriſſet. Adde, quòd etiam in illa temporum barbarie verum à falſo, fabulas vulgares à relationibus certis, nondum ſatis diſtinxerit. Bergerus* in Præfatione animadverſionum ad Cocceji Juris publici Prudentiam ait: Crantzii *Opus de* WANDALIA *neque omnibus acceptum ſatis eſt, quòd contineat plura, à veritatis via quæ mirificè deflectant.* Sed neque Kranzii *Saxonia* fabulis caret; qualis v. g. eſt illa l. 2. c. 20. de Sacrilego Caroli M. pudore, & peccato ad mortem usque reticito, divinitus tamen per ſchedulam remiſſo: ùtùt ipſe Kranzius hanc narratiunculam Tῶ *fertur* cautè circumſcribat. Vid. *P. Joſ. Pichler* in Hiſt. Imp. Romano-Germ. Sec. I. cap. 3. Corollario 37. n. 90. p. 81. Meritò tamen ab omnibus, ùt à Poſſevino in Apparatu, Bellarmino in Scriptor. Eccleſ. p. m. 433. &c. Kranzius laudatur, ùt *Vir admodum diligens in hiſtoriis conſcribendis. Sed* (ùt Bellarminus ſubjungit) *impiæ notæ ad marginem additæ ab hæreticis, fecerunt, ut libri hujus Auctoris* (edit. Francoford.) *prohiberentur in Indice Romano, donec purgarentur.* Hujus prohibitionis etiam meminit *Poſſevinus* l. c. p. 30. & *Labbeus* T. I. Script. Eccl. p. 684. inter Addenda. *Vid.* noviſſ. Ind. Rom. p. 9. Pluribus de Kranzio ejúsque Scriptis agit Gerardus *Voſſius* l. 3. de Hiſt. Latin. c. 10. ex variis Auctoribus, quos allegat *Labbeus* l. c. p. 25. & *Nat. Alex.* T. VIII. Hiſt. Eccl. Sec. XVI. Cap. V. Art. VI. p. 205.

L.

L.

LAMBERTUS Schaffnaburgenſis, ab anno 1058 Hirſchfeldenſis in Germania ſive Haſſia Cœnobii Monachus (prout ipſe ad e. a. fatetur) Rerum Germanicarum Hiſtoriam ſcripſit usque ad an. 1077. Cujus variæ Editiones extant. *Prima* Tubingæ an. 1533. *Altera* Francofordiæ an. 1566, per Simonem Schardium. *Tertia* Baſileæ an. 1574. *Quarta* rurſum Francofordiæ an. 1583 inter Piſtorii Scriptores Germanicos. *Quinta* ibidem an. 1670. *Sexta* Gieſſæ Haſſorum an. 1673. *Septima* Ratisbonæ an. 1726 inter Struvii Script. Germ. Ait de Lamberto *Nat. Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. ad Sec. XI. Cap. V. Art. V. p. 505. n. 2. *Veracis hiſtorici laudem conſecutus eſt; ipſius haud inculta ſcribendi ratio.* Similiter *Pagius* T. IV. Crit. ad an. 1058. n. 1. Lamberti auctoritatem ut *minimè ſuſpectam* prædicat. Ipſe etiam Buderus Acatholicus in Biblioth. Script. apud Struvium in Corp. Hiſt. Germ. p. 127. §. 75. fatetur, quòd *licèt Lambertus Pontificiam cauſam ſubinde tueri ob Ordinis rationes videatur, ſatis tamen cordatum ſe præbeat.* Denique non *accuratè* ſolùm, ſed & *eleganter* hiſtoriam à Lamberto concinnatam, ex vero aſſerit Graveſonius P. I. Hiſt. Eccl. T. IV. Colloq. V. p. m. 107. col. 1. Duo verò in Lamberto ſunt obſervanda. *Primum*, quòd Anni exordium à Natali Dominico petat, more plurium ejus ævi Scriptorum, præcipuè Germanorum. Vid. *Pagius* l. c. *Alterum*, quòd ea, quæ diverſis annis contigêre, ſubinde uno ſtatim tenore recenſeat, eodémque cum anno conjungat, haud dubiè, ut per continuam totius rei ſeriem, in plures aliàs annos digerendam, major lectoris memoriæ facilitas, & orexi ſatietas accedere poſſet. Sed hæc ipſa ejusdem rei continuata narratio Baronium in Chronologia decepit, ùt notat Pagius ad an. 1064. n. 3. Lambertum poſtea usque ad an. 1472 continuavit Anonymus Monachus Erfordienſis, quem tamen & accuratione & elegantiâ Lamberto haud parem idem Natalis l. c. advertit. Add. *Poſſevin.* qui T. II. Apparatûs, Lamberti Hiſtoriam *Volumen inſigne & jucundæ lectionis* appellat: *Bellarm.* qui l. de Script. Eccl. *inſignis & veracis hiſtorici* laudem eidem impertit: *Labb.* qui T. II. de Script. Eccl. p. 5. ita habet: Lambertus *culto ac veraci ſtylo ſcripſit Hiſtoriam ab orbe condito ad an.* 1077. *Continuatio Monachi Erfordienſis usque ad annum* 1472 *non accedit ad præcedentis Hiſtoriæ dignitatem, ſed hominem ſapit parùm accuratum atque elegantem. De Lamberto plura dabunt Lipſius, Joſ. Scaliger, Voſſius, Barthius, alique.* LAMBERTUS.

LANDULFUS Sen. LANDULFUS Senior, Scriptor Mediolanenſis, geſta Mediolanenſium ab an. 1012 exorſus, in Anno 1100 (quo tempore vixit) narrationem finiît. Vid. *Pagius* ad an. 1100 n. 26. Extat hæc Hiſtoria tum apud Puricellum in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ, tùm apud Muratorium T. V. Script. Ital. Non minùs autem hic Landulfus, quàm junior alter falſitatum & calumniarum convincitur à Papebrochio T. V. Junii in Actis SS. Arialdi & Herlembaldi: à Pagio T. IV. Crit. ad an. 1067. n. 2. ubi Landulfi calumniam de S. Arialdi corpore manifeſtè refellit.

De Chronico, quod à nonnullis S. Datio perperam tributum fuerat & non niſi Landulfo huic Seniori debetur, *Vid. ſuprà*, verbô: *Chronicon S. Datii*: item *Murator.* l. c. *Pagius* T. IV. Crit. ad an. 1045. n. 11. T. II. ad an. 552. à n. 26. *Pinius* noſter T. VI. Julii p. 513. n. 54. 55. ubi dicit, quòd *Chronicaſter ille ſit ineptus, abſurdus, imperitus, ſubleſtæ fidei, qui nec tenuiſſimæ fidei micam facere poſſit* (in rebus antiquioribus v. g. Sec. IV) denique, qui *non in eruditione tantùm Eccleſiaſticâ ineptiat, ſed in ipſarum etiam rerum narratione, quæ non multis Seculis aut annis ante ejus tempora contigerant. Ejus vitia & maculas detegit & caſtigat* Muratorius in prolegomenis T. IV. Script. Ital. p. 49. 50.

De Hiſtoria *Miſcella*, cujus ſimiliter Landulfus à nonnullis Auctor eſt creditus, vide lit. M. verbô: *Miſcella.*

LANDULFUS Jun. LANDULFUS junior, ſive à S. Paulo, circa medium Seculi XII Hiſtoriam pariter Mediolanenſem conſcripſit ab an. 1094 ad an. 1137. Vid. *Pagius* T. IV. ad an. 1136. n. 7. & 6. ubi patet, quòd Lothario II imperante Scriptor hic vixerit. Edidêre hanc Hiſtoriam tam Puricellus, quàm Muratorius l. antè cit. Vid. *Pag.* T. IV ad an. 1134. n. 6. *Acta SS.* T. IV. Aug. p. 146. n. 207. p. 147. n. 208. Quamvis autem Pagius ad an. 1136. n. 7. meritò aſſerat, quòd ex hac Landulfi Hiſtoria magnam lucem Eruditio Eccleſiaſtica accipere poſſit, ac proin ipſe frequentiùs hujus Landulfi narratione in rem ſuam benè utatur: ſuis tamen nævis, minimè levibus, Landulfus non caret, atque idipſum in illo graviter reprehendit Papeprochius, quod jam alibi in Arnulpho Mediolanenſi obſervavimus. *Vid.* lit. A. verbô: *Arnulphus.*

LANGLET. LANGLET du Frenoy, Preſbyter Gallus, & noſtræ ætatis recentior Scriptor, complures quidem Hiſtoriæ Tomulos gallicè lucubravit; Aſt quàm ſtudiô partium is laborârit, quàm liberaliter ſuas ipſe regulas neglexerit, quàm præpoſterè nullius fidei Scriptores ſine ſelectu judicióque exſcripſerit, quàm miſerè demum circa res Germaniæ ſit hallu-

hallucinatus, tum alii, tum præcipuè P. Schvvarz P. III. Colleg. Hiſt. à p. 401 affatim commonſtravit. Et, quod multò pejus, eandem inſuper malevolam ſortem experta ſunt hæc Langletii opuſcula, quam tot aliorum Orthodoxorum volumina, cùm in heterodoxorum manus ea devenerint. Malè etenim in Hollandia labores ſuos fuiſſe recuſos, tum ipſe Langletius queritur, tum & Memoriæ Trivoltienſes ad an 1714 menſem Septembrem p. 1665, & ipſe denique Menkenius Acatholicus teſtantur. *Vid. P. Schwarz* l. c. p. 397. 398.

LAUNOYUS JOANNES, Doctor Sorbonicus, qui fato perfunctus eſt an. 1678, ſeptuaginta circiter Opera & Opuſcula elucubravit, *criticus ubique acer, & multis inviſus, quorum traditiones opinionesque labefactavit*: prout de illo loquitur Papebrochius P. II. Reſponſ. contra P. F. Sebaſt. à S. Paulo Art. XXIV. §. IX. n. 44. p. 477. Imò *in auctoritatem Romani Pontificis ac honorem, dignitatémque Romanæ Curiæ carpendam admodum pronum, Sophiſmatibus plenum, nomine magis quàm reipſa Catholicum* Launoyum vocat Joannes Ciampinus in Parergo ad Examen Libri Pontificalis, ſive in Epiſtola Pii II ad Carolum VII Franciæ Regem, ab hæreticis depravata, & à Launoyana calumnia vindicata p. m. 2. 15. 17. 21. 24. Sollerio noſtro dicitur *hypercriticus* Launoyus, receptas *traditiones quoquo modo ſubvertere ſuetus, haud ſatis memor, ſeſe obſcuris & obtritis armis pugnare, utpote ſolo vincendi ardore abreptus, nec ſatis inhærens poſitis alibi principiis*; tametſi & illud fateatur Sollerius, quòd *non in omnibus usque adeò malè arguat* Launoyus, *niſi ſobrietatis limites prætergreſſus hypercriticæ ſuæ vela nimium expandiſſet, ſingula arrodere, vellicare, & prorſus convellere mordaciori dente conatus, accerſitis undecunque parùm fundatis ſubſidiis.* Vid. T. V. Julii p. 205. n. 103. 104. p. 214. n. 150. in Comment. prævv. de S. Magdalena. Multò prolixiùs Launoyum Graveſonius P. III. Hiſt. Eccl. T. VIII. Colloq. V. p. m. 161. col. 1. hisce verbis deſcripſit: " Joannes Launoyus, Conſtantiæ in Normannia, " Galliarum Regni Provincia, natus, Doctor Sacræ Facultatis Pa- " riſienſis, Vir quietis impatiens, quâ nec ſe, nec alios frui ſinebat, " & nativa quadam titillatus prurigine ſugillandi, ac jure vel injuriâ " carpendi Viros illuſtres, calamum felle tinctum in plures acuit, re- " ceptásque communi piorum ſuffragio opiniones laceſſivit argu- " mentis utplurimùm negativis... Certè ut liberè dicam, quod olim " de moroſiori quodam Cenſore lepidè ajebat *Tullius Cicero*, illum vi- " delicet *Grammaticæ non Ariſtarchum eſſe, ſed Phalaridem*: in *Joannem* " *Launoyum*, nuperum Criticum, jure optimo detorqueri poteſt, " eum videlicet multarum traditionum, & opinionum non Ariſtar-

LAUNOYUS

" chum, ſed Phalaridem fuiſſe. Ille quippe eſt ſuperilioſus Cenſor, " qui non ferro, ſed ferreo calamo in plures receptas opiniones ac " traditiones temerario auſu graſſatus eſt, qui facta omnia infecta " eſſe pertendebat, qui totus fuit in vetuſtiſſimis quibusque Sanctis " è Cœlo pro virili parte detrudendis, quaſi depopulandi Cœli par- " tes ſibi deſumpſiſſet.... qui plura monaſteria à juribus & privile- " giis, longa non ſolùm annorum ſed etiam Sæculorum ſerie confir- " matis depellere aggreſſus eſt: qui Primatûs Romani Pontificis ju- " ra omni ſtudio elevare molitus eſt... qui denique, ut cetera alia " miſſa faciam, *S. Thomæ Aquinati*, Doctori Angelico, non pepercit, " eſque *Summam Theologicam* tripartitam ſiculneis conjecturis, quas in " ſuperioribus Colloquiis exſufflavimus, abjudicavit, multâque id " genus in his, quæ edidit, Operibus tractavit argumenta, à quibus, " ſi illam, qua laborabat, ſcripturiendi cacoëten, & pruriginoſam " de omnibus dubitandi libidinem cohibere potuiſſet, in integrum ſu- " perſedere debuiſſet. Quod cùm non fecerit, & impotenti ſuæ libi- " dini ſingula quæque, quæ ad ipſius ſalivam non erant attemperata, " in dubium præpoſterè revocandi absque ullo fræno indulſerit, in- " delebilem importuni, moroſi, & ſupercilioſi Cenſoris notam no- " mini ſuo inuſſit. Ita Graveſonius. "

Sanè quo in Eccleſiam Romanam animo fuerit Launoyus, vel ex ſolo illius libro conjiciet Lector, quo *Annatas* tanquam execrandum Simoniæ genus perſtringere, & effrontem huic ſatyræ ſuæ titulum præfigere auſus eſt: *De veneranda Eccleſiæ Romanæ traditione circa Simoniam.* Per octo autem Epiſtolarum libros quid aliud facit Launoyus, quàm quòd ſæpe ſæpiùs Pontificis Romani Primatum impugnet? unde & factum, ut Antonius Reiſerus Auguſtanus Launoyum inter teſtes & Confeſſores Religionis Evangelico-Catholicæ numeraverit, edito etiam librô, cui titulus: *Joannes Launoyus, teſtis & Confeſſor Veritatis Evangelico-Catholicæ, in potioribus fidei capitibus controverſis, contra Robertum Bellarminum* &c. Amſtelodami an. 1685. Imò illæ ipſæ Epiſtolæ, quibus Launoyus interpretationes ſuas inſeruit, paulò pòſt in Anglia, ſcilicet Cantabrigiæ an. 1689 fuêre recuſæ à Guilielmo Saywello, non ob aliam rationem, quàm ut iis reformationem Eccleſiæ Anglicanæ tueretur, & contra Baronium, Bellarminum, aliósque Scriptores Catholicos defenderet, prout ipſe Saywellus in præfatione Apologetica explicat, & Lipſienſes in Actis Eruditorum ad menſem Aprilis anni 1690 diſertè referunt. *Vid. Scheleſtratius* T. II. Antiquit. Illuſtratæ Differtat. II. Cap. VI Art. I. p. m. 120 n. 1. & 2 & ſeq. ubi Launoyum pluribus refellit, uti & alibi cit. Tomo II. *Vid.* lit. L. in Indice, verbô: *Launoyus.*

noyus. Fuerat quidem ille Reiſneri de Launoyo liber mox à Romana Sede confixus; aſt nec ſic Launoyus ab impacta per Reiſnerum calumnia potuit vindicari, quin præjudicium quoddam adverſus Launoyum, quaſi hæreticis faverit, in Eruditorum fidelium animis fuerit adhuc relictum. Quin potiùs auctum id eſt, poſtquam alia poſtmodum Opuſcula Launoii recentiùs acceſſêre v. g. *de Regia in matrimonium poteſtate, ſive de Jure Secularium Principum Chriſtianorum in ſanciendis impedimentis, matrimonium dirimentibus*: item *Diſſertatio de Niceni Canonis VI, ut à Ruffino explicatur, vera intelligentia* &c. Vid. *Papebroch.* l. ſuprà cit. n. 45.

Sed neque in allegandis textibus Launoyum ſatis fuiſſe ſincerum advertunt *Natalis Alex.* T. III. Hiſt. Eccl. Sec. III. Diſſert. XXIV de hæreticorum baptiſmo Objectione quarta ex S. Epiphanio: & *Sandinus*: in Diſputatione VIII de Concilio Plenario n. 34. p. m. 136. Edit. Herbipol. Vocem enim *ab Arrianis* Launoyus ſeu mala fide ſeu per oſcitantiam omittit, atque ita textum ad *omnes* hæreticos perperam extendit, Tomo II. Operum Parte II. p. 109. Pluribus de Launoyo agunt *Scheleſtratius, Papebrochius, Sollerius*, l. c. & *Moreryus* in Dictionario Hiſtorico &c.

Recuſa ſunt omnia Launoii Opera atque in quinque Tomos redacta Genevæ ſive Coloniæ Allobrogum an. 1731. Syllabum illorum etiam recenſet *Moreryus* l. c.

Notandum verò, quòd ferme dimidia, ſeptuaginta horum Operum, Pars pro merito ſuo prohibita fuerit, ſuſpenſa, atque damnata. *Vid. noviſſ. Ind. Rom.* p. 227. 228.

LAZIUS. Lazius Wolffgangus, Seculi XVI Medicus & Hiſtoriographus Viennenſis, præter alia Opera tum ab inſignibus *Reipublicæ Romanæ, Germanicæ, Græcæque* Commentariis, tum ab Eruditis *de migratione Gentium* libris XII, haud vulgariter apud literatam poſteritatem ſui nominis famam memoriámque promovit. Attamen *non ſummæ ſemper auctoritatis* is eſt, *quòd quæ profert, non firmet certis Veterum teſtimoniis*: ut Hagiographi noſtri obſervant T. I. Febr. p. 306. n. 13. De *Abdia Babylonio*, Apoſtolorum biographo, per Lazium edito: item de Lazii Tractatu, quem *de Laureaco Veteri* ſcripſit, *Vide* lit. A. verbô: *Abdias*: & lit. B. verbô: *Bruſchius*. De ceteris Lazii lucubrationibus *Vid. Poſſevin. Morery. Nat. Alex. Geſner. Iſelin. Menken.* &c. *Ludewigius* verò in *Germania Principe*, quam ſub nomine *Lud. Petr. Giovanni* edidit, p. m. IX de Script. Germ. ita de Lazio inquit: *Felicior Lazius in Genealogiis, quàm in hiſtoriis eſt. Cæſpitat in Gentium originibus deſcribendis non raro; glaciem*

enim

enim fregit, neque noſtra ætate eſt, qui hanc ſpartam ex inſtituto auſus fuerit occupare. Origines verò ortúsque domuum Bavaricæ, Palatinæ, Brandeburgicæ, Saxonicæ, Brunsvicenſis, Haſſiacæ, Wirtenbergicæ, aliarúmque plurium ita oſtendit, ut carere eo nequeamus.

LEHMANNUS. LEHMANNUS Chriſtophorus, ſuperioris Seculi Scriptor, Civitatis Spirenſis Syndicus & Hiſtoriographus, *Chronicon* compilavit, quod ùtùt *Spirenſe* vocetur, totius tamen Germaniæ Hiſtoriam usque ad Maximil. I. complectitur, prout advertit Gundlingius in Prolegom. ad Hiſt. Imper. §. 53. p. 50. A Boecleri maximè & Conringii temporibus ita Operis hujus æſtimatio crevit, ut non pauci JCti nil præter Lehmanni Chronicon de Germaniæ rebus lectitâſſe ferantur. Quanquam adhuc plurima ſunt, quorum notitia eo in Opere deſideratur; ùnde & Germaniæ Principis Auctor Ludewigius modico illud, utpote mancum imperfectúmque, imò nulli propè uſui futurum exiſtimavit. Aliter tamen cenſet Gundlingius l. c. §. 54. Chronicíque hujus utilitatem commendat, tum quòd inventis facile ſit addere, tum quòd res Rhenanas, Alſaticas, & Alemannicas perquam diligenter enarret. Multò altiùs hujus Chronici laudes attollit Conringius, qui Lehmannum quidem *doctiſſimum diligentiſſimúmque indagatorem*, *Opus* verò illius *incomparabile* dixit. *Vid.* T. VI. Operum in Indice, verbô: *Lehmannus*: & nominatim T. II. p. 9. & 25. T. VI. p. 154. 168. Tametſi hic ipſe Lehmanni Encomiaſtes Conringius non neget, quòd in pluribus ille errârit, ùt ex cit. T. VI. Indice liquet. Imò nec ſincera ubique fide, aut certè minùs ſufficiente peritia cum Auctoribus antiquis v. g. cum Ditmaro egiſſe Lehmannum, varia item temerè confudiſſe aut inepta narrâſſe, affirmat *Gewoldus* in Tractatu de ſeptemviratu Cap. VII. §. 9. p. m. 108. 109. Vid. etiam *P. Schwarz* P. III. Colleg. p. 100. 101. & P. IX. verbô: *Lehmannus*.

LUITPRANDUS. LUITPRANDUS, primùm Ticinenſis Diaconus, dein Epiſcopus Cremonenſis, & à legationibus clarus, quas ſub Othonibus Auguſtis ad Nicephorum Phocam Orientis Imp. obiit, ſcripſit *primò* de hac ipſa ſua legatione: quam ex MS. Codice Trevirenſi typis dedit Henricus Caniſius Ingolſtadii an. 1600: dein noſter Hieronymus Highuera Antverpiæ an 1640: & rurſum Ludov. Ant. Muratorius T. II. Script. Ital. Tomo II. an. 1723. Advertit tamen Gretſerus l. 1. Variarum c. 7. p. 68, quòd Luitprandus in hoc Opere bilem ſuam nimis liberè interdum adverſus Græcos vagari ſinat. Scripſit *ſecundò* Hiſtoriam, ſeu libros VI de geſtis Europæ Regum & Imperatorum ab Arnulphi Cæſaris ætate

usque

usque ad sua tempora. Editiones hujus Operis fuêre variæ. 1mò. Basileensis A. 1532 curante Hervagio inter Scriptores rerum Germ. 2. Francofordiensis an. 1584 itidem inter Script. Germ. per Reubrum editos. 3. Hanovienſis an. 1619. 4. Antverpiensis an. 1640 per dictum Highueram. 5. Parisina per Du-Chesnium T. III. Script. Franc. 6. Mediolanensis per Muratorium an. 1723. T. II. Script. Ital. De tempore autem, quo Luitprandus Opus hoc suum absolverit, disquirit *Pagius* T. IV. Crit. ad an. 963. n. 3. atque ita statuit: " Ille rerum, " suo præsertim tempore gestarum, narrationem inter annos 957 & " 960 edidit; Libro enim IV. Cap. VII. Luitolfi Othonis M. filii mor- " tem deplorat, & lib. III cap. VII de Constantino Porphyrogenne- " ta tanquam de Imperatore vivente loquitur. Quare cùm Luitol- " fus an. 957 vivere desiêrit, Constantinus verò die IX Novembris " Anni 959, ùt anno 960 vidimus: ea Historia libris sex comprehen- " sa, intermedio illo tempore publicata, eique Caput sextum & quin- " que sequentia adjecta, ùt ex variis conjecturis deducit Baronius " (ad A. 963. n. 3.) In iis enim de gestis anno 960 & quatuor sequen- " tibus sermo est. Incertum tamen, an ipsemet Luitprandus vel quis- " piam Anonymus illa Capita addiderit. „ Ast Labbeus T. II. Script. Eccl. p. 34 ita verosimiliùs inquit: *Rectè post Baronium Bellarminus, Vossius, aliique observárunt, Luitprandi narrationem Capite V. Libri VI definitam desinere in descriptione prioris legationis CPolitanæ, quam ipsius Berengarii jussu obiérat. Sextum verò, & quæ sequuntur Capita usque ad undecimum ab alio quopiam ejusdem ætatis Scriptore fuisse appendicis vice subjecta: quod & styli diversitas, rerúmque, quæ narrantur, ἀνακολουθία & Luitprandi Cremonensis Episcopi iterata sæpiùs mentio haud ægrè persuadent.* Labbeo consentiunt *Natalis Alex.* T. VI. Hist. Eccl ad Sec. X. Cap. III. Art. XXXIX. p. 77. n. 2. *Gravesonius* P. I. Hist. Eccl. T. IV. Colloq. V. p. m. 98. idémque ante Labbeum sensit *Possevinus* T. II. *Apparatûs*: atque ex parte suspicatus jam est Henricus *Canisius* in Præfatione ad editam à se Luitprandi Diaconi legationem ad Nicephorum Phocam. *Muratorius* quidem in Præfat. ad eundem Luitpr. T. II. Script. Ital. p. 422. (Vid. *Sandin.* in Vit. Pontif. n. 5. ad Vitam Joannis XII) etiam post satis solida Baronii argumenta nonnihil in dubio hæsisse videtur, ita inquiens: " Sex posteriora libri sexti capita, ubi de damnatione Joannis Papæ " XII agitur, inter Baronium, Vossium, Caveum, Dupinium, aliós- " que disceptatum est, num Luitprandum auctorem habeant, an alium " quenquam Continuatorem ejusdem Historiæ, qui tamen iis, aut " proximis temporibus vixerit. Adhuc sub judice lis est. Equidem " puto, integram ad nos non perveniſſe Luitprandi historiam: neque

" enim in ea legimus propiora tempori, quo ipſe ſcripſit, ac potiſſi-
" mùm Berengarii II. facinora, quæ ipſum acriùs torquebant, atque
" ad ſcribendum incitabant. „ Aſt mihi propè indubitatum certúmque videtur, quòd ultima ſex libri VI capita alium longè Continuatorem ſapiant, quàm Luitprandum; nam ipſa ſcribendi ratio, quam aliàs Luitprandus ſibi receptiſſimam ac ſolenniſſimam habet, in poſtremis hisce Capitibus à Luitprando penitus abludit atque recedit. Sive enim Luitprandi Opuſculum de altera legatione ſua CPlitana ſub Othonibus Auguſtis ſuſcepta, ſive hanc ipſam, de qua nunc agimus, Luitprandi Hiſtoriam, & ſpeciatim ipſius Libri ſexti prima quinque Capita (quibus non niſi primam ſuam in Orientem legationem, à Berengario Rege ſibi demandatam, prolixiùs deſcribere fuit aggreſſus) perfunctorio etiam oculô luſtraveris, illico agnoſces, quòd in primâ ſemper perſona de ſe ſuisque negotiis Luitprandus Diaconus loqui conſueverit. Aſt quamprimum ad libri VI. Caput VI, VII, & VIII (ubi Romana ſimiliter Luitprandi, jam Cremonenſis Epiſcopi, legatio & ad Synodum allocutio deſcribitur) perveneris, in tertiâ ſolùm perſona, velut alterius longè hominis, Luitprandi geſta dictáque Continuator enarrat: ut nec leviſſimum etiam indicium extundere poſſis, quod Luitprandum additamenti hujus, cum priore Hiſtoria ne quidem cohærentis & ſtylum inſuper variantis, Auctorem loquatur. Multò itaque alius laciniæ hujus ſartor & conſarcinator extitit, quàm Luitprandus, & ſi quid video, ævi poſterioris declamator Germanus, quàm addictus Cæſari, tam Pontifici infenſus: qui ſcilicet quæpiam ex coætaneis Scriptoribus, præcipuè circa Conciliabuli Romani adverſus Pontificem Acta, ſit mutuatus, hæc ipſa verò ſuis deinfabulis atque mendaciis in Romanæ Sedis opprobrium audaciſſimè interpolârit, atque Joannis XII flagitia ultra omnem veri ſpeciem exaggerârit. Ea enim crimina & criminum monſtra in pauculis hisce Pſeudo-Luitprandi Capitibus Joanni tribuuntur, quæ nemo alius ex illius ævi Scriptoribus, ſive Italis ſive Germanis, tam diſtinctè ſimul ac fordidè in literas miſit. Demum Cap. XI. tacentibus ceteris ita mentitur impoſtor Schiſmaticus: *Volens cunctis Seculis innoteſcere Dominus, quàm juſtè eſſet Joannes Papa à ſuis Epiſcopis & omni plebe repudiatus, quámque poſtmodum injuſtè receptus, quadam nocte - - - in temporibus adeò à Diabolo percuſſus, ut intra dierum octo ſpatium eodem ſit vulnere mortuus.* Sed neque facilè adducor, ut credam, quòd in ullo antehaç vetuſtiori MS. Codice, ſaltem una eademque manu, hæc poſtrema libri VI Capita cum genuina Luitprandi Hiſtoria fuerint conjuncta colligatáque. Fas potiùs erit ſuſpicari, quòd cùm primi Hiſtoriæ hujus editores

tores fuerint Acatholici, illi (poſt lectum aliquoties, in peculiari hac-ce de Joanne XII lacinia, Luitprandi jam à legationibus notiſſimi nomen) conſultò hasce quasquilias in capita ſua diſtinxerint, & mox cum ejusdem Luitprandi ſinceriore hiſtoria (in cujus ſcilicet libro VI non niſi capita quinque extare compererant) veluti ſupplementi aut complementi locò conjunxerint: unde & lector minùs cautus minúsque criticus, conſpecto per totum librum VI. Luitprandi nomine facillimè poſſet abduci, & totum librum VI, prout recentiùs editus atque compactus eſt, unius ejusdémque Luitprandi partum perperam arbitrari. Imò etiam dubitare licebit, an non tota Luitprandi allocutio ad Synodum Romanam merè ſit commentitia; nam & Aventini Opera, & depravatam ab Acatholicis Wilhelmi Malmesburienſis Hiſtoriam, fabuloſis hujusmodi Orationibus inquinari, Gretſerus jam animadvertit.

Nunc ut ad ipſum Luitprandum revertar: ejus quidem Hiſtoria non parùm ſubſidii ad illorum temporum notitiam confert, atque à probatis etiam criticisque Auctoribus non infrequenter uſurpatur; attamen nec paucis nec levidenſibus ſemper mendis, tum circa res ipſas, tum circa rerum tempora, eam eſſe reſperſam, plures Eruditi Viri jam obſervârunt, ùt *Baronius* T. X. ad an. 897. n. 2. an. 908. n. 1. *Pagius* T. III. Crit. ad an. 894. n. 1. 2. 4. 5. an. 896. n. 5. ubi Sergium ſcribit ſucceſſiſſe Formoſo. an. 897. n. 3. ubi Sergio Papæ tribuit ea, quæ Stephano VI fuerant tribuenda. an. 899. n. 3. &c. *Eckhartus* T. II. Comment. p. 766. 767. n. 38. 39. *Hahn.* in Hiſt. Imp. P. I. p. 285. lit. b. P. II. p. 8. lit. b. Illud certum videtur, quòd poſtremis tribus Luitprandi libris major adhibenda ſit fides, quàm primis; nam ipſemet in libri IV prœmio de ſe teſtatur, quòd priora ex aliorum relatu, ſequentia ex proprii viſûs propioriſque temporis teſtimonio narret.

Sunt verò & aliâ, quæ ſub ſpurio Luitprandi hujus nomine prodiêre. Nam *primò*: Moguntiæ excuſæ ſunt ſuperiore Seculo *Vitæ Pontificum*, quæ Luitprandum Auctorem in fronte præſeferunt, non tamen aliam ob cauſam, quàm quòd Centuriatores Magdeburgici nonnulla eo ex Opere exſcripſerint, & ſub Luitprandi nomine recitârint. Aſt *Labbeus* T. II Script. Eccl. p. 35. ait, quòd *Auctorem* hic liber *habeat monachum, patrid Germanum Corbeja ad Viſurgim, vel Hersfeldiæ in Sylva Buchonia, qui exeunte Seculo IX vixerit ſub Formoſo circa Annum* 895; in quam opinionem etiam propendet *Pagius* T. III. Crit. ad an. 801 n. 8. *Boſchius* noſter T. I. Aug. p. 123. n. 51. in vita S. Stephani, ex parte conſentiens, ex parte diſſentiens, ita habet: *Vitæ Pontificum Luitprando ſuppoſitæ, ſed à Germano quodam compoſitæ. Harum Auctor floruiſſe puta-*

putatur exeunte Seculo nono: quia opus ſuum tantùm ad Formoſi Papæ tempora produxit; verùm hæc ratio non eſt ſolida; nam opus eſt imperfectum, nec ullo concluſum Epilogo; quale & nunc aggredi quis poſſet, & in medio curſu inopina morte abreptus ſemifactum relinquere. Idem tamen Boſchius l. c. exiſtimat, ex hoc ipſo germanico fœtu aliquid in Pontificalem Anaſtaſii librum, prout hodie paſſim eſt editus, circa Acta S. Stephani I. fuiſſe intruſum, cùm in Antiquioribus Anaſtaſii Codicibus illud minimè reperiatur, in vitis verò Luitprando ſuppoſitis jam affine quidpiam extet.

Denique *Nat. Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. l. ſuprà cit. ex triplici argumento opus hoc Luitprando cum aliis Viris Eruditis abjudicat. 1. quia Sigebertus & Trithemius Luitprando illud non tribuunt. 2. Quia ſi Hiſtoriam Pontificiam ſcribere voluiſſet, eam ad ſua usque tempora perduxiſſet. Vixit verò L annis poſt Formoſum, intra quod ſpatium XX Pontifices Romana Eccleſia vidit. 3. Quia in poſtremis Pontificibus quædam particulatim prodit ad Eccleſiam Oſnabrugenſem, Corbejenſem, & Hersfeldenſem, aliásque Germaniæ Eccleſias pertinentia; quæ Germanum potiùs quàm Italum fuiſſe teſtantur. Vid. *Gerard. Voſſ.* l. II. de Hiſtor. Latinis c. XL. Verùm altera Alexandri ratio ſeu conjectura vim ſanè non habet; nam & Luitprandus huic Operi potuit immori (prout quàm plurimis contigit atque continget) aut aliis certè negotiis diſtrahi, ne cœptum opus ad calcem usque perduceret.

Quòd ſi igitur meam quoque fas ſit interponere mentem, Vitas hasce non Luitprando, ſed Scriptori Germano, Luitprandi temporibus etiam poſteriori, tribui poſſe aut debere contendo. Nam *primò* per ſex prope Secula usque ad Centuriatorum Magdeburgicorum tempora nemo uſpiam Vitas hasce ſub Luitprandi nomine recitavit, & neque Sigebertus Gemblacenſis in L. de Script. Eccleſ. etſi Luitprandi hiſtoriam c. 127 diſertè nominet, & vix ſeſqui Seculo poſt Luitprandum vixerit. Sed neque is ipſe MS. Codex Mathiæ Flacii Illyrici, quo uſi ſunt Centuriatores, & poſtmodum uſus etiam fuit Editor Moguntinus, ullius Auctoris nomen inſcriptum exhibet, ut Præfatio Moguntina teſtatur. Solitaria igitur Centuriatorum auctoritas tam ob Sigeberti, quàm ſex Seculorum & ipſius Codicis ſilentium rectè contemnitur; cùm præcipuè *ſecundò* ea, quæ de Germaniæ, Saxoniæ, & Lotharingiæ rebus atque perſonis in Hadriano I. Nicolao I. Hadriano II. Stephano VI. inſerta leguntur, non Italum, ſed Germanum & veroſimiliùs Saxonem Auctorem loquantur. *Tertiò.* vel ex ſola Formoſi vita ſatis colligitur, quòd compilator Anonymus non modò ſit à Luitprando diverſus, ſed & illò poſterior. Nam quidquid ibi de Formoſi

ſatis

satis prolixè admodum refertur, totum à capite ad calcem, & quidem verbotenus exscriptum est ex genuina Luitprandi Historia l. 1. c. 8. prout jam advertit Moguntina præfatio. Atque ut Luitprandi exscriptorem, ætate juniorem, certiùs agnoscere possis: etiam verba (*Pater sanctissime*) quibus in Historia sua Luitprandus tum aliàs, tum loco mox cit: alloquitur Raimundum Episcopum, incurius aut imperitus Vitarum compilator in Formosi vitam ipse quoque immiscuit, prout scilicet apud Luitprandum invenerat.

Quare licèt Anonymi hujus compilatoris ætas definiri certò haud possit, impræsentiarum sufficiet, quòd nec Luitprandus is sit, nec Italus, nec ætate prior, imò neque æqualis. Illud certius, quòd iste biographus ex Auctoribus variis, ac præcipuè ex Anastasio Bibliothecario sua excerpserit, ita tamen, ut nunc illum contraxerit, atque truncârit, nunc plurima dissimulârit, nunc etiam ampliârit, & de suo varia addiderit, præcipuè Pontificum decreta, tam spuria quàm genuina, prout tam in Isidori collectione quàm in Archivorum monumentis repererat. Princeps scilicet hujus Anonymi cura eò spectavit, 1mò ut Pontificum natales atque successio. 2. Eorum electiones aut in electionibus tricæ. 3. Tempus aut Duratio Sedis. 4. Ordinationes Clericorum & Episcorum à Pontificibus factæ. 5. Decreta vel causæ Ecclesiasticæ. 6. Pontificum cum Imperatoribus negotia, strictim exponerentur; solas Pontificum sanctiones & leges Ecclesiasticas si excipias, quas multò prolixiùs, quàm Anastasius, refert: imò quorum plerasque (saltem in Pontificibus magis antiquis aut postremis) ne quidem in Anastasio reperias. Cetera fidelissimè ex illo exscripsit Pseudo-Luitprandus, aut iisdem penitus verbis retentis, aut certè perparùm immutatis, aut breviùs contractis: prout utrumque Auctorem ex integro legenti comparantique mox primus intuitus monstrat. Quidquid verò ad dicta sex capita referri commodè non poterat, illa Pseudo-Luitprandus ùtplurimùm resecuit ac prætermisit, etsi in Anastasio hujus generis multa, & copiosè quidem descripta occurrant.

Atque ut aliquod saltem specimen capiat Lector, quàm sibi congruant, aut non congruant Anastasius & Pseudo-Luitprandus, utriusque verba de primis, mediis, postremisque Pontificibus deprompta subjungo. Ad Seculum II de Hygino ait Anastasii Liber Pontificalis: *Hyginus, natione Græcus, ex Philosopho de Athenis, cujus Genealogia non invenitur, sedit Annos quatuor, menses tres; dies octo. Fuit autem temporibus Veri & Marci, à Consulatu Magni & Camerini usque ad Orphitum & Priscum. Hic Clerum composuit & distribuit gradus. Hic fecit Ordinationes*

tres per menſem Decemb. Preſbyteros 15. *Diaconos* 5. *Epiſcopos per diverſa loca ſex, qui etiam ſepultus eſt juxta corpus Beati Petri in Vaticano, tertio Idus Januar. & ceſſavit Epiſcopatus dies tres.* Pſeudo-Luitprandus: *Hyginus, natione Grecus, ex Philoſopho de Athenis, cujus Genealogiam non inveni, ſedit annos quatuor, menſes tres, dies octo. Fuit autem temporibus Severi* (rectius Veri) *& Marci à Conſulatu Magni & Camerini usque ad Orſitum & Priſcum, qui tertio Idus Januarii migravit ad Dominum. Hic compoſuit Clerum, & diſtribuit gradus.... Hic ordinavit Epiſcopos ſex, Preſbyteros* 15. *Diaconos* 5.

Ad Sec. III. de Stephano I. Anaſtaſius: „ Stephanus natione Romanus, ex Patre Julio, ſedit annos quatuor, menſes duos, dies decem. Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Valeriani & Gallicani, & Maximi usque ad Valerianum tertium & Gallicanum ſecundum. (Suis temporibus exilio eſt deportatus, poſtea nutu DEI reverſus eſt ad Eccleſiam incolumis. Et poſt dies 34 tentus à Maximiano miſſus eſt in carcerem cum 9. Preſbyteris, & duobus Epiſcopis Honorio & Caſto, & tribus Diaconis Xiſto, Dionyſio & Gajo, ibidem in carcerem ad arcum ſtellæ fecit Synodum, & omnia vaſa Eccleſiæ Archidiacono ſuo Xiſto in poteſtatem dedit vel arcam pecuniæ, & poſt dies ſex exiens ſub cuſtodia ipſe ſimul capite truncatus eſt. Hic conſtituit Sacerdotes & Levitas, ut veſtes ſacratas in uſu quotidiano non uti, niſi in Eccleſia tantùm) Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrium, Preſbyteros ſeptem, Diaconos quinque, Epiſcopos per diverſa loco numero tres. Qui etiam ſepultus eſt in cimiterio Calixti viâ Appiâ, 4. Nonas Auguſti. Et ceſſavit Epiſcopatus dies 22. „

Aſt Pſeudo-Luitprandus: *Stephanus, natione Romanus, ex Patre* LOBIO, *ſedit annos* SEPTEM, *menſes* QUINQUE, *dies* II (prout etiam in aliis Anaſtaſii Codicibus legi teſtatur Holſtenius & Scheleſtratius T. I. Antiquit. Illuſtr. p. m. 430. 431) *Fuit autem temporibus Valeriani & Gallicani & Maximi, usque ad Valerianum tertium & Gallicanum ſecundum. Hic cum duobus Epiſcopis & octo Preſbyteris & tribus Diaconis in carcerem miſſus, cum ſingulis tandem juſſu Valeriani capitali ſententia plectitur* 4. *Nonas Auguſti. Hic ordinavit Epiſcopos tres, Preſbyteros ſeptem, Diaconos quinque.* Dein poſt recitatam Stephani ad Epiſcopum Hilarium Epiſtolam ſuppoſititiam, ex Iſidori ſcilicet officina decerptam, addit: *Prædictus Papa in eadem Epiſtola conſtituit, ne Sacerdotes & Levitæ veſtimentis Eccleſiaſticis in aliis uſibus uterentur, quàm Eccleſiaſticis officiis.* Atque ex hoc uno loco jam ſatis apparet, quomodo Pſeudo-Luitprandus Anaſtaſii librum Pontificalem partim exſcripſerit, partim aliqua omiſerit, partim amplificaverit; ſed & ſimul patet, quòd diverſi fuerint Anaſtaſii Codices,

quibus

quibus antehac Pſeudo-Luitprandus, & poſtmodum Editor Moguntinus ſunt uſi. Nam Pſeudo-Luitprandus in ſuo Codice meliùs legerat *Patre Lobio*, ſeu veriùs *Jobio*, prout legendum monet Scheleſtratius l. c. & diſertiſſimè ita vocat Abbo Floriacenſis, Anaſtaſii Epitomator, Othoni M. contemporaneus. Dein Pſeudo-Luitprandus rectè omiſit Stephani exilium & ab exilio reditum; nam quæ in Anaſtaſii Codice Moguntino leguntur, verbotenus intruſa fuêre ex prædeceſſoris Lucii geſtis; unde nec Abbo, qui, in Lucii vita, hujus ab exilio reditum exactè commemorârat, quidquam de Stephani exilio ac reditu narrat. Demum circa Epiſcopatûs annos, menſes, ac dies, in quibus variant Moguntinus & Pſeudo-Luitprandi Codex, lectioni Pſeudo-Luitprandi plures alii MSS. Codices, teſte Scheleſtratio, favent. Quanquam etiam Luitprandi Codicem Anaſtaſianum interpolatum non minùs fuiſſe, quàm Moguntinum, dubitari nullatenus poteſt; quæ enim utrinque in Stephano I de Martyrii circumſtantiis narrantur, nec verbulô attigit Abbo, nec in compluribus aliis Anaſtaſii Codicibus legi Holſtenius & Scheleſtratius teſtantur. Unde mihi quidem vix ullus dubitandi locus relinquitur, quin multò ſincerior fuerit Anaſtaſii Codex, quo Abbo eſt uſus, quàm quem Codicis Moguntini tranſcriptor, & Pſeudo-Luitprandus ſibi imitandos ſumpſêre. Imò ex hac ipſa Abbonis Epitome, quæ cum vetuſtioribus, ſincerioribus, ac brevioribus Anaſtaſii Codicibus magìs conſonat, non improbabiliter licet ſuſpicari, quòd Abbonis ætate, quæ vix ultra Seculum ab Anaſtaſii temporibus conſcriptóque per hunc Libro Pontificali poteſt removeri, necdum eas interpolationum injurias vel tranſcriptorum licentiam & additamenta paſſus ſit Anaſtaſius; cùm & Anaſtaſii liber, adhuc recentiſſimus quodammodo & notiſſimus eſſet, & multò inſuper periculoſius ſit manum ſuppoſititiam ad recentia, quàm ad Vetera mitti. Quare & illud inde ſequetur, quòd Pſeudo-Luitprandus unà cum ſuo Anaſtaſiano Codice corrupto interpolatóque etiam poſt Abbonis, ſub an. 1004 defuncti, tempora ſit collocandus. Neque in eo Boſchii noſtri opinionem amplector, quòd l. c. exiſtimârit, ex ipſo Pſeudo-Luitprandi fœtu germanico aliquid ſpuriæ mercis in Anaſtaſii Codicem fuiſſe translatum; nam cùm certum ſit, quòd Anaſtaſii librum Pontificalem præ manibus habuerit illúmque aliàs exſcribere conſueverit Pſeudo-Luitprandus, ac præterea conſtet, quòd Anaſtaſii exemplaria MS. inter ſe diſcrepent, ac proinde alterutrum ſit mancum aut interpolatum, non video, cur verоſimilius exiſtimari poſſit, potiùs ex Pſeudo-Luitprando, de cujus ætate nihil hactenus rite cognitum eſt & neque cognoſci tam facilè poterit, quæpiam in

Anaſta-

Anaſtaſium fuiſſe intruſa, quàm ex hoc, jam ab aliis interpolato, ipſummet Pſeudo-Luitprandum, Anaſtaſii temporibus poſteriorem, ſuos errores mutuò accepiſſe. Quòd autem Anaſtaſii Librum Pontificalem legerit Pſeudo-Luitprandus, tum ſuperiùs jam allata, tum ſequentia demonſtrant; nam ad finem Seculi V. in vita Anaſtaſii II ita ipſemet ſcribit: *à prædicti verò Papæ communione*, SICUT IN GESTIS ROMANIS PONTIFICUM LEGITUR, *multi ex Clero Romanorum Urbis ſe ſuſpenderunt, ideò quia ſine conſilio eorum Photino Theſſalonicenſi Diacono communicavit, qui erat communionis Acbatii, & quia occultè Acbatium voluit revocare, ſed divino nutu percuſſus ad effectum hoc perducere non potuit.* Jam verò quænam hæc *Pontificum Geſta*, niſi Anaſtaſii Liber, in quo hæc ipſa leguntur, & ex quo etiam Abbonem eadem excerpſiſſe ipſa Epitomes inſcriptio docet? Ita enim titulus habet: *Excerptum de Geſtis Romanorum Pontificum ex Libello, qui continet* Geſta Romanorum Pontificum, *quæ de ſingulis eorum ſuoOrdine utilia poſteris judicavit Albo...breviter ac utiliter decerpſit, ſecutus veritatem Damaſi Romanæ Eccleſiæ Pontificis, qui eundem libellum ſcripſit rogatu Hieronymi Divinæ legis interpretis.* Omnibus autem Eruditis perſpicuum eſt, quòd qui ſub Damaſi nomine hìc venditatur libellus de geſtis Pontificum, alius non ſit, quàm vulgò nunc dictus Anaſtaſii Liber Pontificalis. Ad annum 855. ita ſcribit Pſeudo-Luitprandus de Benedicto III: *Benedictus, natione Romanus, ex Patre Petro, ſedit annos 2. menſes ſex, dies 10.... Poſtquam Clerus & populus hunc & renitentem elegerunt, & juxta morem in Patriarchium deduxerunt*, DECRETUM COMPONENTES, & MANIBUS PROPRIIS ROBORANTES, UT PRISCA CONSUETUDO POSCEBAT, INVICTISSIMIS LOTHARIO ac LODUWICO AUGUSTIS DESTINAVERUNT &c. &c. Hæc verò undenam deſumpta, quàm ex totidem Anaſtaſii verbis? niſi quòd priora, ubi de electione & deductione agitur, Anaſtaſius paulò diffuſiùs, Pſeudo-Luitprandus pro more ſuccinctiùs narret. Denique cùm in Anaſtaſii libro Pontificali de Joannis VIII, Marini, Hadriani III, Stephani VI, atque Formoſi Geſtis nihil amplius adnotatum comperiſſet Pſeudo-Luitprandus, etiam ipſe illorum, ùt Marini, & Hadriani III Geſta, ſolâ Pontificatûs duratione excepta, penitus intacta dimiſit, ceterorum verò Geſta ex aliis ſaltem Scriptoribus ſupplere ſategit. Sic in Joanne VIII memorat, quòd Ludovicum II Imperatorem à juramento, antehac præ timore mortis Adalgiſo Duci præſtito, ipſe *abſolverit auctoritate DEI & S. Petri, affirmans, nihil ſibi obeſſe, quod ob mortis periculum evadendum coactus fecerat, nec Sacramentum eſſe dicendum, quod contra ſalutem reipublicæ quamvis cum multis execrationibus fuerit prolatum.* Et hæc unde exſcripſit Luitprandus fictitius? ex

ex ſolo Reginonis Chronico, in quo ſingulas Luitprandi literulas ad apicem usque offendes. Atque ut certiùs noſceremus, hæc non aliunde quàm ex Chronico Reginonis fuiſſe profecta, eundem cum Reginone erravit errorem hic Luitprandus; nam uterque relaxationem juramenti, quæ Hadriano II fuerat adſcribenda, ad Joannem VIII perperam transfert. Dum verò ad Stephani VI Geſta progreditur hic Auctor incognitus, ſolam Hermanni Colonienſis Archiepiſcopi cum Adalgario Hamburgenſi & Bremenſi Archi-Præſule controverſiam tangit, aitque, eos Stephani VI juſſu ad Synodum Wormatienſem accedere juſſos, cauſæ verò Examen *Fulconi Remenſi Pontificis vice* fuiſſe demandatum.

Atque hæc relatio fontem habet Hiſtoriam Remenſem, Seculo X. à Flodoardo Remenſi conſcriptam, in cujus libro IV Cap. I. hæc diſtinctè narrantur. Quoniam verò Flodoardus cauſæ hujus exitum non ultrà attexuit, ideò nec Pſeudo-Luitprandus ampliùs quidquam addidit, quia ſcilicet Formoſi, ſub quo lis iſta ſuum finem quodammodo acceperat, Epiſtolam, ab Henſchenio T. I. Febr. in Com. præv. ad vitam S. Anſcharii relatam, minimè vidit. Unde rurſum colligitur, quòd etiam Flodoardo, qui Hiſtoriam ſuam usque ad an. 948 perduxit, junior ſit Pſeudo-Luitprandus. Denique in Formoſo, cùm aliunde forſitan nihil occurreret, ſaltem ex genuina Luitprandi Hiſtoria l. c. textum ſatis amplum adoptavit, quo totum ſuum de Pontificum vitis Volumen ſeu Voluminis Epilogum compilator expleret: ùtùt minùs peritè id fecerit. Nam, quod ſuprà diximus, Luitprandus in Hiſtoria ſua, quam nuncupaverat Raimundo Epiſcopo, eundem in narrationis contextu receptis ſibi: *Pater ſanctiſſime*: verbis compellat, ſimúlque totam de Formoſo narrationem ita concludit: *Hoc námque à religioſiſſimis Romanæ urbis Viris perſæpe audivi.* Atque hoc ipſo verborum epimetrô etiam Pſeudo-Luitprandus ſuam Pontificum Hiſtoriam finit, qui nec Italus fuit, nec Italiam forſitan aut Romana mœnia vidit, neque ulli mortalium Pontificias Vitas inſcripſit. Rectiùs egit Conradus Urſpergenſis, qui in Chronico ſuo eadem de Formoſo ex veri Luitprandi Hiſtoria deſcripſit, verba tamen: *Pater ſanctiſſime*: ſapienter omiſit, & locò verborum: *à Viris audivi*: Tà *Viri teſtati ſunt* cautè ſubſtituit.

Nihilominus licèt hæ Pontificum Vitæ, à Pſeudo-Luitprando collectæ atque contractæ, jam in Anaſtaſii libro Pontificali ſint contentæ: non tamen nulli uſui eæ ſervire poterunt. Nam imò Variantes MSS. Codicum Anaſtaſianorum lectiones inde lector agnoſcet. adò etiam Decretales Epiſtolas, quantumvis ſuppoſititias, ſuo quamlibet

Pontifici appoſitas leget. 3tiò inveniet Gelaſii I. Decretum de libris Canonicis, & non canonicis, vel apocryphis. 4tò Synodi Romanæ ſub Leone IV Canones, qui fortè nos effugerent, niſi Pſeudo-Luitprandus eos ad poſterorum memoriam chartæ mandâſſet. 5tò imò, ùt jam Moguntina Præfatio monuit, in Poſtremorum Pontificum Vitis, nominatim Paſchalis I. Benedicti III. Nicolai I. Hadriani II & Joannis VIII, non pauca eorundem Decreta prolixè recitantur, quæ in Tomis Conciliorum antehac non extitêre, cùm tamen pleraque exſtarent omnia, quæ antiquioribus Pontificibus à Pſeudo-Luitprando tribuuntur.

Aſt *ſecundò* præter has Pontificum Vitas eidem Luitprando, quem (ùt Labbeus loquitur) ex portentoſis ὑποβολιμαίοις cujusdam Juliani figmentis Eccleſiæ Toletanæ Sub-Diaconum commenti ſunt, etiam aſſeritur *Chronicon*, primò in lucem editum ab Hieronymo de la Higuera Soc. JESU, & tam hujus, quàm Dominici Laurenti Ramirez de Prado Conſiliarii Regii ac militiæ D. Jacobi Equitis notîs illuſtratum: item *Adverſaria*, primùm cum ejusdem Ramireſii notis vulgata. Sed meritò Eruditi omnes figmenta iſta explodunt. *Vide* lit. C. verbô: *Chronica Hiſpanica*: item *Labb.* T. II. Script. Eccl. p 35. 36. *Nicolaus Antonius* in Bibliotheca Hiſpanica Veteri lib. 6. c. 16 & ſeq. apud *Pagium* T. IV. Crit. ad an. 963. n. 3.

LUPUS. LUPUS Protoſpatha, natione Apulus, & Seculi XII Scriptor, Chronicon de rebus in Regno Neapolitano geſtis edidit ab an. 860 ad an. MCXI, quô ſcilicet ipſe floruit. *Accuratiſſimum* illud & *magnæ auctoritatis* eſſe, affirmant *Pagius* T. III. Crit. ad an. 902. n. 17. *Stiltingus* T. V. Aug p. 93. n. 219. *Graveſonius* P. I. Hiſt. Eccl. T. IV. Colloq. V. p. m. 240 ex Auberto miræo. Notat tamen *Pagius* T. IV. ad an. 1081. n. 7. quòd Pſeudo-Michaëlem cum vero Michaële Imp. CPolitano malè confuderit Lupus: quem ſcilicet errorem etiam alii commiſêre. Annum Incarnationis quandoque more Græcorum à Kalendis Septembribus, alibi verò ſæpiùs aut à Januario aut à Natali Dominico repetit hic Chronographus, ùt monet Pagius T. IV. ad an. 1097. n. 12. Primus hoc Chronicon juris publici fecit Antonius Caraccioli Theatinus Neapoli an. 1626. illúdque usque ad an. 1519 continuavit.

M.

MABILIO. MABILIO, ſeu *Mabillonius* Joannes, Congreg. S. Mauri ex Ordine S. Benedicti Alumnus, ævi noſtri celeberrimus Scriptor, & omnigenæ Eruditionis Sydus illuſtriſſimum (de quo meritò Graveſo-

veſonius P. III. Hiſt. Eccl. T. VIII. Colloq. V. *Mabillonium nominâſſe, laudâſſe eſt: & qui eum ignorat, in Republica literaria non eſt, aut in ea peregrinus planè & hoſpes eſt*) orbi lucere deſiit A. 1707. *Eruditiſſimi* Scriptoris præconiô eum inſignivêre Papebrochius in Propyl. Maji, Præfatione ad Conatum Chronico-Hiſtoricum p. 3. n. 12. Cuperus T. V. Aug. p. 175. n. 20. Opera illius vaſtiſſima, & utiliſſimis inſuper per ſingulos Tomos præfationibus illuſtrata, ex parte recenſet Graveſonius l. c. diſtinctiùs verò Theodoricus Ruinartius in Mabillonii vita, Menkenius in Lexico Eruditorum, Iſelinus in Lexico Baſileenſi, aliique. Inter has lucubrationes ſunt 1ò. *Acta SS.* Ord. S. Benedicti in Seculorum ſeriem digeſta, quorum V. Tomi, Mabillonio ſuperſtite, ſunt excuſi, dum tandem hodie in X. Volumina excreverint; fatetur verò ipſe Mabillonius in Præfatione Actorum, hoc Opus reipſa Lucæ Dacherio, tanquam Auctori, Collectori atque Magiſtro ſuo, ſibi verò non niſi ùt adjutori & Editori, tribui oportere. 2. *Annales* Ord. S. Benedicti, quorum primos duntaxat IV Tomos Mabillonius è prelo reduces vidit, duos verò reliquos poſt illius obitum perpoliit primùm Theodoricus Ruinartius, eóque ſimiliter ſub A. 1709. defuncto, tandem Renatus Maſſuet, ejusdem Congreg. S. Mauri Monachus, optatiſſima luce donavit. 3. *Analecta Vetera*, quæ IV Volumina in forma octava conficiunt. 4. *Muſeum Italicum.* 5. *Iter Germanicum.* 6. Tractatum de Studiis Monaſticis. Atque ut ceteros ingenii & induſtriæ partus hìc taceam, prodiit 7mò. Volumen ſanè præſtantiſſimum, in ſex libros partitum *de Re Diplomatica*, Pariſiis publicatum A. 1681, unà cum ſupplemento, quod A. 1704. Auctor ipſe adjecit. Paucis multa complexus eſt Papebrochius, dum T. VII Maji in Paralipom. Diſſert. XXV. p. 60. *ſæpe ſibi laudatum, nec unquam ſatis laudandum* Opus hoc compellare non dubitavit.

Verùm licèt incomparabilis Eruditionis, & inexhauſtæ diligentiæ Virum apud omnes ſeſe probaverit Mabillonius: fatendum tamen eſt, id ipſum, quod aliis, etiam ipſi humanitus eveniſſe, ut in hiſtoricis, Chronologicis, & Criticis rebus, non adeò infrequenter titubârit. Aliqua duntaxat commemoro. Sic 1. Plura Mabillonii de S. Bertini biographis aſſerta erronea detexit Stiltingus noſter T. II. Septb. p. 549. à n. 1. ad 8. 2. Scribit Mabillonius T. IV. Annalium Benedict. L. 49. n. 48. p. 21: *non modò Henricus, Dux Bajoariorum, ſed etiam Ludolphus Dux Sueviæ, Othoni puero* (ſcilicet III.) *nepoti ſuo regnum ſurripere tentavit.* Aſt ex Auctoribus ſynchronis conſtat, quòd ea ætate non Ludolphus, ſed Conradus Sueviam rexerit, quem Ditmarus L. IV. Annalium *Suevorum Ductorem egregium* vocat. Dein quomodo poſt Othonis II obi-

tum dignitatem regiam Anno 983 aut 84 ambire poterat Ludolphus, qui jam Anno 957 diem extremum pridem obiêrat, ùt ex Scriptoribus contemporaneis liquet? 3. In iiſdem Annalibus T. IV. L. 56. n. 107. p. 374 ait, *hujus Synodi* (quæ ſcilicet ſub Conrado II. Francofordiæ habita ſit) *nullam ferè mentionem haberi, ne quidem in libro de Vita S. Godehardi.* Et tamen explicatiſſimis verbis Wolfherrus in vita S. Godehardi Cap. IV. non modò hujus Synodi meminit, ſed & ordinem, quo Epiſcopi in illa conſederint, diſtinctiſſimè exprimit. *Vid Acta SS. T. I. Maij.* 4. Circa necis, quam S. Fridericus Ep. apud Friſones Martyr obiêrit, annum determinandum in dictis *Annalibus* ſibi contradicit, dum L. 30. n. 50. Annum 834, poſtmodum verò ad A. 838 hunc eundem pro necis tempore fixit: in *Actis* autem SS. O. S. Bened. rurſus 34tum annum deſignavit. *Atque hinc liquet* (ùt ſubjungit Cuperus noſter T. IV. Julii in vita S. Frid. Ep. p. 457. col. 1. n. 17.) *inter Viros etiam eruditos, præſertim, qui rerum ſcribendarum multitudine ac varietate obruuntur, nonnunquam ſui obliviſci. Hoc neque à nobis alienum putamus, & ſi aliquando contigerit, ignoſci cupimus.* 5. Tomo II. Annalium p. 173. non modò circa Æram Chriſtianam, quâ S. Gregorius Ultrajectinus S. Bonifacio adhæſerit, fallitur Mabillonius, ſed & ſibimet ipſi in eodem propè contextu apertè repugnat circa ætatem, quâ ordinatus ſit Gregorius: ùt oſtendit Stiltingus T. V. Aug. p. 217. n. 32; nam paulò antè dixerat Mabillonius, Gregorium Anno 722. converſum, quindecim ferè annorum adoleſcentem; quomodo igitur ſub finem Anni 723 (cùm ordinatus eſt, teſte etiam Mabillonio) Gregorius nondum quindecim erat annorum, ùt Mabilio ait? 6. In Actis Benedictionis corrupto interpolatóque Adoniano Codice paſſim utitur, indéque in varia ſphalmata labitur, & v. g. Adoni Viennenſi multa perperam tribuit, ùt notavit Sollerius noſter T. VI. Junii in Præfatione ad Uſuardum p. XL n. 152. 153. 7. Oſcitâſſe Suyskeno noſtro videtur Mabillonius, dum in Actis Seculi II. Benedictini p. 505. hæc monuit: *Goldaſtus hoc ſolo differt à Caniſio, quòd ipſam Vitam* (S. Magni Abbatis) *in duos libros ac in varia partitur capita, & quòd libri II caput ultimum, in quo Ermenrici interpolatoris opera memoratur, Caniſianæ Editioni deeſt.* Profectò, ùt Suyskenus T. II. Sept. p. 701. n. 10. rite obſervat, *hæc Editio* (Goldaſtiana) *multùm differt à Caniſiana; nam ut minutias præteream, integræ periodi, imò & capita ex hac in illa deſiderantur, ùt utramque Editionem conferenti manifeſtum erit.* Alium Mabillonii errorem circa tempus, quo brachium S. Magni ad San-Gallenſes Monachos translatum, idem advertit Suyskenus l. c. p. 720. n. 103. 8. In laudatis Actis Seculo I. Legendam S. Aredii, Abbatis Atanenſis, tribuit S. Gregorio Turonenſi, quæ tamen illum

Aucto-

Auctorem non habet, ùt multò verosimiliùs probant ipse Mabillonii socius Ruinartius in præfatione ad Operum S. Greg. Turon. Editionem Parisinam num. 81. & Scriptores Benedictini T. III Historiæ Literariæ Francicæ, gallico sermone conscriptæ, p. 499, consentiente etiam Cupero nostro T. V. Aug. p. 175. §. 20. à n. 20 ad n. 27. in Comment. præv. ad Acta S. Aredii. 9. Haud parùm erravit, dum in observationibus præviis ad vitam S. Gualberti Sec. VI. Benedict. P. II. p. 266 ex Andrea Januensi & B. Andrea Strumensi personas synonimas facit, cùm tamen prior Seculo primùm XV, posterior verò jam Seculo XI vixerit, ùt monet Cuperus T. III. Julii p. 315. n. 24. 10. Miratur Stiltingus in Actis SS. T. I. Sept p. 773. lit. h. *Mabillonium hisce ungis* (scilicet Auctoris vitæ secundæ S. Aigulfi) *tantum tribuisse, ut etiam Chronotaxin ex iis ordinet: etsi Auctoris illius quædam Scenica potiùs sunt, quàm historica.* 11. Conversionem Hungarorum adscribit Mabillonius S. Brunoni M. Russorum Apostolo, quem legaverit Otho III. Ast solidè eum refutavit Hansizius noster T. I. Germ. Sacræ p. 208. Ademarum verò Mabillonio faventem, erroris convicit Janningus T. VI. Junii p. 221 & 217. 12. Calculum unà cum Pagio minùs feliciter subduxit circa tempus congressûs Totilæ cum S. Benedicto, quem conjunxit cum anno 543, etsi cum Henschenio alligari debuerit anno 542. *Vid.* T. I. Sept. p. 236. 237. n. 47 48. 13. Monasterium S. Martini, in Hungaria situm, cum longè alio malè confudit Sec. VI. Benedict. P. I. p. 72. ùt videre est in Actis SS. Antverp. T. I. Sept. p. 495. n. 154. 155. 14. Lapsus similiter est, asserens, apud Labbeum T. I. Bibl. MS. extare libellum de vita Adalberonis I. Episc. Met. libellus enim ille agit de Adalberone II, qui illius fuerat fratruelis. *Vid. Acta SS.* T. VI. Julii p. 225 lit. h. 15. Miratur Cuperus T. IV. Julii p. 647 n. 4. quòd Mabillonius, cui *in discernendis diplomatibus exercitatissimo plurimum se deferre* fatetur, in Actis Benedict. Sec. III. P. II. p. 264. non omiserit diploma Caroli M. (Chronico Monasterii S. Vincentii, ad Vulturni fontes, insertum) *datum XII Kal. Maij, XIII. Indictione, anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXV;* quandoquidem ipso fatente neque Indictio, neque annus Incarnationis apponi tum solebat, sed *annus regni.* "Addo ego (ait Cuperus) annum Christi 775 hìc "perperam assignari, cùm Autpertus (Ambrosius) eo tempore non- "dum esset Abbas, qualis in diplomate vocatur, & obiêrit anno 778, "teste Chronographo (Vincentino) quando Abbatis officium gesse- "rat *anno uno, mensibus duobus, & diebus XXV.* Quòd si quis velit, hìc "aliquot numeros deesse, legendúmque esse ad annum 778, memine- "rit, tunc Indictionem XIII malè collocatam esse: nam anno 778 cur-

" rebat Indictio Prima. Præterea ipſum Diplomatis initium falſum eſt, " in quo Carolus vocatur *Romanorum Imperator Auguſtus*. Conſtat enim " ex aliis Diplomatibus, quòd Carolus M. eo tempore ſe Regem Francorum & Longobardorum, ac Patricium Romanorum appellaverit, " & tantummodo diu poſt S. Autperti mortem Imperatoris titulum " aſſumpſerit.

Abſit tamen quàm longiſſimè, ut per hæc, quæ de pluribus pauca recenſui, menda, Viri prorſus Eximii & modeſtiſſimi non minùs quàm ſcientiſſimi laudibus quidquam furripiam; neque enim alio fine adducta hæc pervelim, quàm ut eruditionis amantior lector agnoſcat, nulli facilè Scriptorum Hiſtoricorum ita præcipitem per omnia fidem poſſe adſtringi, quin aliorum quoque Criticorum oracula fas ſit in conſilium trahi. Scriptorem enim, quantumvis eruditiſſimum (quiſcunque demum is fuerit) in lucubrationibus plurimis atque diverſis nuſpiam labi, nemo facilè humanum dixerit, niſi qui plurima ipſius ignoret, aut præjudicia ſua cœcus adoret.

MALMESBURIENS. MALMESBURIENSIS Wilhelmus. Vide *lit.* W. *Wilhelmus.*

MARIAN. SCOTUS. MARIANUS SCOTUS. Vide *lit.* C. *Chronicon Mariani.*

MARTENIUS. MARTENIUS Edmundus, è Congregatione S. Mauri, præſentis Seculi Scriptor, complura collegit Volumina, quorum meminit Graveſonius P. III. Hiſt. Eccl. T. VIII. Colloq. V. p. m. 182. col. 1. Eminent inter ea 1. Collectio ampliſſima Veterorum monumentorum atque Scriptorum, IX Tomis in folio comprehenſa. 2dò. Theſaurus novus Anecdotorum, in V. Tomos diſtinctus. 3iò. Tres Tomi in forma quarta, ſeu quatuor libri de Antiquis Eccleſiæ Ritibus. *Diligentiſſimum Veterum Monumentorum indagatorem* pro merito ſuo nuncupavit Martenium Cuperus noſter T. I. Aug. p. 451. n. 77. tametſi & illud fatendum, quòd non ubique juſtum Scriptoribus à ſe editis pretium, ſeu quandoque nimium, ſtatuerit Martenius, ut ſuprà intelleximus, cùm ſermo nobis de *Iperii* Chronico fuit.

MARTINUS POLONUS. MARTINUS POLONUS. Vid. *lit.* C. *Chronicon Martini.*

MARTYROLOGIUM. MARTYROLOGIUM. Varia Martyrologia cum inſignibus hac de re præfationibus ediderunt Hagiographi noſtri, tum Tomo II. Martii, ubi genuinum *Bedæ* Martyrologium: tum Tomo VI & Tomo VII. Junii. Martyrologium *Uſuardi* præ ceteris illuſtravit Sollerius Tomis

cit.

cit. Junii; cujus quidem Editionem atque laborem impugnare ausus est Jacobus Bouillartus A. 1718: minùs tamen fortunato conatu, ùt notat tam Stiltingus T. V. Aug. in Elogio Sollerii p. 5. §. 2. à n. 19. quàm Memoriæ Trivoltienſes ad Menſem Majum Anni 1719. *Primum omnium* (Martyrologiorum) *& vetuſtiſſimum & ceterorum caput aut ſtirpem*, HIERONYMIANUM *eſſe, nemo hodie in dubium revocaverit*, inquiunt Sollerius T. VII. Jun. in Præfat. ad Martyrologia p. 1. n. 1. & T. VI. Junii p. 4. n. 12. in Præfat. ad Uſuardum: Papebrochius T. V. Junii p. 336. n. 8. T. I. April. p. 745. ad diem VIII. Martyrologium iſtud ex MS. Monaſterii S. Germani Antiſſiodorenſis eruit & Theſauro novo Anecdotorum Tomo III. inſeruit Marenius, ajens, ante 1000 annos illud jam fuiſſe compactum. Aliud Hieronymiani apographum dicitur *Epternacenſe*, ſimiliter mille abhinc & ampliùs annis exaratum, ùt affirmant Henſchenius T. I. Maji p. 50. n. 1. & Papebrochius tam T. V. Junii p. 336. n. 8. quàm P. III. Reſponſ. contra P. F. Sebaſt. à S. Paulo p. 356. n. 47. 48. ubi aliquantò prolixior hujus Epternacenſis Martyrologii fit mentio. Rurſus aliud Martyrologium dicitur *Blumianum*, magnæ & ipſum auctoritatis, tum quòd Hieronymiani pariter ſit apographum, tum quòd ante ſexcentos minimùm annos fuerit deſcriptum. Conſtat verò iſtud *quadrato literarum ductu, & diſcrimine diphtongorum vocalium accuratè ſervato: quibus indiciis intelligitur liber ante annos ſexcentos exaratus. Olim is pertinuit ad Monaſterium SS. Petri & Pauli in Weiſſenburg, Diœceſis Spirenſis; deinde autem fuit Ampliſſimi Domini Henrici Julii Baronis de Blum, S. C. M. in Appellationum Tribunali Pragæ, dum viveret, Conſiliarii:* donec tandem ad Hagiographos noſtros Antverpienſes Codex ille fuerit transmiſſus. *Vid.* T. V. Junii p. 399. n. 3. T. I. Maji p. 7. n. 4. Cuperus noſter T. VI. Julii p. 89. n. 409. aſſerit, Martyrologium hoc Blumianum A. 772. fuiſſe conſcriptum.

De MARTYROLOGIO ROMANO PARVO, quod Ado Viennenſis Martyrologio ſuo præfixit, & primus poſtmodum noſter Roſweydus A. 1613. publicavit, *Vide* T. VI Junii in Præfat. ad Uſuardum pag. XX. Cap. II. uſque ad Caput III. item pag. IV. n. 12. ubi tria primaria Martyrologia tanquam radices ceterorum ſtatuuntur. *Primum*: Hieronymianum. *Secundum*: Bedæ. *Tertium*: Quod Ado Ravennæ repertum, ſibique communicatum, ſuo dein Martyrologio præmiſit, & Roſweydi denſque curâ in lucem prodîit, *Romanum parvum* à noſtris Hagiographis dictum. Atque hoc idem Romanum toto ampliùs ſeculo ante Uſuardi & Adonis tempora fuiſſe conſcriptum, iidem Hagiographi obſervant

T. VI.

T. VI. Junii in præfat. cit. Cap. II. Art. IV. n. 142. & T. I. Aug. p. 126. n. 65.

MARTYROLOGIUM ROMANUM MAJUS.

MARTYROLOGIUM ROMANUM MAJUS (quod notis poſtmodum illuſtravit Em. Card. Baronius) ex Uſuardino quidem Martyrologio, ad Romanæ Eccleſiæ uſus aptato, aucto, ac reformato, fuiſſe deſumptum, teſtatur Sollerius T. VI. Junii initio Præfationis ad Uſuardum num. 1. Hujus verò Martyrologii tametſi ſit veneranda auctoritas, multa tamen adhuc eſſe, quæ in eo corrigi poſſint, cum Luca Holſtenio plures Eruditi jam perſpexêre. *Vid. Papebroch.* in Reſponſ. contra P. F. Sebaſt. P. III. ad Art. XVIII. à p. 342. num. 7. 8. & p. 356. n. 46. 47. uſque ad n. 56. item *Acta SS.* T. V. Aug. p. 28. n. 91. T. IV. Aug. p. 766. n. 2. ubi malè notatur in Martyrologio locus ſive Provincia, in qua Sanctus Tatio Martyrium paſſus. T. I. Aug. in Hiſt. Chronolog. p. 7. 8. ubi, ùt inquit Cuperus, S. Eleutherium, cujus tanquam Epiſcopi Byzantini Martyrologium Romanum meminit, *cautè Majores noſtri* (Hagiographi) *omiſêre*. Item *Vid.* Præfatio Benedicti XIV in recentiſſimam Martyrologii Editionem Romanam, in qua nomina Clementis Alex. & Sulpitii Severi inter Sanctorum Catalogos prætermittuntur: etſi in priore Editione Romana locum antehac inter Sanctos habuiſſent. Præterea Diſſertatio Em. Cardinalis Urſini (poſtea Benedicti XIII) de Corpore S. Bartholomæi Ap. apud Beneventanos aſſervato, edita A. 1694: cujus meminit Stiltingus T. V. Aug. p. 77. n. 134 & p. 81. n. 165, ubi de Martyrologii Auctoritate. Quid quòd illæ ipſæ literatorum concertationes, quæ hodiedum inter Criticos Orthodoxos & Martyrologii aliàs ſinceros cultores multiplici ſuper argumento inſtitui ſolent, luculenter oſtendant, Martyrologium Romanum multò adhuc exactiùs ad Hiſtoriæ Criticæ limam poſſe perpoliri ac emendari? Craſſiſſimus tamen error, aut affectata prorſus inſcitia eorum eſt, qui ex Martyrologii mendis mox ipſius Summi Pontificis in fidei rebus deceptionem aut deceptionis periculum ſomniare præſumunt, ùt jam monuit Chriſtianus Lupus T. IV. Operum p. 268.

MARTYR. ADONIS. De MARTYROLOGIO ADONIS Vid. ſuprà *lit.* A. verbô: *Ado.*

MARTYR. BEDÆ. De MARTYROLOGIO BEDÆ Vid. ſuprà *lit.* B. verbô: *Beda.*

MATTHÆ. PARISIUS. MATTHÆUS PARISIUS. Vide *lit.* P. verbô: *Pariſius.*

MAYN-

Maymburgius Ludovicus, Presbyter Gallus, qui A. 1686, proximo scilicet post relictam Jesu Societatem quadriennio, è vivis excesserat, plures quidem lucubrationes gallicas in publicum sparsit: sed quæ notam sanè teterrimam promeruêre, ùt *Tractatus de Privilegiis Ecclesiæ Romanæ & Episcoporum*: *Historia Pontificatûs Gregorii M. Historia de grandi schismate Occidentis*: *Historia de declinatione Imperii*: *Historia Lutheranismi*: *Historia Calvinismi*. Vide novis. Ind. Rom. p. 91. 92. 138. 185. 186. 421. Libros alios, inter quos unus de schismate Anglicano fuisse dicitur, prelo parantem apoplexia momento absolvit; libri verò & inchoata folia Regi cessêre, ùt testatur Cardinalis Sfondratus in Præfatione ad Galliam Vindicatam. MAYMBURGIUS.

Atque hic ipse Eminentissimus Auctor in Regali Sacerdotio, quod sub Eugenii Lombardi nomine scripserat, ita in Paræneſi ad Lectorem pronuntiavit, *potuisse Maymburgium inter præclaros Scriptores aliquando censeri, si amœnitatem florémque gallici sermonis pari in sedem Apostolicam reverentiâ æquâsset, timiámque aulam demerendi cupidinem prudentiâ vicisset. Quæ enim Historico necessitas fuit, tot illas & perpetuas diversiones captandi? ubi dum prætet professionem suámque institutum in arcana Imperii calamum mergit, séque regnantium litibus miscet, ac velut stipendiô conductus Pontificiam auctoritatem ex composito carpit: quid, rogo, aliud fecit, quàm ut sanguinantem adhuc plagam foderet, ut oleum flammæ aspergeret, ut mutuos dolores, silentiô potiùs velut somno componendos, excitaret, ut fidem candorémque & animi æquitatem, historico dignam, seponeret? Tanti videlicet fuit ingeniam ostentare, & oculis nova præ veris deamantibus præplacere &c.* Ita Sfondratus, qui dein Lib. I. §. V. X. XI. à p. 146 ad 155 & §. VI à p. 171 ad 175 apertissimè profligat futilissimas quasdam Maymburgi assertiones, & nugacia assertionum argumenta, quæ non nisi ex Lutherana Illyrici officina (Baronii tamen & Bellarmini responsis, quantumvis pridem editis, & Maymburgio notissimis, per summam nihilominus versutiam aut infidelitatem dissimulatis) Maymburgius quàm diligentissimè est suffuratus. Penitius illum adhuc descripsit ac luculentiùs refutavit idem Sfondratus in Gallia Vindicata tum in Præfatione Operis, tum per potissimum hujus Operis decursum, scilicet Dissertatione II. III. IV. Neque enim plures, quàm IV Dissertationes, admodum tamen prolixas, ea lucubratio complectitur. Ostendit verò purpuratus Scriptor, quàm non modò nulla sint Maymburgii adversus Pontificiam Sedem rationum momenta, sed & *malam* illius *fidem* atque *fallaciam* sub oculos ponit, quâ v. g. Gerberti Historiam, Universitatis Parisinæ sententiam, Pii II testimonium &c. *recitare*, imò *pervertere* Maymburgius non formidavit. Verbô: *Scripsit Maymburgius calamo Catholicis æquè ac Calvinistis infesto,*

[illegible] *inter utrosque molitus, quo effecit, ut odia ab utris-* [illegible] *enim eum non veritati, sed Regi scribere . . . Sed de-* [illegible] *& gratitudini in Galliæ Regem: laudes pretio reddidit; illud* [illegible] *ignoscet, quòd singulis ferè paginis, tantóque compulsu ver-* [illegible] *veritatem candorémque professus, nihil minus tamen, quàm hæc* [illegible] *habuit, quoties occasio fuit causam suam promovendi, nullâ veri-* [illegible] *exempla passim occurrunt. . . Pauca libabo, ut ex fimbria pannum* [illegible] Ita Sfondratus in Præfatione ad Lectorem.

Sed & doctissimi Schelestratii Editor T. II. Antiquit. Illustratæ in Præfatione ad Lectorem p. m. X & XI ita de Maymburgii calamo & fide pessima lectorem præmonet: " Prodiêrat Maymburgi Tractatus " Historicus de Romana Ecclesia, ejúsque Episcopis: qui verborum " illecebris stylíque elegantis lenocinio incautos homines ad sui le- " ctionem mirificè rapiebat. Hunc sibi refellendum statuit Schele- " stratius, ad hoc adductus non tantùm, quòd ab eo graviter sugil- " labatur (ob libellum scilicet, de sensu Decretorum Concilii Con- " stant. Sess. IV & V, à Schelestratio recèns editum) verùm etiam ut " veritatem, cujus unius fuit ipse semper studiosissius, ab eo Scri- " ptore (Maymburgio) subdola arte obscuratam, in optimo lumine " collocaret. Scripsit igitur sexto loco contra præfatum librum Apo- " logiam multa eruditione refertam, vulgavítque Romæ in 4. sequen- " ti anno 1686, ubi in Epistola ad Lectorem docet, prædictum Scri- " ptorem in libro suo non modò dubia pro veritate irrefragibili ven- " ditare, sed etiam falsa; ídque potissimùm in tribus ad oculum de- " monstrat. Primò in explicatione Decreti Unionis Concilii Floren- " tini de Papæ Auctoritate ex textu Græco καθ' ὃν τρόπον καὶ, *juxta* " *eum modum qui*, pro *quemadmodum &*, vel *etiam*. Secundò, in eo; " quòd Joannes XXII obligârit Ecclesiam ad negandam visionem Bea- " torum ante Judicii extremi diem. Tertiò, in eo, quòd Eugenius IV. " Basileensium Decreta aliàs reprobata, approbaverit, & Pius II. in " sua Bulla retractationis fassus sit, opinionem de suprema Concilii " Auctoritate esse antiquissimam. Ne quis verò nimiùm credat Maym- " burgo, certissima & indubitata se adducere jactitanti, subdit postea " Compendium Chronologicum verè aureum, ubi à Pisano Concilio " A. 1405 inchoato usque ad Constantiensis terminationem recenset; " quæ ad causam spectant Pontificiam, de Auctoritate Concilii, sin- " gula Capita, vel paragraphos probando ex editis & MSS. Post " Compendium Chronologicum exhibet octodecim veritates, vel à " se primùm in lucem erutas ex MS. Codicibus, vel firmatas eorum " auctoritate; quibus veritatibus annectuntur *undecim errores in præ-*

fata

" *fata Maymburgi Hiſtoria deprehenſi.* Sequitur poſtremò ipſa Apolo-
" gia, tribus Diſſertationibus eo felici eventu & exitu comprehenſa,
" ut Maymburgus deinde non tanti ab eruditis factus ſit; cùm ubi-
" que extantia Concilii Conſtantienſis Acta diligenter ab Orthodoxis
" atque heterodoxis excuſſa fuerint, an videlicet Schelſtratii dictis
" cohærerent. Quotquot autem de præfati Concilii decretis deinde
" ſcripſêre, Schelſtratium omnes adducunt, laudántque. " Hucus-
" que in Scheleſtratium Præfatio.

Eundem Maimburgum *mercenariæ loquacitatis* arguit Van-Caſteelius in Controverſiis Hiſtorico-Eccleſiaſt. Controv. LXIV p. 525. col. 2. Falſò etiam Maymburgum in hiſtoria de la decadence de l' Empire p. 527 ſcriptitâſſe, quòd cum Carolo IV Imp. omnia in Italiam Cæſarea jura atque majeſtas exſpirârint, ritè notavit Köhlerus in Hiſt. Imp. p. 321. Plures alias hujus Auctoris Gallici hallucinationes recenſuit P. Schwarz in Colleg. Hiſt. P. II. VIII & IX, verbô *Maymburgus.* Göebelius, Conringii ſcholiaſtes, T. I. Operum p. 155. 156 in notis, Maymburgii ſomnia circa Salicæ legis proprietates jure merito explodit. Gundlingius quidem in Hiſt Imp. p. 214. Maymburgium & ejus librum de Inclinatione Imperii mirè dilaudat; aſt non alio ex capite, quàm quòd Scriptor hic exterus adverſus Sedem Romanam etiam ipſe mendacem calamum armârit: unde nec mirum, quòd brevi interpretes Proteſtanticos hic liber invenerit, atque in idioma Germanicum, utut mendoſiſſimè, translatus, iteratò prelum ſubire ſit juſſus. Rectiùs de Maymburgio ſenſit Illuſtris Pelzhoferus, qui in Tract. de Religione Lib. VII. Cap. 3. n. 18. 19. p. m. 30. 31. poſtquam undecim pro hæreticorum converſione remedia ſuppeditâſſet, illico hæc ſubjungit: *At verò Maymburgus ille pro Gallicana Eccleſia Zelotes, & Regiæ aureæ & aulæ mancipium in libro de Inſtitutione, & privilegiis Romanæ Eccleſiæ multò aliud arcanum revocandæ ad frugem hæreſis, & inde reſtaurandæ Religionis adſtruit, in Epiſtola ad Regem: nimirum,* unum ex præcipuis obſtaculis, quæ hæreticos morantur, ne Romanæ Eccleſiæ Sinum repretant, eam falſámque opinionem eſſe, quam tenaciter imbibêre, Pontificis authoritatem à Catholicis nimium attolli, immenſámque ei poteſtatem tribui. *Et alibi rurſus ait:* Propoſitiones Pariſienſes eò ſpectare, ut circumſcriptâ minutáque Pontificis Romani poteſtate, Proteſtantibus odiosâ, tantò iſti faciliùs ad Catholicam verámque Religionem perducantur, ſicque ſperari poſſe, Schiſma ceſſaturum ſublatis ejus cauſis (*ſcilicet Romani Pontificis auctoritate.*) *At ſacrilegus mihi planè eſt ſuaſor Maymburgus: Omnem enim authoritatem, quam Papa habet, obtinuit a Chriſto DEO-Homine, cujus vicario munere fungitur*

in terris: an igitur hanc minuere auſit fragilis homo, quam DEUS dedit, tot prærogativis ac multoties manifeſtis miraculis confirmavit? an Maymburgi plumâ levior calamus circumſcribet poteſtatem illam, quam Vicario ſuo DEUS tribuit abſolutam in omnia Spiritum concernentia, ùt alibi dicetur? An ad hæreticorum ſalivam deponet claves ſibi à Salvatore noſtro conſignatas, quibus aperire & claudere cœlum, ſolvere & ligare terram valeat? Dic Sodes: Cur hæretici non reſtituunt, quod Eccleſiæ, ejúsque ſacratiſſimo Principi debent? Cur diripiunt tunicam Chriſti, dilapidant oblationes piorum hominum, uſurpant ſacrilegè patrimonium Apoſtolicum? Pontifex autem ad eorum nefandum lubitum deponere deberet poteſtatem, & jurisdictionem, quam divino jure poſſidet, & à tot Seculis in hæc usque hæreticæ pravitatis tempora inviolatam exercet? ὦ ὕστερον πρώτερον! Eſt, eſt omnino ampliſſima, & magna, imò maxima Pontificis authoritas, poteſtas, Jurisdictio: ſed non immenſa aut nullis terminis ſepta *(ùt illam denigrare conatur Maymburgus in præfata Epiſtola ad Regem) Circumſcribitur enim lege divina, lege naturàli, & lege ſua propria, ſi ſtatum ſuum non dedeceat.* Ita adverſus Maymburgum Baro laicus, Illuſtris Pelzhoferus.

METAPHRASTES. METAPHRASTES Simeon, CPlitani Cæſaris primùm Protoſecretarius, dein Patricius, demum Magiſter & Logotheta, maximæque apud Cæſares auctoritatis (qui jam ineunte Seculo X ſub Leone Philoſopho floruit & ſub hujus regimine anno 904 legatione jam fuerat defunctus) complurium Sanctorum vitas partim edidit ipſe, partim ab aliis editas emendavit & illuſtravit. Vid. *Pagius* T. III. Criti ad an. 913 n. 5. 6. Permultas dein in Tomos ſuos intulit Surius, non parùm tamen ab Eruditis Viris in eo improbatus, quòd primigenium Metaphraſtis ſtylum perſæpe immutârit; unde plurimum Actorum Veterum ſinceritati deceſſit: ùt advertit Pagius l. c. n. 7. & aliàs frequentiùs Hagiographi noſtri in Actis SS. v. g. T. I. Sept. p. 457. n. 5. p. 458. n. 8. p. 523. n. 263.

Quo ætatis anno deceſſerit Metaphraſtes, inter ſe diſſident Leo Allatius in Diatriba de Simeonum ſcriptis, Bollandus in Præfatione generali ante Tomum I. Januarii, Franciſcus Verhovius T. V. Junii in Comment. præv. ad vitam S. Sampſonis Xenodochi p. 262. 263. n. 8. 9. 10. 11. ac præcipuè n. 12. Pagius T. III. ad an. 902. n. 2. 5. 11. T. IV ad an. 975. n. 9 & 10: juxta quem (multò veroſimiliùs) obiit poſt an. 975, jam nonagenario major: allatis eam in rem Scriptorum teſtimoniis, ùt Luitprandi Ticinenſis, & Leonis Diaconi. Addi etiam poterat ipſa S. Sampſonis vita, à Metaphraſte conſcripta, ubi num. 15 (apud Verhovium T. V. Junii) legitur *Joannes* (ſcilicet Zemiſces) Imperator, qui imperare cœpit an. 869: ùtut haud neſciam, quòd

idem

idem Verhovius in textu ſubſtituendum putaverit nomen *Conſtantini*, juxta ea videlicet, quæ ipſe in Comment. præv. n. 12. non niſi per conjecturam (mihi tamen minùs probatam) præmonuerat.

Plura de Metaphraſte occurrunt apud laudatos Auctores, ſcilicet *Pagium* T. III. ad an. 902. à n. 1. ad n. 12. an. 914. à n. 3. ad 7. T. IV. l. c. *Verhovium* l. c. à n. 1. ad 13. *Allatium* & *Bollandum* l. c. *Labbeum* T. II. de Script. Eccl. à p. 354 ad 357. *Nat. Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. ad Sec. X. Cap. III. Art. III. p. m. 71. 72. *Graveſon.* P. I. Hiſt. Eccl. T. IV. Colloq. V. p. m. 93. 94.

Cauſam porro, ob quam in adornandis Sanctorum plurium Vitis herculeum ſanè laborem ſuſceperit Metaphraſtes, exprimit Pſellus in Metaphraſtis elogio, & ex Pſello Pagius ad an. 913. n. 5. *Metaphraſtis* verò nomen non ob aliud Simeoni huic apud poſteritatem inhæſit, quàm quòd Pſello teſte, Sanctorum geſta *metaphraſibus* ſuis exornârit, inde ſic dictis, quòd ab una phraſi dicendique modo in alium delatæ ſint, prout tum ex Leone Allatio, tum ex Pſello juniore advertit Pagius l. mox cit. n. 4.

Quasnam verò Vitas nominatim elucubraverit Metaphraſtes, judicatu ſanè difficillimum eſſe teſtatur Allatius apud Pagium l. c. n. 7. & Graveſonium l. c. Atque idem Allatius p. 76. de Simeonum Scriptis, dum Commentarium de SS. Petro & Paulo, ſub nomine Metaphraſtis à Lipomanno & Surio editum, commemorat, factum iſtud hisce verbis improbat: *Viri de Antiquitate Eccleſiaſtica benè meriti, Vitas Sanctorum, quæ Auctorem ſibi præfixum non præferunt, omnes non ſine erroris atque inſcitiæ nota Simeoni vindicant, quæ verè Simeonis non ſunt.* Et pag. 79. ita inquit: *Illas profectò omnes Vitas* (quæ ſcilicet ſub Metaphraſtis nomine ſunt vulgatæ) *Metaphraſtæ ſi vindicaveris, acerbiſſimè inſaniveris; ſi nullas, multa impiè ſceleratèque commiſeris. Obſervandum verò eſt ante alia, malè à nonnullis dici, cùm alicujus Sancti Vitæ nomen præfixum non habetur, eam vitam legi apud Metaphraſten; quaſi verò collectiones omnes Vitarum ab eodem Metaphraſte confectæ ſint; quod ego exiſtimo falliſſimum.* Atque hæc ipſa Allatii verba, ſua pariter facit Henſchenius T. V. Junii in Comment. præv. ad Acta SS. Petri & Pauli p. 400. n. 6. Tum verò pag. 130 & ſeq in eadem Diatriba de Simeonum Scriptis mentem ſuam explicat Allatius, & primò quidem centum & viginta duas Sanctorum Vitas tanquam genuinum Metaphraſtis laborem agnoſcit: dein alias centum & quindecim vitas, quæ in quibusdam Codicibus MSS. Metaphraſtis nomen præferunt, eidem gravibus ex argumentis abjudicat, quin tamen legitimum illarum Auctorem definire atque detegere poſſit. Denique rurſus alias Sanctorum Vitas & Encomia Panegy-

rica numero 444 (quibus ſimiliter Metaphraſtis nomen falsò præmittitur) ſimúlque genuinos eorundem Parentes adducit. *Vid. Graveſon.* l.c. Aſt *Papebrochius* T. I. Maji in Ephemeridibus Græco-Moſcis p. XL. col. 1. in fine notat, quòd omnes ferme vitæ, quarum Metaphraſtes ſit Auctor, ad menſem Septembrem (à cujus ſcilicet Kalendis, initium anni ſui tunc numeraverant Græci) Octobrem, Novembrem, Decembrem pertineant, ſeptenæ ſolùm ad Januarium, vix duæ tréve ad Februarium & Martium. Unde intelligi datur, quàm parùm congruè vitarum Græcarum, per totius anni ſeriem digeſtarum, curſus adſcribatur Metaphraſti; cui tamen laus Operis incepti debetur. Solidè nihilominus S. Sampſonis Xenodochi vitam (cujus memoriâ ad 27. Junii diem recolitur) adverſus Allatium dubitantem Metaphraſti aſſeruit Verhovius noſter T. V. Junii ad diem 27. Junii: ut proinde etiam ad aliorum, quàm quos Papebrochius ſuprà ex Allatio recenſuit, menſium dies ſaltem aliquas Sanctorum Vitas à Metaphraſte fuiſſe conſcriptas, dubitari aut negari univerſim non poſſit. Ceterùm primam omnium fuiſſe S. Theoctiſten, cujus vitam (Anachoretæ nimirum Parenſis, eidem Sanctæ notiſſimi, hortatu) elucubrandam ſibi ſumpſerit Metaphraſtes, facilè Eruditi conſentiunt; utpote quod Pſellus ipſe, Metaphraſtis Encomiaſtes, teſtatur. Vid. *Pag.* T. III. ad an. 913. n. 3.

Tametſi verò maximæ apud omnes Auctoritatis cenſeri debeant Metaphraſtis labores ac fides, attamen nec ipſe hic Hagiographus indubitatam ſuis Scriptionibus adſtruit aut exigit fidem, ſi ſola traditione nitantur: ùt T. I. Maji in iisdem Ephemeridibus ad XXVIII Auguſti diem de Charitonis Vita, à Metaphraſte collecta, Papebrochius p. XLIII ſub initium col. 1. obſervavit. Imò veretur Papebrochius l. c. p. LVII col. 1. ne inter hujus Scriptoris Opera etiam quæpiam ſint *ex eorum numero, quæ fabuloſis planè circumſtantiis exaggerata jam invenerit Metaphraſtes, ſuáque eloquentiâ ſic expoliverit, ut prima fronte non appareant manifeſtè falſa.* Denique in hiſtoricis æquè, atque Chronologicis rebus Metaphraſtem non minùs, quàm alios omnes Scriptores, ſubinde fuiſſe deceptum varia docebunt exempla, tam in Pagii Critica, quàm in Antverpienſibus Actis SS. v. g. T. III. Aug. p. 567. n. 2. ubi Metaphraſtis errorem in aſſignanda Sanctis Claudio & Aſterio Martyrii palæſtra refellit Cuperus.

Num verò etiam *Annales*, quos ſub Metaphraſtis nomine edidit Combefiſius, illius revera ſint, an alterius: diſcutere jam non lubet. Antiqui certè probatíque Auctoris eſſe videntur, Metaphraſtis ni ſint. Vid. *Pag.* T. III. ad an. 902. n. 3. an. 914. n. 1. 2.

MISCELLA

MISCELLA Hiſtoria complectitur tum Eutropii Hiſtoriam Romanam, tum Additamenta Pauli Diaconi, tum alterius Anonymi continuationem. Variæ ſunt illius *Editiones*; una *Baſileenſis* de an. 1569 quæ tamen in noviſſ. Ind. Rom. proſcripta eſt p. 324, niſi deleatur Epiſtola, quæ præfigitur, neque probatum Auctorem ſapit. Altera *Batavo-Lugdunenſis* de an. 1594, cui etiam congruit Eutropii Editio *Francofordienſis* de an. 1588 inter Hiſt. Rom. Scriptores in folio. Tertia *Ingolſtadienſis* operâ Henrici Caniſii 1603. Quarta *Mediolanenſis* an. 1723 per Muratorium T. I. Script. Ital. Quinta *Hanovienſis* inter Hiſt. Auguſtæ Scriptores, cujus meminit Labbeus T. II. Script. Eccl. pag. 780. Nôſſe verò oportet, Editionem *Lugdunenſem* ſolius Eutropii & Pauli Diaconi laborem complecti, & Eutropio quidem libros decem, alteri libros octo attribui. Deſinit hìc Eutropius in obitu Joviniani, Geſta verò Valentiniani atque Valentis (cujus, ſeu Valentis, juſſu eam breviculam Hiſtoriam ſe concinâſſe, in ipſo narrationis limine fuerat præfatus) utpote copioſiùs enarranda in aliud ſe tempus rejeciſſe teſtatur. Dein Paulus Diaconus à Valentiniano continuationem ſuam pertexit usque ad Iſaurici Leonis initia. Aſt in Editione *Caniſiana* in viginti quatuor Libros Hiſtoria miſcella dividitur, & usque ad an. 806 perducitur: multóque ibi auctior tum Eutropius, tum Paulus Diaconus prodit, adeò, ut ſi utramque Editionem, Caniſianam & Lugdunenſem, inter ſe conferas, vix Eutropium in Eutropio, aut Paulum in Paulo agnoſcas, & verè *Hiſtoriæ miſcellæ* aut confuſaneæ compilationis, ex antiquis tamen gravibúsque Scriptoribus, ſcilicet ipſomet Eutropio, Oroſio, Paulo Diacono, Theophane, Euſebio (prout Caniſius tum in titulo libri, tum in præfatione fatetur) Ruffino, Jornande, Georgio Syncello, Nicephoro, Anaſtaſio Bibliothecario, Floro, Victore, collectæ atque excerptæ nomen huic Editioni *Caniſianæ* imponere poſſis. Alii cum Editoribus Baſileenſibus, Henrico Caniſio, Nat. Alex T. VI. Hiſt. Eccl. Menkenio in Lexico Erudit. verbô: *Landulfus Sagax*: hanc compilationem (Caniſianam) vel certè continuationem, quæ ipſimet Eutropii Continuatori Paulo Diacono rurſus adjicitur, magna ex parte Landulpho Sagaci tribuunt, qui Lothario I. imperante vixiſſe ſcribitur. Labbeus id veroſimiliùs negat T. II. Script. Eccl. p. 779. 780, atque in Joannem Diaconum multò magis propendet, in cujus ſcilicet gratiam Anaſtaſius Bibliothecarius Theophanis Hiſtoriam latinè reddiderat. Sollerius noſter T. V. Jun. in Tract. prælim. ſeu Hiſtoria Chronolog. n. 368. rem indeciſam relinquit. Dubitant ſimiliter Muratorius, ùt ex ipſa apud eundem Hiſtoriæ miſcellæ inſcriptione ſive titulo liquet: & Pagius T. III. Crit. ad an. 815. n. 2. Etſi

MISCELLA

Etſi verò mihi ſit perſuaſiſſimum, nec Paulum Diaconum, nec Landulphum Sagacem hujus compilationis, qualis à Caniſio & aliis edita eſt, cenſeri poſſe Auctores; cùm integri textus ex Theophane (prout hunc longè pòſt tempore Anaſtaſius vertit) illic inſerti legantur: de vero tamen genuinóque illius Authore in re incertiſſima obſcuriſſimáque plura divinare haud licet. Sufficit, quòd probatiſſimis, unde eruta eſt, Scriptoribus ſua incunabula hæc compilatio debeat; quanquam nec illud negandum, eam erroribus perinde eſſe obnoxiam, atque illi fuêre, qui compilationi huic præcinuêre. Illud autem multò verius certiusque exiſtimo, *Primò*, quòd Eutropii & Pauli Diaconi Editio Lugdunenſis, uti à brevitate (quam ad Valentem diſertè profitetur Eutropius) ita etiam à primæva ſinceritate editioni Caniſianæ ſit præhabenda, & pro utriusque ſinceriore partu admittenda; etſi ex Chronici Caſinenſis ſeu Leonis Oſtienſis teſtimonio haud ignorem, ab ipſomet etiam Diacono Eutropium, utpote nimium brevem, fuiſſe circa Eccleſiaſtica variis in locis adauctum. *Secundò*. quòd illa ipſa Continuatoris Eutropiani, ſive Pauli Diaconi lucubratio, quæ hodie in libros VIII dividitur, olim non niſi duos libros fuerit complexa. Nam Leo Oſtienſis in Chron. Caſin. L. 1. c. 17. de Paulo Diacono hisce verbîs luculentiſſimè ſcribit: *Ejusdem Adelpergæ* (Regis Deſiderii filiæ, & Arrigiſo Beneventano Duci maritatæ) *precibus in Hiſtoria Romana, quam breviter Eutropius ſcripſerat, plurima hinc inde ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis addidit. Duósque præterea Libros à tempore Juliani Apoſtatæ, in quem ipſam Hiſtoriam Eutropius terminaverat, usque ad tempora primi Juſtiniani Imperatoris adjecit.* Cùm itaque ex Leonis Oſtienſis aſſertione usque ad primi Juſtiniani tempora Eutropium continuârit Diaconus, hujus verò Juſtiniani Geſta in ipſo libro VIII Diaconi juxta hodiernam Editionem contineantur, inde ſanè manifeſtò colligitur, hos Diaconi Libros, quorum meminit Leo, antiquitus pro duobus fuiſſe habitos, atque ab ipſomet Diacono ita digeſtos, poſteriore autem ævo ex ſolo Editorum arbitrio in VIII denique libros fuiſſe partitos. Quare Labbeus T. II. Script. Eccl. p. 780 perperam redarguit Trithemium, quòd is duos duntaxat à Diacono libros ad Eutropium adjectos ſcripſerit, cùm tamen octo potiùs libri (juxta Labbeum videlicet) Diacono fuerint adſcribendi. Quod enim Leoni potiùs Oſtienſi, qui duorum ſolummodo librorum meminit, præ alio quovis Recentiori Editore habenda ſit fides, tum ipſa Leonis ætas multò antiquior probat, tum abunde ex eo conjicitur, quòd in eodem Monaſterio Caſinenſi, in quo poſtmodum floruerat Leo, antehac etiam vixerit & ſcripſerit idem Paulus Diaconus; cujus proinde Operum au-

thentica

thentica ſive Apographa, ſive ipſamet (quod vero admodum ſimile eſt) autographa exemplaria inter Monaſterii illius Chartophylazia haud dubiè Leonis ætate etiamnum recondita fuiſſe, arbitrari licebit. Unde ex hoc ipſo Leone inferre poteris *Tertiò*: quòd reliqua, quæ in eodem Diaconi libro VIII hodie poſt Juſtiniani primi deceſſum narrantur, aut pro alterius Anonymi (antiquiſſimi tamen) Continuatoris labore ſint accipienda, aut quòd ipſe Diaconus, poſtquam Adelpergæ juſſu ſuum illud ſupplementum usque ad Juſtinianum jam abſolverat, reliquum libri VIII contextum ſeriùs attexuerit. Certè, quæ poſt Juſtiniani geſta in eo libro deinceps narrantur, à vel ex devergentis octavi Seculi Auctore (qualis etiam Paulus Diaconus fuit) additum exſcriptúmve videtur. Cùm ènim Continuator narrâſſet, quòd Conſtans II. Imp. Solitarium quendam Anachoretam, Spiritu prophetiæ inſignem, de venturo Longobardorum exitio conſuluerit, primò quidem Anachoretæ reſponſum hisce verbîs præmittit: *Gens Langbardorum ſuperari modò ab aliquo non poteſt, quia Regina quædam ex alia provincia veniens, Baſilicam beati Joannis Baptiſtæ in Langbardorum finibus conſtruxit: & propter hoc ipſe beatus Joannes pro Langbardorum gente continuò intercedit. Veniet autem tempus, quando ipſum oraculum habebitur deſpectui, & tunc gens iſta peribit.* Mox verò ſubjungit Auctor: QUOD NOS ITA FACTUM ESSE PROBAVIMUS, *quia* ANTE *Langbardorum perditionem, eandem beati Joannis baſilicam, quæ utique in loco, qui Modoëtia dicitur, eſt conſtituta, per viles perſonas ordinari* CONSPEXIMUS: *ita ut indignis perſonis & adulterinis non vitæ merito, ſed præmii datione largiretur.* Cùm igitur velut teſtis oculatus de re ſibi notiſſima loquatur hic Continuator, Longobardicum verò Regnum an. 774 penitus expirârit, dubitari haud poteſt, quin inclinante Seculo octavo is vixerit, aut ipſe forſitan Paulus Diaconus ea primo ſuo ad Eutropium ſupplemento ſubjunxerit (utpote de quo aliàs conſtat, quòd ex inſtituto Hiſtoriam quoque Longobardicam conſcripſerit atque ſex libris explicârit) aut certè alius quiscunque, quantumvis ætate fors multò poſterior, ſaltem ex VIII Seculi Scriptore totum Pauli Diaconi librum octavum dexterrimè harpagârit & compaginârit.

Imò certiſſimum eſt, & vel ad oculum patet legenti, quòd totus liber VIII Diaconi, qualis in Eutropianæ Continuationis Editione hodie legitur, non aliunde ſit compilatus, quàm ex ipſis Diaconi ſex libris de geſtis Longobardorum. Quòd ſi enim ex hac Diaconi Hiſtoria Longobardica (Editionis Lugdunenſis de A. 1595, quâ uſus ſum) accipias Libri I. Caput XXV, & initium Capitis XXVI. ex Lib. II. Caput I. II. III. finem Capitis IV. Caput V & XI. Ex Libro III. Ca-

put XI. XII. XV. XVII. XVIII. XX. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. Ex Libro IV. Caput XXVII. XXXIV. XXXVII. LI. LII. ferme uſque ad finem. Ex Libro V. Caput VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XXX. Ex Libro VI. Caput IV. XI. XII. XIII. XIV. XXIV. XXXI. XXXII. XXXIV. XXXVI (niſi quòd hìc duæ illæ poſtremæ lineæ deſint, quæ libro VIII apud Eutropii Continuatorem Diaconum extant) XLI. XLVII. XLIX, ubi tamen ordo geſtorum nonnihil mutatur. Hæc, inquam, Capita, ſi ex Pauli Diaconi Libris de Geſtis Longobardorum acceperis, atque in eum prorſus Ordinem, quo enumerata hìc ſunt, uno eodémque continuato contextu redegeris, à capite ad calcem, à litera ferme ad literam totum Pauli librum VIII. Eutropianæ Continuationis & hodiernæ Editionis inde habebis; pauculis ſolummodo lineis exceptìs, quæ in libro VIII apud Eutropii Continuatorem leguntur, in Hiſtoria verò Longobardica deſunt. Illic enim p. m. 177 ferme ſub initium libri VIII. legitur: *Tunc quoque apud Conſtantinopolim Priſcianus*, uſque ad, *rimatus eſt*: quæ duas lineas conficiunt; item pag. ultimâ ſeu 206 dicitur: *rurſum cùm Ravennam*, uſque ad, *occubuit*: quæ quatuor lineìs conſtant. Hæ autem ſex lineolæ ab Hiſtoria Diaconi Longobardica abſunt.

Quoniam verò ipſe Paulus Diaconus in fine Libri VII Continuationis Eutropianæ ita inquit: *quia reſtant adhuc, quæ de Juſtiniani Auguſti felicitate dicantur, in ſequenti, Deo Præſule, libello promendæ ſunt*: meritò inde concluditur, quòd non ultra Juſtiniani primi tempora laboris ſui coronidem, duabus ſolummodo paginis conſtantem, primitus promoverit. Itaque, quæ deinceps ſequuntur, vel ipſe ſeriùs ex Hiſtoria ſua Longobardica (ſi quidem hanc antè jam ſcripſerit) excerpſit & uberioris additamenti locò ſubnexuit: vel alius quispiam Anonymus ſervatìs, quæ in Longobardica Pauli Hiſtoria repererat, exactiſſimè verbìs octavi in Eutropiana Continuatione libelli brevitatem ſupplevit, eúmque ſub unius ejusdémque Diaconi nomine (quia ex Diaconi ſcriptis re ipſa depromptum) poſtmodum publicavit. Quod alterum ſi contigerit (ùt contigiſſe arbitror; neque enim eundem Diaconum ſua verba verborúmque ampliſſimos tractus, imò quadraginta ſex Capita Hiſtoriæ ſuæ Longobardicæ bis deſcripſiſſe, & aliò rurſus laborem non novum intruſiſſe, ſatìs verosimile reor) tunc enimverò ex verbis illis, quæ ſuprà de Anachoretæ vaticinio & Longobardorum exitio retulimus, inferri minimè poterit, quòd Continuator hic Anonymus Seculo VIII jam vixerit; quandoquidem is ea verba eò penitus modò deſcripſit atque in Eutropianæ Continuationis librum octavum fideliſſimè intulit, quò modò illa jam apud Paulum

Diaco-

Diaconum in Hiſtoria Longobardica L. V. c. 6. invenerat; id quod etiam ab ævi multò junioris Scriptore aut compilatore fieri potuiſſe nemo negaverit.

Monachus San-Gallensis. Vide *Notkerus Balbulus.*

De Monte Robertus, ſeu veriùs Robertus de *Torrinejo*, Seculi XII Scriptor, cujus teſtimonium frequenter allegant Authores (Vid. *Acta SS.* T. IV. Aug. p. 16. n. 2. p. 22. 23, n. 35. 36. p. 178. n. 347.) Sigeberti Chronicon ad Annum uſque 1186 continuavit, illudque poſt Guiberti Abbatis Novigentani Opera Dacherius edidit Pariſiis A. 1651. Diſtinguendus Robertus hic eſt ab alio Pſeudo-Roberto de Monte, ſub cujus nomine vulgata priore Seculo fuit Sigeberti Continuatio ſive Appendix, cujus etiam meminêre Janningus T. VI. Junii p. 36. n. 9. Pinius T. IV. Aug. p. 178. n. 346. p. 214. n. 517. Dacherius l. c. p. 715. & apud Pinium l. c. p. 178. n. 347. Oudinus in Comment. de Script. Eccl. Tomo II à col. 1625 varia de genuino Auctore Roberto collegit, inter quæ & illud: *Chronicon ſuum ab Anno MÇXII, ubi Sigebertus deſiêrat, ad Annum MCLXXXII produxit. Appendix autem ad Sigebertum, quæ inter Illuſtres Germaniæ Scriptores edita eſt, alterius Auctoris maxima ex parte eſt, ab Anno nimirum MCX ad Annum MCLV. Germanam autem Appendicem ad Sigeberti Chronicon à Roberto de Torrinejo conſcriptam ex Autographo Monaſterii Sancti Michaëlis de Monte, & ejusdem acceſſiones ad Sigebertum &c. edidit Vir doctiſſimus Lucas Dacherius &c.* Janningus noſter T. VI. Junii in Appendice ad diem VI Junii p. 22. n. 7. in Roberti de Monte Chronicon, qui Sigeberti uſque ad Annum MCCX Continuator antehac fuerat exiſtimatus, obſervat ſequentia: *Fateor, ita paſſim ſcribi ac putari. Verùm poſt diligens examen continuationis iſtius opinor, me deprehendiſſe, Robertum de Monte ad Annum illum non ſupervixiſſe, ſed Annos circiter XXIV antè vivere deſiiſſe: nec non continuationem iſtam non unius, ſed trium diverſorum Collectorum eſſe: adeò ut Pars prima continuationis ab Anno MCXIII, quo Sigebertus obiit, pertingat uſque ad Annum MCLV, cujus Auctor ignotus, circiter illud tempus obiêrit. Partem alteram, quæ verè Roberti de Monte ſit, extendi ad Annum MCLXXXVI: Poſtremam denique eſſe Monachi Gemmeticenſis. Hæc mea opinio, quam pridem concepi, in Diſſertatione propria, hoc ipſo Junii loco verosimiliter locum inventura, pluribus explicabitur.*

De Monte.

Stetit promiſſis Janningus, & T. VII. Junii à p. 171 ad p. 175 erudita ſimul atque dilucida Diſſertatione oſtendit: *Primò*: Appendicem ad Sigebertum, qualis plerumque in Germania edita eſt quæque uſ-

que ad Annum MCCXX extenditur, non uni Roberto de Torrinejo, Montis S. Michëlis in Normannia Abbati, poſſe attribui, quandoquidem hic jam Anno 1186 fatis conceſſerit. *Secundò*: Reliquam proin ab alio Continuatore Anonymo, & quidem à Monacho Gemmeticenſi proficisci. *Tertiò*: Genuinum Robertum non ab A. 1112, ùt ſcribit Oudinus (etſi aliàs eo in anno deſierît Sigebertus) ſed ab ipſo anno 1101 Chronicon ſuum, prout illud Dacherius edidit, fuiſſe exorſum, & usque ad extremum vitæ ſuæ, ſive ad an. 1186 continuâſſe, *Quartò*: Chronicon, Roberti nomine inter Piſtorii Scriptores Germaniæ impreſſum & hactenus ita compellatum, reipſa tripartitum eſſe, cujus pars prima & amplior, ab anno ſcilicet 1113 ad an. 1155, incognitum quidem adhuc, Seculi tamen XII Auctorem habere videtur, multùmque differt à veriore Roberto, quem Dacherius edidit: Pars verò altera, quæ ab anno 1155 ad annum usque 1186 progreditur, ad Robertum de Torrinejo veriſſimè ſpectat: pars denique poſtrema usque ad an. 1210 à Monacho, ùt diximus, Gemmeticenſi exarata colligitur. *Vid.* etiam *Labbeus* T. II. de Script. Eccl. p. m. 352. verbô: *Sigebertus*: item T. II. Biblioth. MS. cui Chronicon Abbatiæ S. Michaelis, & in Chronico quæpiam de Roberto Torrinejo inſerta leguntur: *Natalis Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. ad Sec. XII Caput V. Art. VIII n. 2. ubi ſimul advertit, quòd *Poſſevinus* in Apparatu Robertum Remenſem Monachum & Hiſtoriæ Jeroſolymitanæ Scriptorem, qui jam ſub Seculi XI finem Concilio Claromontano interfuit, cum Roberto de Monte malè confuderit. *Pagius* ad an. 1186. n. 20.

Idem verò Pagius T. IV. Crit. ad an. 1180. n. 9. affirmat *primò*, Robertum de Monte ſive de Torrinejo parùm de rebus extra Galliam geſtis fuiſſe edoctum, indéque Chronicon ejus non vacare commentis. *Secundò*: ad an. 1181 n. 3 & 11 ait, ejusdem Chronologiam non rarò eſſe corruptam, niſi fortè librariis id potiùs tribuendum, quàm ipſimet Roberto. Ad annum tamen 1117 n. 13 laudatur à Pagio, quòd mortem Ivonis Carnotenſis rectiùs quàm alii Chronologi adnotârit.

Denique non minoris (ſi non majoris) auctoritatis cenſeri poterit Pſeudo-Robertus, quàm verus Robertus; nam Chronici Pſeudo-Robertini Pars prima Anonymum ætate æqualem vel ſuperiorem, pars altera ipſummet Robertum de Torrinejo, pars ultima Scriptorem ſimiliter contemporaneum, neque Roberto multùm juniorem pro Auctoribus habet. Accedit, quòd Chronici hujus teſtimoniis ſua non rarò Scriptores Critici firment. *Vid. Pinius* l. ſuprà cit. T. IV. Aug. *Pagius* T. IV. ad an. 1126. n. 3. & 4. an. 1131. n. 12. an. 1140. n. 6.

an.

an. 1143. n. 6. Quanquam alibi Chronici hujus errorem corrigit Pagius, ad an. 1124. n. 13.

N.

NAUCLERUS Joannes, Tubingenſis Academiæ Rector, Chronicon ſcripſit univerſale, in generationes ſuas diviſum, ab orbe condito usque ad an. 1500. Editum primò eſt Tubingæ anno 1515; auctius poſtmodum prodiit Coloniæ cum Appendice Surii, qui illud continuavit ab an. 1501 usque ad an. 1574. Alios dein XII annos ſive usque ad an. 1586 addidit Michael ab Iſelt Amerfortius, & ſolius Surii Commentarium cum ſua duodennii acceſſione repetitis Colonienſibus typis ſubjecit an. 1586. Gundlingius in Hiſt. Imp. p. 977. §. 376 ait, minùs accuratum eſſe Naucleri Chronicon, & à Joanne Baſilio, ejus Continuatore, ſæpiùs confutari: plura etiam Diplomata huic Chronico, præſertim in Conradini Hiſtoria, ineſſe, quæ ùt ſuppoſititia, ſpuriáque, ſanior Critica meritò aſpernetur. *Poſſevinus* in Apparatu ad omnium gentium Hiſtoriam Sect IV. C. I. pag. m. 143 monet, *abſtinendum eſſe à generationibus Naucleri, atque ab aliis Neotericis, ubi iſtiusmodi Scriptoribus uſi ſunt.* Rectè profectò; nam id ipſum, quod alibi ex Gretſero de Conradi Urspergenſis Chronico, per Melanchtonis præfationem contaminato, notavimus, multò magis hìc quoque repeti poteſt. Nam ipſomet Iſelino teſte in ſuo Lexico Baſileenſi hoc Naucleri Chronicon non antè emerſit in auras, quàm obſtetricem ſe interpoſuerit Philippus Melanchton, qui partum adhuc informem (cui ſcilicet immortuus fuerat Nauclerus Genitor) ipſe feliciter exſecuerit, & non modò nitidiùs (ſi ſuperis placet) ordinârit, ſed & ampliſſimis incrementis ſive novis additamentis à ſe locupletatum, ad lucem denique promoverit. Hujus autem Melanchtonis quanta non longè pòſt fides fuerit atque ſinceritas, Surius in laudato Commentario ſuo, ſeu ejusdem Naucleri continuatione inculcavit, dum eum p. m. 444. 498. 560. 627. hominem *impudenter mentientem, librorum falſarium, ipſius etiam Auguſtanæ Confeſſionis crebrum transformatorem* nuncupavit; Nemo verò repentè fit peſſimus; maturéque urit, quod vult urtica manere. Vid. etiam *P. Schwarz* P. III. Colleg. p. 186. NAUCLE-RUS.

Fabulas porro huic Chronico non deeſſe, ſola illa (ut cætera taceam) craſſiſſima falſiſſimáque, quam de Henrici III Imp. proſapia ex Godefrido forſitan Viterbienſi ſive Nauclerus ſive Melanchton eſt mu-

tuatus, narratiuncula probat. Huic itaque Chronico, quod primùm poſt fata Naucleri in lucem extulit patrinus Melanchton, tutò fides adhiberi non poteſt, niſi fortè in iis, quæ vel ex antiquioribus ſynchroniſque Scriptoribus petita, vel ipſius Naucleri Melanchtoniſque temporibus propiora fuêre, utpote quæ cum majore cautela oportuit ſcribi, ne alioquin aperta falſitas coævorum lectorum riſui contemptuiſque palàm exponeretur. Cùm autem tum temporis, quo Naucleri Chronicon enixus eſt Melanchton, octodecim annorum ætatem necdum ſuperaverit, inde ſanè colligi poteſt, quòd Juvenculus hic ardelio & novitatum non minùs quàm popularis auræ adorator, qui paulò pòſt cum ipſomet Novatore & Deformatore Luthero colluſit, & in quo per ipſum ætatis imberbe vitium nullus adhuc defœcatioris criterii uſus ineſſe poterat, varia fine ſelectu narrationum genera unde unde conglomerârit, & inſititii furfuris mercibûs genuinum Naucleri Opus non tam ornârit, quàm amplificârit & transformârit.

S. NICEPHORUS. S. NICEPHORUS, Patriarcha CP. qui ad Superos evolavit an. 828, pluribus Scriptis inclaruit, de quibus Labbeus T. II. Script. Eccl. à p. 103. item p. 765 inter Addenda. Inter hasce lucubrationes ſunt *primo*: Breviarium Hiſtoricum à cæde Mauricii Imp. usque ad Conſtantini Copronymi tempora, ſive usque ad an. 669. Græcè atque latinè editum eſt cum notis Dionyſii Petavii Pariſiis an. 1616, iterúmque ibidem recuſum an. 1648 Tomo I. Corporis Hiſt. Byzant: Venetiis verò an. 1729 Tomo V. Hiſt. Byzant. *Secundò*. Chronologia aut Chronographia tripartita, ſive brevis Catalogus Patriarcharum, Judicum, Regum, Principúmque Hebræorum, Græcorum, Romanorum, ab Adamo usque ad Theophilum, Michaëlis Balbi filium; cui dein alius addidit Patriarchas poſt Nicephorum usque ad Photium Eccleſiæ CP. uſurpatorem. Primus eam Chronographiam latinè reddidit Anaſtaſius Bibliothecarius: poſtea cum notis Joachimi Camerarii locupletior prodiit tum Baſileæ an. 1561, tum Lipſiæ an. 1573. Repetita pariter fuit cum notis Antonii Contii à Margarino Bignæo T. VII. Bibliothecæ PP. Græcè autem primus excudit Joſephus Scaliger in Theſauro temporum: Græco-latinè unà cum Georgii Syncelli Chronico P. Jacobus Goar Ord. Prædic. typis regiis Pariſinis. Solam denique Anaſtaſii verſionem latinam recentiſſimè iteravit Typographia Veneta an. 1729 T. XXII. Hiſt. Byzant. à pag. 1. in ipſius Anaſtaſii Hiſtoria Eccleſiaſtica, ex S. Nicephoro, Georgio Syncello, & Theophane compacta.

Nice-

tuatus, narratiuncula probat. Huic itaque Chronico, quod primùm poſt fata Naucleri in lucem extulit patrinus Melanchton, tutò fides adhiberi non poteſt, niſi fortè in iis, quæ vel ex antiquioribus ſynchroniſque Scriptoribus petita, vel ipſius Naucleri Melanchtoniſque temporibus propiora fuêre, utpote quæ cum majore cautela oportuit ſcribi, ne alioquin aperta falſitas coævorum lectorum riſui contemptuíque palàm exponeretur. Cùm autem tum temporis, quo Naucleri Chronicon enixus eſt Melanchton, octodecim annorum ætatem necdum ſuperaverit, inde ſanè colligi poteſt, quòd Juvenculus hic ardelio & novitatum non minùs quàm popularis auræ adorator, qui paulò pòſt cum ipſomet Novatore & Deformatore Luthero collufit, & in quo per ipſum ætatis imberbe vitium nullus adhuc defœcatioris criterii uſus ineſſe poterat, varia fine ſelectu narrationum genera unde unde conglomerârit, & inſititii furfuris mercibûs genuinum Naucleri Opus non tam ornârit, quàm amplificârit & transformârit.

S. NICEPHORUS. S. NICEPHORUS, Patriarcha CP. qui ad Superos evolavit an. 828, pluribus Scriptis inclaruit, de quibus Labbeus T. II. Script. Eccl. à p. 103. item p. 765 inter Addenda. Inter hasce lucubrationes ſunt *primò*: Breviarium Hiſtoricum à cæde Mauricii Imp. usque ad Conſtantini Copronymi tempora, ſive usque ad an. 669. Græcè atque latinè editum eſt cum notis Dionyſii Petavii Pariſiis an. 1616, iterúmque ibidem recuſum an. 1648 Tomo I. Corporis Hiſt. Byzant: Venetiis verò an. 1729 Tomo V. Hiſt. Byzant. *Secundò*. Chronologia aut Chronographia tripartita, ſive brevis Catalogus Patriarcharum, Judicum, Regum, Principúmque Hebræorum, Græcorum, Romanorum, ab Adamo usque ad Theophilum, Michaëlis Balbi filium; cui dein alius addidit Patriarchas poſt Nicephorum usque ad Photium Eccleſiæ CP. uſurpatorem. Primus eam Chronographiam latinè reddidit Anaſtaſius Bibliothecarius: poſtea cum notis Joachimi Camerarii locupletior prodiit tum Baſileæ an. 1561, tum Lipſiæ an. 1573. Repetita pariter fuit cum notis Antonii Contii à Margarino Bignæo T. VII. Bibliothecæ PP. Græcè autem primus excudit Joſephus Scaliger in Theſauro temporum: Græco-latinè unà cum Georgii Syncelli Chronico P. Jacobus Goar Ord. Prædic. typis regiis Pariſinis. Solam denique Anaſtaſii verſionem latinam recentiſſimè iteravit Typographia Veneta an. 1729 T. XXII. Hiſt. Byzant. à pag. 1. in ipſius Anaſtaſii Hiſtoria Eccleſiaſtica, ex S. Nicephoro, Georgio Syncello, & Theophane compacta.

Nice-

Nicephori hujus auctoritatem, utique magnam, plerique deinceps ſecuti ſunt Scriptores, quà Græci, quà Latini, ùt videre eſt tum in Pagii Critica, tum in Antverpienſibus Actis SS. Notavit tamen Cuperus T. I. Aug. in Hiſt. Chronol. Patriarch. CP. p. 5. n. 22 & 25, quòd Nicephorus ab Anonymo quopiam, qui modò Procopius, modò Pſeudo-Dorotheus à Cupero appellatur, fabulatore deceptus varia de primis Patriarchis CP. primóque Patriarchatûs erecti tempore ſcripſerit, quæ à vero penitus ſunt aliena. Menda etiam Chronologica in ejus Chronographiam, prout nunc edita eſt, irrepſiſſe idem Cuperus monuit l. c. p. 14. n. 64. item Pagius T. II. Crit. ad an. 608. n. 3. id quod tamen Editoribus aut Typographis tribui malunt Eruditi.

NICEPHORUS CALLISTHUS, Calliſthi Xanthopuli filius, vixit ſub Andronico Seniore Palæologo ejúsque filio Michaële, ac Nepote Andronico Juniore, ſcilicet Seculo XIII jam ſeneſcente, ùt liquet ex Præfatione Operis, quod Andronico Seniori dicavit. Edidit inter cetera etiam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros XVIII à nato Chriſto usque ad mortem Phocæ Imp. (prout ipſe teſtatur in fine libri XVIII, qui ejus Operis ultimus eſt) ſive Annum Æræ Dionyſianæ 610. Unde quinque alii libri ab Heraclii exordio usque ad obitum Leonis Sapientis, ſeu *Philoſophi*, id eſt, ad annum 911, qui libro XVIII hodie ſubjuncti leguntur, à quibusdam Criticis addititii jure creduntur (Vid. Pagius T. II. ad an. 610. n. 7.) errâſséque videntur tam Graveſonius quàm Natalis Alex. qui XXIII libros à Nicephoro conſcriptos autumârunt: quorum quinque poſtremi jam interiêrint, & ſola eorundem argumenta ſuperſint. Hanc Nicephori Hiſtoriam (cujus unicum adhuc in Mathiæ Corvini Regis Bibliotheca Budenſi ſervabatur exemplar) in expilantium Turcarum manus delapſam, rursúmque Conſtantinopoli fortè fortunâ à literato emptore pretiò redemptam, ac Viennenſi Bibliothecæ Cæſareæ redditam, primus Ferdinandi I. Cæſaris juſſu latinitate donavit Joannes Langus, & Baſileæ vulgavit anno 1553, eadémque Langi latina verſio inſtaurata fuit typis Pariſienſibus an. 1562. Poſtea Græco-latinè Nicephorum duobus in Tomis reddidit Fronto Ducæus noſter Pariſiis an. 1630. Demum in idioma quoquè Teutonicum transtulit Marcus Fuggerus, Illuſtris Baro de Kirchberg & Weiſſenhorn, Ingolſtadii an. 1588, & ſuam non minùs, quàm Langi præfationem, vernaculo ſermone præmiſit.

In hanc Hiſtoriam, quam ex Euſebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Evagrii aliorúmque Scriptorum monumentis fuiſſe conflatam Eruditi agnoſcunt, varia quoque inſeruit Nicephorus, quæ vix alibi

ex-

extant, libris, unde illa deſumpſit, jam deperditis. Utitur Æra tam Incarnationis, quàm mundi, ſibi propriâ, in qua tamen illum non ſibi ſemper conſtare, ſibi quandoque contradicere, imò tam annos mundi quàm nativitatis in Auctore iſthoc (cujus ſcilicet non niſi unicum, illúdque depravatum exemplar ſuperſit) plerumque corruptos legi & affirmat & probare contendit Pagius T. II. ad an. 610. n. VII & alibi. *Raderus* noſter in Nicephoro *vel inconſtantiam calami, vel mentis vitium & immemoriam*, aliáque ſphalmata reprehendit, ùt videre eſt in Aula Sancta Theodoſii & S. Pulcheriæ per Raderum edita p. m. 182. 199. 203. 204. 205. Dein prout Schiſmaticus fuit hic Auctor, ita hiſtoriæ ſuæ immiſcuit errores Græcorum de Proceſſione Spiritûs Sancti à ſolo Patre, & alios. *Papebrochius* T. I. Maji in Ephemer. Græco-Moſcis p. XXXI ad diem ultimum Maji ait: *Græcorum Triodio* (*Latini* PROPRIUM DE TEMPORE *dicerent*) *multum Schiſmatici fermenti admixtum eſſe à Nicephoro Calliſtho Xanthopulo, qui ipſum ordinavit, meritò queritur Allatius, dolétque ipſum ſic inquinatum permitti Græcis unitis legendum, non ſine frequenti eorum ſcandalo.* Unde & *Cuperus* T. I. Aug. in Hiſt. Chronol. ùtùt aliàs, perinde ac Pagius in Critica, ipſe pariter tam Chronotaxin, quàm narrationes Nicephori ùt legitimas perſæpe admittat (Vid. T. I. Aug. p. 66. p. 159. n. 956. 960; adde etiam *Pinium* T. III. Aug. p. 568. n. 88: quia ſcilicet ipſe Nicephorus ſua ex aliis plerumque probatis Auctoribus hauſit) paginâ tamen 158 n. 949 cautè prænonet Lectorem, nihil illum moveri debere laudibus illis, quas in Hiſtoria ſua hic Scriptor Schiſmaticus Præſulibus ſuis, in Schiſmate contumacibus tribuit; ùt cùm Germano II. etiam Sanctitatem multáque miracula affingere non formidavit, aut cùm pro Baſilii II ſeu Camateri Patriarchæ CP. exauctoratione erroneam prorſus cauſam allegavit, verámque ſubticuit. Vid. *Cuperus* l. c. p. 143. n. 854.

Sed neque legitimum in Auctoribus tranſcribendis ſelectum ſemper adhibuiſſe, neque acriori, ùt oportuit, examini ſingulorum aſſerta ſubjeciſſe Nicephorum, inter Criticos convenit. Sic Pinius T. III Aug. p. 555. n. 34. in Comment. præv. ad Vitam S. Helenæ Imp. obſervat, quòd fabuloſa Euſignii Acta ſecutus ſit Nicephorus, & impudentem fabulam de Conſtantini M. natalibus, non ex thoro legitimo ſed ex furtivo Helenæ matris concubitu petitis (quæ tum à Baronio T. III ad an. 306, tum in Actis SS. T. II. Aug. ad diem V. p. 71. & Lambecio l. VIII. Biblioth. Vindob. p. 107. refutatur) in ſua pariter Hiſtoria l. 7. c. 18. ùt veram adoptârit. Addit Pinius, *nugas Calliſthi Nicephori fabulatoris Græculi, qui vixit Seculo XIII vel proximè ſequenti, caſtigari à Bibliographis: ut mirari debeam* (inquiens) *quòd Juſtus Lipſius l. 4. de*

de magnitudine Romana cap. XI. agens de patria Conſtantini M. ac commentitio Conſtantii cum Helena concubitu Drepani in Bythinia, tantum hac in re, dicamus potiùs ſomnio, tribuerit prædicto Auctori, quem citat loco paulò antè deſignato, ut rotundè profiteatur, arbitrari ſe, veriſſima Nicephorum tradidiſſe. Labbeus T. II. Script. Eccl. p. 101. 102 & p. 764. inter Addenda ita pronunciat: *Nicephori Hiſtoriam non ſine delectu atque æri judicio legendam monerunt Viri Eruditi, ut quæ multas fabulas quisquiliásque contineat ex incertis dubiaque fidei Scripturibus conquiſitas. Neque tamen iis accedendum puto, qui fabuloſiſſimum, vaniſſimum, futiliſſimum, nullinsque in literis judicii, nec συγγραφέα, ſed μύθων καὶ λήρων ῥαψῳδὸν appellitant. Illius enim pannis purpuram aliquando intextam ex Auctoribus, qui periêrunt, nemo eſt, qui non fateri cogatur, & damnare temeritatem Caſauboni, qui quicquid apud ipſum legitur, non pluris faciebat, quàm folia farfari. Prudentis enim Lectoris eſt, pretioſum ſeparare à vili, & gemmas è ſterquilinio colligere.* Plura de Nicephoro & ejus erroribus videſis apud Poſſevinum in Apparatu.

NICETAS ACOMINATUS, Choniates à patria dictus, & Michaëlis Acominati, Athenarum Epiſcopi, Germanus, Magnus Logotheta Secretorum, Inſpector & Judex veli, ſacríque cubiculi Præfectus, captâ ſub an. 1204 à Latinis CPoli Nicæam Bythiniæ ſe contulit, ibíque exeunte anno 1206 curriculum vitæ mortalis explevit. Scripſit Hiſtoriarum Libros XXI, ab obitu nimirum Alexii Comneni Imp. ſive ab an. 1118, ubi deſiit Zonaras, usque ad annum 1206, ſeu obitum Balduini, primi Latinorum in Oriente Imperatoris, qui contigit anno 1205. Nam & *Graveſonius* in Hiſt. Eccl. T. V. Colloq. V. p. m. 6. & 147. col. 2. *Nat. Alex.* T. VII. Hiſt. Eccl. ad Sec. XIII fatentur, CPolim fuiſſe expugnatam XI. Aprilis an. 1204: rursúmque Graveſonius T. cit. Colloq. I. p. 7. & Nat. Alex. l. c. p. 260. c. 8. n. 2. admittunt, quòd Balduinus poſtmodum à Joannitio Rege Bulgaro captus, & 15. Aprilis anno 1205 in Bulgariam abductus, ibi poſt ſedecim menſium captivitatem ab eodem Rege juxta Nicetam ſit trucidatus. Mors itaque Balduini, à Niceta deſcripta, in annum Chriſti 1206 incidit, & ſibi ipſis repugnant Graveſonius atque Natalis, dum uterque Nicetæ Scriptionis terminum jam in anno 1203 collocârunt. Vid. *Nat. Alex.* l. c. ad Sec. XIII Cap. IV. Art. 1. n. 1. *Graveſ.* l. c. p. 148 col. 1. Colloq. V. Edita eſt hæc hiſtoria *primò* Baſileæ Græco-latinè an. 1557 in folio cum Zonara & Gregora ex Bibliotheca & ſumptibus Antonii Fuggeri. *Secundò*, Genevæ an. 1593 in forma quarta cum marginalibus notis & rerum argumentis. *Tertiò* typis Regiis Lutetiæ cum aliis Byzant. NICETAS ACOMINATUS.

zant. Hiſtor. Scriptoribus an. 1647. *Quartò* in nova Hiſtoriæ Byzant. Collectione Tomo XI Venetiis an. 1729.

Hujus quidem Scriptoris fides tam circa calculum chronicum, quàm ipſas rerum narrationes utplurimùm cenſetur exacta, ejúsque aſſertis rem hiſtoricam frequenter exornant atque ſtabiliunt Scriptores poſteri, ùt *Pagius* T. IV. Crit. *Cuperus* T. I. Aug. in Hiſt. Chronol. aliíque; reprehendit tamen in eo *Graveſonius* T. V. Colloq. I p. m. 6. & *Nat. Alex.* T. VII. Cap. 8. Art. 1. n. 1. p. 259. quòd plus juſto, nec ſine figmentis ſcelera Latinorum exaggeret, quæ illi in CPolitanæ urbis direptione commiſerint. Licèt enim multa à Latinis ſcelera & Sacrilegia per eam occaſionem patrata ipſe Innocentii III biographus teſtetur, & rerum in urbe Regia geſtarum oculatus teſtis fuerit Nicetas: hujus tamen Græcam fidem meritò ſuſpectam facit tum ipſa in ſchiſmate pertinacia, tum immane odium & ſtylus aculeatus, quo Latinos univerſim perſequitur; ait enim: *Difficile eſt Latinum avaro ingenio, oculo impudenti, ventre inſatiabili, animo iracundo, manu perpetuò enſem quærente, lenire obſequiis.* Unde etiam apud *Gretſerum* T. VII Operum p. 458 col. 2. idem Nicetas, *hoſtis Latinorum & calumniator improbiſſimus audit.* Imò idem Gretſerus L. I. Variarum Cap. IV. T. XVI. alio etiam ex capite acriter perſtringit Nicetam, ita inquiens: „ Committere „ nequeo, quin repercutiam mendaciſſimam criminationem Nicetæ „ Choniatæ, qui lib. 2. de Imperio Iſaaci Angeli, ubi de Exercitu „ Friderici I. Imperatoris in Palæſtinam tendente agit, affirmare non „ veretur: Alemannos, hoc eſt, Germanos convenire cum Armeniis tam in aliis dogmatum capitibus, quàm in ſacrarum imaginum „ veneratione inficianda & repudianda. *Apud Alemannos & Armenios*, „ inquit, *Sanctarum imaginum adoratio, æquè interdicta eſt.* Hanc Nicetæ calumniam refellit Demetrius Chomatianus ex Græcis non poſtremus, Bulgariæ Archiepiſcopus, in reſponſis ad Conſtantinum „ Cabaſilam, Archiepiſcopum Dyrrhachii. Nam cùm Conſtantinus „ quæſiviſſet: an Epiſcopus Græcus ſine ullo præjudicio Eccleſias Latinorum ingredi, & ibi preces fundere poſſit, præſertim vocatus? „ Reſpondit: in Eccleſias eorum accerſitus ſine dubitatione veniret: „ *Sanctarum enim Imaginum ſunt & Hi Cultores*: & in ſuis templis eas „ erigunt. Non admittamus, monet idem Bulgariæ Præſul, Satanicam illam calumniam, Latinos adorationem imaginum non recipere. Et Joannes Epiſcopus Citri ad eundem Cabaſilam: *Latinis Divina templa, & veneratio pretioſæ Crucis, Sanctarumque imaginum nobiscum ſunt communia &c.* „ Fallitur præterea Nicetas, cùm ſcribit, Balduinum Imp. poſtquam in Joannitii ſive Calo-Joannis poteſtatem per-

pervenerat, cruribus brachiisque truncatum, in vallem fuisse projectum, cúmque ibi post triduum exspirâsset, demortui cadaver in ferarum & volucrum prædam sub dio fuisse relictum. Hanc enim narratiunculam, ex erroneis verosimiliùs vulgi rumusculis natam, evertunt tum ipsius Joannitii ad Innoc. III. literæ, tum Godefridi Villarduini, oculati testis, Historia, è quibus constat, Balduinum ex morbo, quem in carcere contraxerat, fuisse defunctum.

NIEM THEODORICUS, vulgatissimum quidem apud recentiores Historicos nomen, operúmque quorumpiam passim creditus Author; de quo tamen jure ambigere possis, an non in Operibus eidem adjudicandis multò liberalior, quàm veracior fuerit opinantium fides. Inter has Niemi lucubrationes numeratur I. Historia Annorum XXXVII, quatuor libris descripta: quorum tres priores agunt *de Schismate* in Ecclesia Romana à tempore Urbani VI, quartus verò *Nemus Unionis* inscribitur: cujus Nemoris mentio fit l. 2. de Schismate c. 42. hisce verbîs: *in alio libello, quem nemus unionis intitulavi, ea omnia* (de colludentium Pontificum malitia) *latiùs sunt depicta* &c. Edita primò est Historia de Schismate, absque Nemore Unionis, Norimbergæ anno 1532. Auctiùs dein eandem recudendam suscepit Simon Schardius Basileæ an. 1566, unà cum Epistola sua dedicatoria, in qua ait: *cùm hanc Historiam, quæ ante annos triginta quatuor* (Norimbergæ) *vix dimidia sui parte in lucem exiêrat, integram ab amico quodam nactus essem, operæ pretium me facturum existimavi, si eam ob rerum utilitatem recudi curarem, cum adjectione eorum, quæ antea in ejus Editione prætermissa fuêre.* Amicum non nominat Schardius, nisi forsitan suus sibi amicus ipse Schardius fuerit. Schardianam denique Editionem prelo altero instauravit Lazarus Zetznerus Argentorati anno 1609. 2. *Liber de Regionibus Orbis, & qualitatibus habitantium in eisdem*: cujus meminit Nemus Unionis Tractatu VI cap. XXXV sub finem, in hæc verba: *Hæc pauca sufficiunt de qualitatibus Cleri partium prædictarum, prout hæc omnia & infinita alia in libro de Regionibus Orbis, & qualitatibus habitantium in eisdem, quem nuper edidi, latiùs sunt descripta.* Hic tamen liber prætensus nullibi, quod sciam, lucem hactenus vidit: imò ne quidem nomine tenus à quibusdam Scriptoribus inter Niemi Opera collocatum comperi. 3. Exhortatio ad Rupertum Rom. Regem pro extirpando Schismate & Juribus Imperii reformandis: quæ quidem in ipso Unionis Nemore jam continetur Tractatu VI cap. XXXII p. m. 469, inde verò excerptam peculiariùs recensuit Goldastus Tomo II Monarchiæ S. R. I. p. 1381. ut ut paucis admodum paginis constet, & ne quidem minutioris Opusculi

aut libelli nomen promereatur. 4tò Vitæ Pontificum à Nicolao IV usque ad Urbanum V: quas dein Anonymus quispiam continuârit usque ad an. 1418. Extant apud Eckhartum in Corpore Hiſtorico medii ævi Tomo I. 5. Vita Joannis XXIII, quam Tomo I. Script. Germ. inſeruit Henricus Meibomius.

Varia verò eſt de Niemi fide atque ſinceritate Criticorum opinio. *Odoricus Raynaldus* T. XVII Annal. Baron. abſque falſitatis nota metúve multoties Niemi aſſerta exſcribere, & tam ex Hiſtoria Schiſmatis & Nemore Unionis, quàm ex vita Joannis XXIII hiſtoriæ ſuæ documenta depromere non dubitavit: imò ad an. 1416 num. 34. hanc Joannis XXIII vitam, ſeu *potiùs ſui temporis hiſtoriam* à Niemo *accuratiſſimè ſcriptam* rotundè teſtatur, ſimúlque addit, quòd cùm in Conſtantienſis Concilii geſtis eandem ad an. 1416 abruptam, ſive non ultra menſem Majum provectam reliquerit, eodem circiter tempore videatur defunctus. *Spondanus* in Continuatione Annal. Baron. T. I. & II, etſi maledicum Niemi calamum aliquoties arguat, frequentiùs tamen & ipſe Niemi narrationes, ubi à convitiis abſtinent, ùt genuinas amplectitur, quia videlicet in non paucis cum aliorum quoque Scriptorum Synchronorum relatione conſentiunt, aut certè res ejusmodi tradunt, quarum notitia non niſi contemporaneum oculatúmve teſtem requirit. Aſt *Franciſcus Pagius* in Breviario Geſt. Pontific. T. IV. teſtimonia Niemi plerumque tacitus prætermittit, quin potiùs ait (Vid. p. 324. 366. 369. 378) quòd Niemus non tam res geſtas Joannis XXIII, quàm *veriùs opprobria ſpurciſſima* narret: quòd ſit omnium *ſui temporis Pontificum maledicus convitiator*: quòd multa de rapacitatibus Bonifacii IX effutiat, quæ nemo ſanus non videt ab ulceroſo ſtomacho egeri: quandoquidem Burdigalenſis Chronici Auctor, Romæ tunc temporis præſens, ſe à Viro, fide digniſſimo, qui Bonifacio IX moriturienti interfuit, audiviſſe teſtatur, quòd vix unus unicus auri florenus apud Eundem ſit poſt fata repertus. Quòd ſi tamen Bonifacii nævos traducere Niemus voluit, etiam illius virtutes non oportuit diſſimulari, atque inprimis pudicitiam, ſanè omnibus notam, utpote qui pudicè potiùs elegerat mori, quam præpoſtera quorundam conſilia ſequi, & per Veneris artes Libitinæ tela repellere: quemadmodum S. Antoninus contemporaneus Scriptor affirmat. Quid quòd & Alexandri V. piam liberalitatem, luculenter à coævis probatam, Niemus velut ignavam prodigalitatem inſimulet, imò etiam ſit ſcribere auſus, ab eodem Alexandro quatuor Ordinibus Mendicantibus Eccleſiarum Cathedralium decimas fuiſſe conceſſas, eoquòd docendis Populis illi ſeriò incumberent? unde factum, ut magnas ea res turbas

Pari-

Parisiis excitârit, & concessioni, per dolos fraudésque impetratæ, Schola Parisiensis se opposuerit. Ast fabulam istam integra contra Niemum Auctorum acie profligat Wadingus T. V. Annal. Min. Neque aliter, atque Pagius, de Niemo censuit *Graveſonius* T. VI. Hist. Eccl. Colloq. II. p. m. 41. Colloq. V. p. m. 150. Et jam ante hos *Gretserus* l. 2. contra Replicatorem Goldastum c. 15. n. 4. ita respondit: *Niemus oculos habebat, ut nostro tempore Illyricus, Tu* (scilicet Goldastus) *& vestri similes: quibus videbat ea, quæ vel verè, vel in speciem erant contra Pontifices Romanos; quæ verò pro illis faciebant, ea neutiquam videbant, quin ad ista pervidenda talpis cæciores erant. Talibus oculis præditum fuisse Niemum, omnes ejus libri loquuntur.* Ita hi Auctores, & verissimè quidem, si ipsa Opera, seu calami audaciam spectes; ast num ipse Niemus prætextorum Operum genuinus sit Auctor, nemo eorum hactenus ex instituto disceptavit, contenti videlicet, quòd solus Operum titulus Theodoricum Niemum pălàm in fronte præferret aut mentiretur. Operam itaque haud me penitus perditurum confido, si in unius veritatis atque eruditi lectoris gratiam vulgò receptas de Niemo & Niemi Operibus opiniones aliquantò magis excutiam, & peculiari disquisitioni spatium intercalare permittam.

DISQUISITIO CRITICA,

De Niemo & Niemi Scriptis.

§. I.

Quis fuerit Niemus?

1. SI ex fœtu parentem, ex Scriptione Scriptorem cognoscere fas sit, suo se opere, suo se indice prodidisse videtur Niemus. Nam in fine libri tertii de Schismate p. m. 246. editionis Argentoratensis ita legitur: *Et sic sit finis hujus Operis completi Bononiæ per me Theodoricum de Niem, Anno Domini MCCCCX in festo S. Urbani*: In Nemore verò Unionis caput XXXIX Tractatu VI. ita concluditur: *Et sic est finis hujus Operis recollecti & completi per me Theodoricum de Niem, literarum Apostolicarum Abbreviatorem, in Luca, Anno Domini MCCCCVIII die penultima mensis Julii.* Et Capite XLV, seu ad totius Operis & Libri IV calcem p. 534 hæc subjiciuntur: *Hoc opus novum recollectum & completum est per me Theodoricum de Niem, Clericum Lucensis Diœceseos, Anno Domini MCCCCVIII die vigesimo quinto mensis Julii* &c. Quare si Niemus Historiæ de Schismate & Nemoris Unionis (de his enim mihi potissimus

mus sermo hìc est) verus sit Auctor, hujus utique proprio testimonio standum, eundémque *Clericum* fuisse *Lucensem*, & *Literarum Apostolicarum Abbreviatorem*, jure inde colligitur. Imò quòd hoc Abbreviatoris officiô ille saltem Auctor sit functus, qui primum Historiæ librum de Schismate scripsit, ex ipsomet capite XLIII libri primi non obscurè deducitur; ibi enim ita disserit Auctor: *Neapolitanorum aliqui .... ad eundem Papam* (Urbanum VI) *clàm diversis confictis coloribus accesserunt, & quia erant avidi ad obtinendum pro se suisque amicis.... quendam rotulum, in quo erant multæ atque mirabiles conscriptæ petitiones, Papæ ad signandum porrexerunt, quem mihi ulteriùs idem Urbanus tradidit ad examinandum: in quo reperi plures supplicationes, in quibus petebatur, quòd ipse Dominus Papa tali vel tali de Cardinalatu provideret, & supplicabant rectè per modum obtinendi hujusmodi Cardinalatûs honorem, prout ad obtinendam aliquam exspectativam gratiam à Papa ad aliquod beneficium Ecclesiasticum vacaturum quis supplicare consuevit, & alia multa exorbitantia in eadem rotula postulabant. Ego autem hujusmodi perlegens, de illis petitionibus plurimùm admirabar, & ante quamlibet earundem petitionum in spacio aliquod signum feci ad denotandum per hæc ignominiam petentium, & Papam reddendo cautum, quòd eorum temeritatem saltem sub silentio argueret.*

§. II.

An Theodoricus Niemus fuerit Episcopus Verdensis aut Cameracensis?

2. Fuêre quidem nonnulli, qui (ut Historiæ de Schismate, è tenebris recenter protractæ, fidem aliquantò altiùs extollere, aut penitus indubitatam reddere possent) ex ipsamet Scriptoris Dignitate novello partui ornamentum quoddam & pondus adjicere, atque Niemum etiam Episcopum Verdensem ac Cameracensem venditare præsumerent, ùt Editores Basileenses & Argentoratensis, Meibomius T. I. Script. Germ. Iselinus in Lexico Basil. Menkenius in Lexico Eruditorum; neque ab his penitus dissentit Hermannus de Hardt T. I. Concil. Constant. P. VI. p. 484 in vita Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis &c. Ast quàm falsò hæc Episcopalis dignitas Niemo fuerit afficta, sequentia docent. *Primò* enim ex Monchiaceno Demochares in Propugnatione Religionis Christianæ, duobus abhinc Seculis edito, & ex Verdensium ac Cameracensium Præsulum Catalogis, qui ibidem Tomo II leguntur inserti, apertè discimus. quòd neutram Ecclesiam ullus unquam Theodoricus Niemus rexerit. *Secundò*: ex ipsis Constantiensis Concilii Actis apud Harduinum Tomo VIII Concil. Sess. III. 26. Martii & Sess. XIX 23. Sept. Anni 1415. Sess. XX.

XX. 30 Januar. Anni 1416 constat, quòd Cameracensi Ecclesiæ præfuerit *Petrus* Tit. S. Chrysogoni, Presbyter Cardinalis: Sessione verò VIII 5. Maji & Sess. XVII 15 Julii Anni 1415 *Ulrici* Verdensis Episcopi nomen occurrit. *Tertiò*: ipse Historiæ Schismatis Auctor lib. 3. c. 39 ad an. 1409 ter meminit *electi Verdensis Episcopi*, qui inter Ruperti Rom. Regis Oratores ad Gregorium XII legationem in Italiam susceperit, atque ab eodem Gregorio Cardinalis fuerit nominatus. *Quartò*: Neque tamen ipse Niemus per totius Historiæ suæ decursum ullibi sive Verdensem sive Cameracensem *Episcopum* se vocat, aut illâ se legatione defunctum vel verbô commemorat: solo *Clerici* aut *Abbreviatoris* nomenclatione contentus, ùt suprà intelleximus. Nec denique ullum Theodoricum Niemum sive sub Verdensis sive sub Cameracensis Episcopi, sive sub alio seu proprio & gentilitio nomine, Constantiensi Concilio interfuisse (id quod tamen nonnulli gratis conjectârunt) ex Actis deprehendere licet; quamvis enim Sessione VIII apud Harduinum Tomo VIII p. 304. Sess. XIII p. 383. Sess. XV. pag. 422 & Sess. IX p. 312 duorum Theodoricorum fiat mentio, à Niemo tamen multùm hi discrepant; nam prior, qui etiam in Sessione XV, Concilii nomine inter Commissarios ad Hussum fuerat delegatus, dicitur *Theodoricus de Monasterio*, *in Theologia*, & *SS. Theologiæ Professor*: alter, de quo Sessio IX, *Theodoricus de Horsten*, *litterarum Apostolicarum Scriptor*: uterque quidem Germanus, sed à Niemo utique diversus.

3. Neque hìc quisquam objiciat Kranzium, qui in Metropoli Saxoniæ pro Niemi Episcopatu stare videtur. Nam l. 10. c. 41 ait, quòd ad an. 1395 viduatæ Ecclesiæ *Verdensi* Bonifacius IX providerit de *Magistro quodam Theodorico de Nym*, cúmque hic quadam sævitiæ specie subditos vehementer offenderet, horum denique precibus cesserit Pontifex, & in Theodorici locum suffecerit Conradum de Vechta. Libro verò XI cap. III. affirmat Kranzius, quòd idem Theodoricus circa annum 1400 aut non multò pòst (prout ex ipso Libri X & XI contextu colligitur) ad *Ecclesiam Cameracensem* fuerit translatus. Aſt Kranzii asserto manifestè repugnat Christianus Massæus, ipsemet Cameracensis, & Kranzio contemporaneus, utpote qui anno 1546 septuaginta septem annorum senecio Cameraci decessit. Hìc igitur, qui viginti libros Chronicorum inter continuos quinquaginta annorum labores conscripserat, libro XIII (unde sua Democharius l. c. desumpsit) affirmatè testatur, *Petrum de Alliaco*, postmodum Cardinalem, jam anno 1396. ad *Cameracensis* Ecclesiæ regimen fuisse admotum; quo in munere usque ad obitum suum sive usque ad annum 1425 perstitit, prout nec ipse Hermannus de Hardt l. c. p. 480 & 482 diffitetur. Et

certò

certè ipſa Conſtantienſis Concilii Acta Petrum de Alliaco usque ad illius exitum ſive ad an. 1418 ibidem interfuiſſe convincunt. Sed neque in *Verdenſium* Epiſcoporum Catalogo Theodoricum repoſuit Gualterus Belga Tomo II Chronici Chronicorum, etſi ſub Catalogi hujus initium ex ipſomet nominatim *Kranzio* ſua ſe mutuatum præmoneat. Quare vel alium MS. Kranzii Codicem, magisque ſincerum penes ſe habuit Gualterus, ideóque quidquid in Francofordienſi Editione anni 1576 & 90 de Theodorico Nym legitur, ex deterioris notæ Codice (in ipſius fortè Hiſtoriæ Schiſmatis gratiam jam interpolato) perperam fuit exſcriptum; vel certè Kranzius luculenter erravit, cùm præ Scriptore hoc extero potior omnino fides habenda ſit Maſſæo Cameracenſi, Scriptori domeſtico, qui præter Eccleſiæ ſuæ tabulas Viros etiam grandævos, ipſimet Petro de Alliaco ſynchronos, adhuc videre potuit: quandoquidem Petrus vitam finiît an. 1425, eandem verò Maſſæus auſpicatus jam eſt anno 1470

4. Demus tamen interim iſtud Kranzii (ſi interpolatus non ſit) teſtimonio, quòd Theodoricus de Nym reipſa aliquando inter vivos extiterit; fingamus præterea, quòd Epiſcopus Verdenſis an. 1395, Cameracenſis circa annum 1400 ille fuerit renunciatus: quomodo hic ipſe Theodoricus ſive Hiſtoriæ de Schiſmate, ſive Nemoris Auctor vel per ſomnium poterit dici, ſiquidem Auctor tum in præfatione Hiſtoriæ, tum in Nemore Unionis Tractatu VI cap. 39 ad an. 1408 jam per *ſeptem* omnino *luſtra* (imò multò adhuc diutiùs, cùm libro I. Hiſt. cap. I. jam ante Urbani VI Pontificatum ſive ante annum 1378 per *multos annos* eidem familiariter ſe convixiſſe teſtetur) *Romanam Curiam ſeſe ſecutum*, ac proinde in Italia continuò hæſiſſe, & partim Lucæ anno 1408, partim Bononiæ anno 1410 opus ſuum à ſe fuiſſe completum affirmat? an enim ſimul in Italia perpetuò degere Auctor, & Verdenſem aut Cameracenſem Eccleſiam in remotiſſima Germania Belgióve potuit gubernare, & eo ipſo quidem tempore, quo Hiſtoriam ſuam nunc Lucæ nunc Bononiæ lucubrâſſe prætexitur, quin ipſe ullibi ſe Epiſcopum vocet? Itaque vel Theodoricus memoratæ Hiſtoriæ Auctor non erit, vel certè fabuloſus erit ejusdem in Germania Epiſcopatus. Imò hæc ambo, ſive ipſam quoque Hiſtoriam non minùs, quàm Epiſcopatum, Niemo gratis omnino attribui, non leves, quas ſubjicimus, conjecturæ perſuadent.

* * * * * *
* * * * *
* * *
*

§. III.

§. III.

An Historiæ de Schismate Auctor sit Italus, an verò Germanus, sive Niemus?

5. Quòd si enim publica Historiarum monumenta excusseris, nullus alius, opinor, ex omni Historia Theodoricus de Niem ad ea tempora extundi poterit, nisi is ipse, cujus suprà ex Kranzio jam meminimus. Hunc verò fuisse Germanum, & in Germaniæ Clero altum, educatúmque quivis facilè judicabit, quisquis eundem nunc Verdensi, nunc Cameracensi Ecclesiæ fuisse destinatum, ex Kranzio intellexerit; neque enim ea ætate Germaniæ aut Saxoniæ cathedris Præsules dabantur Itali, sed conterranei atque Germani. Ast controversi Operis Authorem non Germanum, sed Italum esse, quis addubitet? Nam *primò* (nisi prorsus supposititia sit, atque ab Editore duntaxat consarcinata tum Authoris ad Historiam præfatio, tum ejusdem repetita subscriptio) ipse *Clericum Luccensem* sive Luccensis in Italia Ecclesiæ ministrum se scribit. *Secundò*: si universos, quos in Italia Auctor exegerat, annos juxta num. præced. rite computaveris, quinquaginta circiter annorum curricula inter Italos ille complevit; nam ultra triginta quinque annos jam ab Urbani VI Pontificatu se in Romana Curia feciſſe stipendia, & *multos* præterea *annos*, cùm Atheruntinum atque Barensem in Apulia Archiepiscopum adhuc ageret Bartholomæus Barensis (postea Urbanus VI) à domesticis Eidem obsequiis se fuisse pronunciat. Multò itaque verosimilius erit, quòd quemadmodum Præsules, quibus deservit Auctor, fuêre Itali, ita ipse quoque inter Italos patrium habuerit solum, nec alibi, quàm in Italia adoleverit, dum tandem Bartholomæi Barensis vel cubicularius vel clericus certè domesticus evaderet, indéque ad Romanæ etiam Curiæ negotia fuisset adhibitus. *Tertiò*: ea per historiam suam commemorat Auctor, quæ nemo nisi oculatus in Italia testis tam exactè nôsse & literis mandare potuit: ùt quivis haud obscurè perspiciet, qui totum Opus pensiculatiùs volverit atque revolverit: & ipse Operis Auctor variis in locis ac præcipuè libro I. in Urbani VI Historia de se testatissimum facit: v. g. Capitibus I. II. XII. XIV. XXIX. XXX. XXXVI. XXXVII. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. LIII. & Lib. II. C. XXXIX.

6. Schardius quidem ex cit. cap. XXX libri I. Scholion quoddam eruit, quòd Historiæ *Auctor* fuerit *Germanus*. Ibi enim Historiographus narrat, quòd cùm Neapolim ipse veniſſet cum sociis, & de proximo Pontificis Urbani adventu ab hospite suo fuissent interrogati, hic ipse prohibuerit, ne quis eorum egrederetur hospitio, néve *Teutonicè* loqueretur. Ast vehementer vereor, ne ipse potiùs Editor

hanc Teutonici idiomatis prohibitionem in textum intruſerit, ut eò certius Auctorem Germanum, ſive Theodoricum Niemum Lectori obtrudere poſſet. Nam ſi totum illud Caput ſus déque verteris, nulla hujus monitionis cauſa ſatis probabilis extat. Sed neque opus hoc monito fuit, cùm Auctor hiſtoriæ inter Urbani domeſticos per multos annos jam egerit, & linguam Italicam ſibi vernaculam habuerit atque familiarem. Neque exprimit Auctor, num ad ſe potiùs, quàm ad Socios illa prohibitio pertinuerit, inter quos utique etiam poterant eſſe Germani. Denique ex ea Auctoris narratiuncula (ſi quidem genuina ſit) amplius nihil evincitur, quàm quòd Auctor vel Auctoris Comites non modò fuerint linguæ Italicæ ſed & germanicæ gnari; nam ſi ſolum idioma germanicum atque latinum Auctor habuiſſet compertum, eum ab Urbano jam multis ante Pontificatum annis ad negotiorum, utique etiam Italicorum, curam atque conſortium fuiſſe admiſſum, nemo ſibi temerè perſuadebit. Germanici autem Sermonis uſum atque notitiam, à Friderici II & Caroli IV temporibus, necdum inter Italos penitus exoleviſſe, ii haud ægrè admittent, qui tum Germanorum expeditiones Italicas atque Romanas, ea etiamnum ætate receptiſſimas, tum multò adhuc ampliora Imperii per Italiam jura ac Præfecturas ex ejus temporis hiſtoria nôrunt. Imò ex ipſamet, de qua agimus, Hiſtoria liquet, fuiſſe ſub ea tempora Alemannos Nobiles, qui etiam caſtra propria & latifundia inter Italos poſſiderent; ait enim hiſtoriographus l. 1. c. 27: *Tunc temporis fuerunt in eadem Provincia Patrimonii Sancti Petri in Tuſcia duo valentes Capitanei Alemanni, ſcilicet Petrus de Corona, & Wilhelmus de Villenbach milites ſtrénui & rei militaris experti, habentes etiam propria caſtra & terras, quas ibidem acquiſiverunt manu forti.* Et quis inficias ibit, quòd eadem tempeſtate Otho Dux Brunsvicenſis, & (ut ex cit. lib. 1. cap. XXV diſcimus) Joannæ Reginæ Neapolitanæ maritus non modicam Germanorum frequentiam ſecum pariter Neapolim in Italiam traxerit? Ex hoc ipſo igitur Italorum Germanorúmque conſortio haud dubiè factum, ut quemadmodum Germani Italam, ita etiam Itali linguam Germanicam ſibi perſpectam fecerint atque familiarem. Unde licèt Hiſtoriæ Auctor germanicum quoque Idioma calluerit, ex hac ſola tamen linguæ notitia uſúve Auctor potiùs Germanus, quàm Italus neutiquam poteſt deduci; nam veroſimiliùs Italum eundem fuiſſe, ex allatis antè rationibus conjicere licet.

7. Jam verò quibus ex argumentis, quibusnam ex Hiſtoriæ monumentis authenticis liquidum poterit reddi, quòd Theodoricus Niemus, de quo Kranzius, aut in Italia vixerit & ſcripſerit unquam, aut com-

complurìbus annis Urbano VI tam ante quàm poſt Pontificatum à literis atque obſequiis fuerit, quantumvis ipſe Germanus? quis in Italia atque Germania ante annum 1532 aut ante Schardii tempora integram illam de Schiſmate Hiſtoriam & Unionis Nemus, à Schardio primùm protractum, ſub Theodorici Niemi nomine unquam allegavit aut publicavit? num in unius fortè Teutonici & heterodoxi hominis Schardii manus Opus iſtud pervenit, & per eundem ab interitu eſt vindicatum, etſi Auctor, præcipuè libri I. Hiſtoriæ, inter Italos reipſa vixerit & ſcripſerit? Credat, qui volet, aut qui Schardii veteratoris artes non novit.

§. IV.

An Hiſtoriæ de Schiſmate & Nemoris Unionis unus idémque ſit Auctor?

8. PRofectò longè propius vero eſt, quòd ne quidem unus idémque Scriptor (nedum Niemus) dictæ lucubrationis ſit Auctor, ſed totum hoc Opus aliud non ſit, quàm mixtum imperfectum, & farrago quodlibetica, collectore Schardio digniſſima, in qua aliquid auri, plus ſcoriæ: nunc Scriptor Italus, nunc Germanus: hìc Auctor Schiſmatis purus, illic Schiſmaticus, aut heterodoxus recentior: multa itidem diſparata, minúsque inter ſe cohærentia: alia contradictoria aut fabuloſa: rurſus alia intruſa, & interpolata: complura denique maledica & in Lutherici Spiritûs furno excocta plusquam Lernæam & ſepticipitem cervicem attollunt. Quæ ſanè omnia ſi quis ſub unum, quod ajunt, cogere pileum, & diſtortiſſima inter ſe rerum ac Capitum fragmenta & argumenta non niſi plaſti unico ſive Auctori tribuere auſit, perinde me hercle faciet, atque,

> Humano capiti cervicem pictor equinam
> Jungere ſi velit, & varias inducere plumas,
> Undique collatis membris, ut turpiter atrum
> Deſinat in piſcem mulier formoſa ſupernè.
>
> *Horat. l. 1. de Arte Poët.*

9. Eamus aliquantiſper per ſingula, & malè fibulatæ Hiſtoriæ fraudes diffibulemus. Ac *primò* quidem conferatur ipſum Hiſtoriæ caput, ſive ſic dicta Theodorici Niemi *Præfatio* cum membris reliquis, ſive cum toto libro Tertio Hiſtoriæ & libri II. Capite XLII; profitetur de ſe Auctor in præfatione, quòd *in Romana Curia per triginta annos vel circà*

ad præſens, in OBEDIENTIA QUONDAM URBANI PAPÆ SEXTI, SUORUMQUE SUCCESSORUM *remanſerit.* Inter Succeſſores autem Urbani VI. fuêre Bonifacius IX, Innoc. VII. *Gregorius XII.* Alexander V. &c. Et tamen toto libro III. Hiſt. & cap. XLII libri II apertè ſtat contra Gregorium XII, eúmque locis cit. non niſi *Errorum* vocat, Petrum verò de Luna, Gregorii XII æmulum & Anti-Papam lib. III. c. 39, cur ad Piſanum Concilium non acceſſerit, ſtudiosè excuſat. En *contradictio* Auctoris! unde vel commentitia eſt Auctoris præfatio, vel non unum duntaxat, ſed plures, eósque diverſos Auctores, hìc Schiſmaticum, ibi Schiſmatis purum, Hiſtoria habet.

10. Quàm malè porro inter ſe rerum narrationes cohæreant, & cum Hiſtoria Schiſmatis conjungantur, liber I. atque II. abundè oſtendit. Sic Lib. I. caput XXXIX agit de Trophæo ab Henrico S. in Sicilia erecto: de Victoria ejusdem contra Græcos in Sicilia: de veris Siciliæ hæredibus. Caput XL. de Amœnitate Regionis ac Saltûs Lucerianì & Salernitani. Caput XLVI de Olei ex petris diſtillantis cauſa: de Æthna atque Veſuvio montibus. Lib. II. c. XX. de Balnei Puteolani virtutibus atque effectibus, & de monte, quem vulgus Veneris dicit: item de cujusdam balnei ſicci natura. C. XXI. de Ruinis atque veſtigiis veterum ædificiorum circa Neapolim, & de monumentis Virgilii ibidem. C. XXII. de Trium millium hominum receptaculis ſubterraneis montis circa Neapolim, & quibusdam aliis vetuſtatem teſtantibus, lectu jucundiſſimis ex Franciſco Petrarcha; item quæ de Virgilii magia atque monumentis vulgò dicuntur, an vera vel fabuloſa ſint, judicium ejusdem Petrarchæ: Item urbs Neapolitana commendatur. Caput XXV. Quanto Pretio Galeatius à Venceslao Rege Ducis Mediolanenſis nomen emerit: de laude Othonis I. Item quo pacto Carolus IV. Rom. Rex Imperii jura diſſipaverit, ejúsque diſſipationis per Autho rem deploratione. Caput XXVI. de quibusdam Scotis Pſeudo-Prophetis vulgi ſeductoribus, quo pacto toti ferè Italiæ illuſerint. Atque ut plura alia taceam, Lib. II Caput XXIX & XXX item Lib. III. Cap. XLII de Tamerlane, ejusdem victoriis & Tartarorum Imperio ampliſſimè tractat. En *extravagantia*, neque ad Schiſmatis Hiſtoriam ullatenus pertinentia! quæ ſcilicet non niſi ex variis quà Italorum, quà Germanorum (eorum fortè, qui inter Othonis Brunsvicenſis ſigna in Italia antehac militârunt & poſtmodum in Germaniam redîêre) Schediaſmatis in proprios uſus conſcriptis & poſt fata relictis Pſeudo-Niemi Editor unde unde collegit, atque in deſtinatam Schiſmatis Hiſtoriam malâ fide intruſit, ut digreſſionibus hisce lectorem deciperet, & immixto hoc veluti melle alias Hiſtoriæ fabulas atque venenum tutiùs propinaret.

11.

11. Quis enim non ad *fabulas* & *sycophantias*, fabulatore non tam Schismatico quàm Protestantico dignas, illico ableget Epistolam illam, quam L. IV. Hist. sive in Nemore Unionis Tract. VI. Cap. XLI. p. m. 523 Schardius refert? Capitis hujus inscriptio ita habet: *Epistola delusoria Officialium Romanæ Curiæ, Pontificum Coquinæ, & Curtisanorum de stabulis, ac omnium Principum pedestris Ordinis actu in Pisis morantium, ad Dominum Gregorium Papam, & ejus novos Cardinales.* Tenor autem Epistolæ prolixissimæ & ad Protestanticæ dicacitatis genium accomodatissimæ (unde pauca duntaxat excerpimus) ita habet: *Nos DEI gratiâ Officiales Romanæ Curiæ, Pontifices Coquinæ, Curtisani de stabulis, omnésque Principes pedestris Ordinis, judices à JESU Nazareno, Rege Judæorum, ad Universitatem earum fidei, nec non causæ infrà scriptæ specialiter deputati, Angelo Corario Spiritum consilii sanioris, & citò meritum consequi de patratis. Nuper ad audientiam nostram, quod dolenter illubentérque referimus, fama veridica & clamorosa id ad nos deferente, pervenit, quòd furia tua, quæ usque ad altissimas nubes cœli ascendit, prava multa & detestanda in subversionem Christianæ religionis perficienda concepit, & quòd tu sub nomine JESU Christi, in operibus verò Belial, nova retia tendis, quibus credulam turbam fidelium involvere, & involutam concludere machinaris.... In pluribus námque tuam perfidiam accusans (mundus) multa adversus illam dicit testimonia. Inprimis impetit de perjurio, de hæresi, de petulantia, & multorum aliorum criminum enormitatibus te fore testatur irretitum. Asserit enim te Virum Sanguinum, honoris proprii prodigum, carnalibus affectionibus mancipatum, & tam spiritualium, quàm temporalium rerum, quantum ad rempublicam pertinet, generalem subversorem. Non ambulas ante Dominum, sed factus es præcursor damnandi Antichristi* &c. Ast calamum hìc sisto; satis enim, opinor, quivis lector orthodoxus (qui vel pauxillùm forum Criticum triverit, & ejus temporis mores atque Historiam ex coætaneis de Gregorio XII Scriptoribus evolverit) totam isthanc Epistolam non nisi *fabulam* esse impudentissimam mendacissimámque perspiciet, neque ex illius ævi Catholici Scriptore, sed ex cerebro recentioris Furiæ & Curtisani de Stabulis Protestanticis, ab Acherontis Rege & mendaciorum Patre specialiter deputati, progenitam.

12. Quid jam complura alia commemorem, quæ uberrimè per heterodoxæ manûs proterviam in Pseudo-Niemi Opus, præcipuè adversus Pontifices, multò posteriùs intrusa fuisse nemo non videt, nisi qui vel summâ rerum ignorantiâ ac cœcitate, vel paris maledicentiæ labe jam antè laboret? Quæpiam ex iis hoc loco attingam; nam singulorum exacta recensio peculiare omnino opusculum sibi deposceret. Libro I. Hist. cap. 56. describitur *crudele atque efferatissimum non Pon-*

ficis (Urbani VI) *ſed tyranni facinus*: in fine capitis, veluti ex perſona Auctoris, ſubditur: *ſed ſi Papa poteſt mandare aut facere aliquem interfici abſque irregularitatis nota, non recolo me legiſſe.* Libro II. cap. VII. VIII. IX. X. XI. XII. agitur de *Pontificis Simonia deteſtanda*: *de Annatis & primitiis*: *de Temporis Gratiarum prioritate paſſim vendita*: *de improba Bonifacii IX mercatura ſacra*: *de Sacerdotiorum nundinationibus*: *de regulis Cancellariæ*: *de technis Romanenſium*: *de diſpenſationibus, aliisque malis Curialium artibus*: *de ſordidiſſimo quæſtu in ſignandis ſupplicationibus à Bonifacio IX adhibito*: *de novo Bonifacii IX commento ad emulgendas pecunias à ſuis Creaturis, illisque pro commodo aut extollendis aut ſpoliandis.* Ita verò hæc ſingula perſtringuntur, ut (licèt abuſus quippiam ſub id temporis irrepſerint) contra reliquorum tamen Synchronorum teſtium fidem atque doctrinam enormiter exaggerata, à Scriptore domeſtico & tam Urbani VI quàm Bonifacii IX aſſecla individuo longè alieniſſima, proindéque ab heterodoxo Pontificum hoſte, ac interpolatore recentiore, magnam partem aſſuta fuiſſe, jure credantur. Eandem interpolationem maledicam, ab Acatholico Teutone liberaliter inſperſam, loquitur Libri III. Caput VI. *de nequiſſima atque doloſa machinatione ſimulationéque Gregorii*: Cap. VII. *de Poteſtate Pontificis atque Imperatoris, & an Imperator in temporalibus ſubſit Pontifici*: Caput IX. *An Papa delinquens debeat & poſſit ab Imperatore corripi*: & *de Geſtis circa eam rem atque laude Othonis Primi, Romanorum Imperatoris*: Caput X. *An expediat Reipublicæ Chriſtianæ Pontificem Romanum rerum temporalium dominiis auctum fuiſſe, & adhuc ipſa mordicus tenere?* Caput XI. *Quòd ad Imperatorem maximè pertineat Schiſmata tollere*: *Author in Pontifices criminoſos invehitur*: *Et, an juxta Canonum Decreta tales Pontifices à nemine poſſint aut debeant judicari.* In Nemore Unionis Tractatu IV Caput II. ita Proteſtanticè clauditur: *Poteſt admodum Eccleſia cantare*: *Regem non habemus, neque Cæſarem, ſed Pontificem impotentem, & per conſequens, ſit liber aditus Anti-Chriſto, DEI judicio, ut forſan exigentibus peccatis Catholicum gregem devoret cum Paſtore* &c. Tractatu VI. cap. 31. & 33. refertur *compendioſa* (ſimul tamen diffuſa & Pontificibus non minùs quàm Imperatoribus Orthodoxis ſummè injuria) *deſcriptio utriusque politiæ in Capitibus Eccleſiæ & Imperii temporibus iſtis.* Demum Capite XXXIX Tract. VI. intruditur *compendioſa*, aſt ſimiliter peſtilentiſſima, *quinque Pontificum* (Gregorii XI. Urbani VI. Bonifacii IX. Innoc. VII. Gregorii XII) *deſcriptio*; & de Urbano quidem hæc infarta leguntur: *ipſo Urbano nullus in Papatu repertus eſt hactenus truculentior, & ſavior, ita etiam ut multos Epiſcopos & alios Cardinales faceret immaniſſimè trucidari, ſecum ſuper hoc, ut æſtimo,* DIABOLO DISPENSANTE.

Ita

Ita nimirum perſonatus tenebrio, & heterodoxus deceptor, contra omnem veri ſpeciem & temporum fidem, etiam Auctoris Synchroni & tam Urbano VI quàm Succeſſoribus familiariſſimi perſonam audacter aſſumit, & nihilominus *Anti-Chriſtos* aut *Diabolos* inſigniter crepat!

13. Denique ſi totum *Unionis Nemus* (quod ad Hiſtoriam Schiſmatis ſub Libri IV. nomine Schardius evulgavit) & ſingulos Nemoris receſſus rite perveſtigaveris, quid aliud ibidem reperies, quàm purum putum coagulum, partim ex Actis, Scriptis & Inſtrumentis publicis (ſive authenticis, ſive etiam ſpuriis atque furtivis) partim ex privatis Doctorum ſuper Schiſmate lucubratiunculis, aut contumelioſis Criminatorum laciniis, ſine ordine atque ſelectu nec ſine plurimis interpolationum & additiuncularum longè poſteriorum indiciis temerè conflatum? quale profectò collectaneum chaos & informem rapſodiam etiam Anonymus quivis Acatholicus, Niemo Catholico multò recentior, potuit coagmentare, & veroſimilius coagmentavit. Neque enim credendum, quòd Scriptor Catholicus, & legitimorum, etiam in Schiſmate, Pontificum cultor & aſſecla, omnigeno Scriptionum furfure & partim maledicis partim ſuppoſititiis chartis hiſtoriam ſuam adeò onerare & contemerare non ſine ſuo dedecore & legentium indignatione ſit auſus. Inter fanatica certè nugamenta atque convitia collocari meretur 1mò Epiſtola XXIX Tractatûs VI, quæ inſcribitur *Epiſtola Satanæ Joanni Dominici, fratri Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Profeſſori, nunc titulo S. Sixti Preſbytero Cardinali directa*, atque ita inquit: *Satanas Regnorum Acherontis Imperator, tenebrarum Rex, profundi Tartari Dominus & Dux, ſuperbiæ Princeps, & omnium damnatorum trucidator, fideliſſimo dilecto noſtro Joanni Dominici Ordinis Prædicatorum, perditionis alumno, noſtrorum Operum cultori, electo Raguſinenſi, ſalutem & ſuperbiam ſempiternam. Veriſſimis relatibus noſtrorum Dæmonum audivimus, quòd tu tuis malis operibus, tuis nefandiſſimis mendaciis ac iniquiſſimis prædicationibus conaris diſſenſionem noſtrúmque abominabile Schiſma in Eccleſia adverſarii noſtri JESU Chriſti ſagaciter manutenere &c.* Quo ſanè locutionis genere quid in Sathanam ineptius poſſet confingi? 2dò *Reſponſoria Epiſtola dicti Joannis Dominici ad prædictam Diabolicam literam*, quæ mox ſubjungitur Cap. XXX. 3tiò *Exhortatio ad Rupertum Romanorum Regem, ut ſurgat à diuturno ſomno, & Jura Imperii reformet*: quam non niſi à crudiſſimo quodam & impudentiſſimo impoſtore Germano, ſive veteri ſive recentiore, conſarcinatam nemo non videt. Extat ea in Nemore Unionis Tract. VI. Cap. XXXII.

§. V.

§. V.

Verosimilior de Pseudo-Niemi Opere conjectura, & quid in ea Editione præstiterint heterodoxi ac præcipuè Schardius?

14. TOtam itaque stropham in supposititii hujus Operis Editione ita compilator aggressus videtur. Cùm Seculo XVI haud diu ex incunabulis prodiisset Islebicum & Calvinianum dogma, fabulis atque calumniis adversus Pontifices & Romanam Curiam nutriendus atque stabiliendus fuerat novitius infans. Placuit proin heterodoxis, ac præprimis Simoni Schardio, mercium hujusmodi spuriarum institori notissimo, partim ex genuinis quibusdam diversissimorum Scriptorum apographis, undique locorum conquisitis, partim ex insititiis pro more (tum ex sua, tum suorum commilitonum officina) fabulis atque interpolamentis unum unicum Volumen effingere, & sub unius ejusdémque Niemi, Auctoris in eum usque diem tam in Germania, quàm in Italia incogniti, nomine informem partum literato Orbi obtrudere. Fraudem verò ne Lector adverteret, *primò* quidem ipsimet Niemo tum *Præfatio* in Historiam, tum *inscriptiones* & *subscriptiones*, Niemi nomine signatæ, affinguntur. *Secundò*, Operis *totius* Auctor venditatur *literarum Apostolicarum Abbreviator*, ob solum caput XLIII. L. 1. de Schismate, cujus jam suprà n. 1. §. 1. mentionem fecimus. Atque ut eò promptiùs unus idémque tam Historiæ quàm Nemoris Scriptor, & quidem testis omni exceptione major posset existimari: hinc fingitur *Tertiò*, ipsum Niemum tum in Præfatione ad Historiam, tum in Nemore Unionis Tract. VI. Cap. XXXIX de se testari, quòd per septem & ampliùs lustra Romanam Curiam, & quidem in eorummet, quorum gesta describit aut veriùs dilacerat, Pontificum obedientia sit secutus. *Quartò*: dubitare lector ne posset, etiam *Nemus Unionis* communem cum Schismatis Historia habere Parentem, mox per ipsius Historiæ decursum Lib. II. c. 42. lectoris credulitas jam præparatur, & furtiva hæc verba, veluti ex Auctoris mente prolata, interseruntur: *in alio libello*, *quem* NEMUS UNIONIS INTITULAVI, *ea omnia* (de colludentium scilicet Pontificum malitia) *latiùs sunt depicta*. Præterea quia probè præsenserat Editor, saltem quospiam ex Criticis Lectoribus fore, qui partim ob enormes in hoc Opere digressiones, & quamplurimas, quæ ab Operis scopo seu Schismate penitus abhorreant, narratiunculas: partim ob infames Pontificum & Romanæ Curiæ descriptiones, Opus ipsum tum suppositionis, tum interpolationum, jure arguere possint ac velint: idcirco *Quintò* Scriptorem Catholicum, tanquam testem oculatissimum atque

in

in prima perſona loquentem multoties inducit, in fictitia verò Pſeudo-Niemi præfatione utramque Lectoris objectionem hisce verbis aſtutiſſimis præoccupat compilator: *ſi forſan tibi diſplicentia in hoc labyrintho reperias, propterea non turberis, quia illi, qui conſcribunt hiſtorias, ne à veritate recedant, ſæpe recitant, quæ mallent potiùs obticere. Multas etiam digreſſiones feci deſcribendo hiſtorias, aliquando etiam ad alias materias procedendo. Solent enim aliquando talia legentes reficere, ſicuti aliquod ſapidum & extraneum menſæ appoſitum ferculum allicit convivantes: in quibus ſi prolixior fui, quàm debui, hoc imperitiæ meæ audacter adſcribas; nec propterea credas, quòd ea, quæ utcunque tenuiter ſcripſi, vera non ſint.* Tota demum Præfatio portentoſâ hac invocatione clauditur: *Aſſis igitur bonæ voluntati meæ, precor, bone JESU, ad cujus laudem & honorem præcipuè Opus iſtud aggredior, meum funda principium, perduc me ad optatum exitum, & clementer inſpira,* UT NIHIL LOQUAR FICTITIUM, SED TOTUM VERITATI SUBNIXUM, *qui es Dux, via, veritas, & benedictus in Secula Seculorum.* Verba ſanè affectatiſſima, neque fraudulenta magìs quàm impudentia, non Niemi cujusdam Catholici, ſed Editoris heterodoxi! ut nimirum ſub alterius Schemate promiſcua addere, interpolare, fingere, mentiri ac criminari tantò liberiùs poſſet.

15. Hanc enim conjecturam non parùm corroborat ipſa inprimis Schardii conteſtatio, quam in peculiari ſua ad alteram Hiſtoriæ hujus editionem præfatione ſive Epiſtola dedicatoria præmiſit. Ait enim, quòd cùm hæc Hiſtoria antehac *vix dimidia ſui parte in lucem exierit, integram* ipſe *recudi curârit cum adjectione eorum, quæ antea in ejus editione prætermiſſa fuêre*, unà cum Unionis Nemore, quod ex Schardii armamentario primò fuit productum. Dein quanta calumniandi, proin & fingendi mentiendíque libido Schardium infederit ac circumfederit, vel hæc ſola, cujus nunc meminimus, Præfatio monſtrat. Ita enim contra Pontifices & Hiſtoricos Pontificios ſputator efferus furit: *Cùm vera Chriſti religione obſcurata non ſolùm horribilis in Eccleſiam Idolomannia per Romanos Pontifices invecta, ſed & eorundem ambitione, perfidia, ac fraude, varia & plus quàm parricidalia bella in Republica & pernicioſiſſima in Eccleſia Schiſmata ſubinde excitata fuerint, illi* (Hiſtorici) *vel ſuperſtitioſa turpiſſimi idoli reverentia moti, vel ſervili adulatione adducti, vel metu ſæviſſimæ beſtiæ fracti, eam in templo DEI profanato ſedentem adorare, nefandas ejus turpitudines immenſis laudibus ornare, falſas ejus virtutes jactare, tyrannicam ejus poteſtatem in cœlum usque exaltare, & nihil non Divini ei attribuere, minimè erubuêre: adulatoribus, qui Siculi Tyranni Dionyſii ſputum linxiſſe referuntur, quàm veris hiſtoriarum Scriptoribus ſimiliores. Perſpicitur id, cùm ex omnium aliorum Pontificum, tum verò Gregorii VII, quem Hildebran-*

debrandum dixère, vitæ deſcriptione. Nam cùm graviſſimi Scriptores teſtentur, quòd publicæ Synodi decreto dignus ſit judicatus, qui tanquam Romanæ Sedis invaſor, non à DEO electus, ſed à ſe ipſo in fraude ac pecunia impudentiſſimè objectus, omnis veſaniæ peſtifer Princeps, Ordinis Eccleſiaſtici ſubverſor, Chriſtiani Imperii perturbator, vitæ Imperatoris Henrici inſidiator, diſcordiæ inter fratres pacificos ſeminator, quietis concuſſor, perjuriorum defenſor, Sacrilegiorum prædicator, Berengarii hæretici diſcipulus, & divinationum ac Somniorum cultor, à Sede Apoſtolica deturbaretur: quibus tamen laudibus, encomiis, ac titulis hic vineæ Dominicæ devaſtator à Pontificiis adulatoribus ornatur? Scribentibus, eum omnium bonorum conſenſu Pontificem electum ac Virum DEO gratum, prudentem, juſtum, clementem, pauperum, pupillorum & viduarum patronum, atque unicum Eccleſiæ Romanæ fortiſſimum & acerrimum Defenſorem. Ω κόλακας dignos, dignos, qui mitterentur εἰς κόραξας!

Et: *Quis adeò mentis erit, ut horrenda & inaudita Pontificum ſcelera in Hiſtoriis legens, non potiùs ipſos tanquam Anti-Chriſtos & Apoſtolorum doctrinæ infenſiſſimos hoſtes fugiendos, quàm pro Vicariis Chriſti & Succeſſoribus Petri habendos ſtatuat? .... Fieri vix poteſt, quin pii animi horrendis Pontificum flagitiis lectis, ab his tanquam teterrimis portentis, ac Orbis terrarum peſtibus abalienentur.* Rurſus: *DEUS bone! quas ille* (Pſeudo-Niemus, non ex Jovis, ſed Schardii cerebro progenitus) *technas, quas fraudes, quæ ſcelera, quæ flagitia Pontificum recenſet? quibus illi DEO illudunt, Eccleſiam vexant, reges terræ ludibrio habent, miſerúmque populum tyrannidi ſuæ ſubjiciunt.... Quantopere verò talia ſcire referat, Vos, Viri ampliſſimi, pro veſtra prudentia optimè noviſtis. Nam ut taceam, quod antea attigi, hæc mirificè prodeſſe ad hoc, ut horrendis Pontificum ſceleribus cognitis, impia atque Anti-Chriſtiana eorum dogmata relinquamus, eósque ut ſentinam omnis ſuperſtitionis ac impuritatis deteſtemur, etiam hoc tempore diſſidiis de religione eousque progreſſis, ut Synagoga Romana ceu exagitata quædam vipera omne virus nequitiæ, fraudis ac improbitatis effundat, quò hos, qui jugum tyrannidis ejus excuſſère, rurſus non tam gladio ſpirituali quàm corporali, in ſervitutem teterrimam redigere queat: viris in republica verſantibus, ac patriæ & Eccleſiæ Studioſis neceſſitas imponi videtur, ut ingenia, mores, artes, atque conſilia hoſtis omni fraudum genere inſtructiſſimi cognoſcant.* Denique ut & ipſe Schardius Pſeudo-Niemi veſtigia pro viribus legeret, ſuam pariter præfationem inter pientiſſima (ſi Superis placet) ad JESUM ſuſpiria claudit: *CHRISTUS JESUS*, inquit, *æterni Patris filius, vobis in omnibus Conſiliis Eccleſiæ ſalutaribus ſuo Sancto Spiritu adſit, & proſperam valetudinem cum veſtris benignè largiatur. Datæ Baſileæ 12. Martii, Anno MDLXVI.*

16. Vidiſtin jam Lector, quos fremitus, quàm entheata dicteria; quantos convitiorum alveos vel in ſolo limine jam exoneret hic Hercules furens! Sed neque ab hisce præludiis abludunt aſpergines ceteræ, ſeu Scholia quàm plurima, quibus criminoſiſſimi Operis oras Schardius collutulavit. Paucula ut tranſcribam, Legitur ad marginem Libri I. c. 56. *O Cœlum, O Sol, avertite lucem atque conſpectum, à tam ſævo, horrendo, atque inaudito ſcelere* Urbani VI! perinde, atque ſi indubitatum jam eſſet, quod narrationis contextus mentitur. Cap. 64. *Attende pium Paſtorem, non Petro, ſed petræ duriſſimæ ſimilem.* Lib. II. Cap. VII. *Illud eſt ſapere de DEO: etiamſi occulta videat, parùm curat Pontifex.* Cap. IX. *Vide quàm fœcundæ meſſis Pontificî ceſſerit emptorum clade! Mercurio propitio atque internuntio, Plutone præſide, cuncta tranſigente ac comprobante Typhone.* Caput X. *O injuriam atque iniquitatem plus quàm tyrannicam* Pontificis! *Roma barathrum ac profundum pelagus, in quod quicquid immergas, abſorbetur.* Cap XI. *Attende hypocriſin, imò tyrannicam exactionem* Bonifacii IX. Cap. XIII. *Attende de paſtore lupum, ex Patre carnificem, ex Pontifice tyrannum.* Caput XLII. *Duo Seniores Babylonis* (Gregorius XII & Petrus de Luna) *è quibus progreſſa eſt iniquitas.* Locutio ſanè Proteſtantica, Niemi ætate adhuc incognita! unde & ipſe Hiſtoriæ textus ab heterodoxo depravatore [illegible] cenſetur corruptus. Lib. XXII. Cap. XXII. *Opera Anti-Chriſti* (Pontificis) *nam Turci humaniùs agunt, religioni vix adeò pernicioſi hoſtes.* C. XXVII. *Nonne vides, quàm hæc omnia tyranno potiùs conveniant, quàm Chriſti Vicario?* Taceo ſexcenta alia hujus generis ſcommata, quæ Sarcaſticus iſte gurgulio ad Hiſtoriæ margines evomere non exhorruit. Quis jam propudioſo huic partim Prælocutori, partim Scholiaſti injuriam faciet, ſi eidem (ſub cujus infortunatis auſpiciis Hiſtoria Pſeudo-Niemi multò copioſior prodiit) ipſius quoque Hiſtoriæ deturpatiſſimæ vitia, calumniæ, figmenta & aſſumenta adſcribantur? Sæpiùs deprehenſus, centies reus. Sermo nobis redibit de Schardio, cùm ad literam S. nos ordo deducet.

17. Etſi verò Vita Joannis XXIII, uti & anteceſſorum à Nicolao IV usque ad Urbanum V. Pontificum geſta (quæ pariter Niemo Auctori recentiora heterodoxorum prela tribuêre) jam ad manum mihi præſtò haud ſint: ipſa tamen, quam de Hiſtoria Schiſmatis & Nemore Unionis hucusque inſtituimus, Diſquiſitio jam antè divinare nos facit, eas quoque Scriptiones ſub Niemi nomine perperam recitari, & nonniſi in Romanæ Sedis Religionisque opprobrium ex maledicis heterodoxorum compilatorum ſutelis atque auxeſibus infauſtam ſui originem nactas. Neque enim lector Orthodoxus tam facilè induci ſe ſinet, ut cœco impete credat, hominem Catholicum (qualis Nie-

mus ſuo tempore fuit, ſi tamen aliquando is fuit aut ſcripſit) eò amentiæ atque proterviæ potuiſſe aut voluiſſe impelli, ut Acatholicorum anteambulonem jam ageret, & contra omnia veritatis jura, contra coævorum Scriptorum teſtimonia, ipſe Solitarius per effrontem & heterodoxorum ex aſſe æmulam proterviam neſcio quæ Pontificum facta facinoráve confingeret, aut etiam vera ſubinde vitia ipſe, tacentibus ceteris, plùs quàm hyperbolicîs additamentîs aggravaret. Et quæ tandem uni Pſeudo-Niemo inter Synchronorum ſilentia fides poſſit haberi, qui omnibus à Nicolao IV usque ad Urbanum V. Pontificibus junior, imò Nicolai IV temporibus integro etiam Seculô poſterior fuit? Niſi ergo ex indubitatis argumentis eæ lucubrationes (& quidem, prout hodie extant) Niemo certò aſſeri poſſint (prout haud poterunt) tam Niemi nomen & opera, quàm auctoritas ruent. Multò interim confidentiùs licebit opinari, quòd cùm Hiſtoria Schiſmatis & Nemus Unionis ſub larvato Niemi nomine, nemine (quod ſciam) impugnante aut examinante, ab heterodoxis feliciter fuiſſent excuſa, alii poſtmodum compilatores heterodoxi ſucceſſerint, qui collatâ fortaſſis inter ſe ſymbolâ, pariſque audaciâ, etiam ipſi anteriorum quorumpiam, qui Schiſma illud præceſſêre, Pontificum Catalogum geſtáque contexerent, & partim ex genuinis quibusdam chartariis aut libris, partim ex ſuæ veſaniæ promptuariis, ſub ejusdem, utpote jam noti, Niemi vexillis integrum de Vitis Pontificum Opus privatim conſcriberent, dum tandem illud, velut Synchronæ antiquitatis monumentum, ſuo ex ſepulchro in ſperatiſſimam lucem aliquando foret extrudendum. Hoc certè labore polliceri ſibi in rem ſuam poterant Compilatores, futurum omnino, ut quisquis ex novellorum dogmatum Sectatoribus ac Religionis Antiquo-Romanæ deſertoribus prolixiorem Pontificum ſeriem ac Vitas unà cum Hiſtoria Schiſmatis, ſive ab an. 1288 usque ad annum 1419, ſub uno eodémque obtutu collocâſſet, non modò Romanos Pontifices, tam fœdè deſcriptos, ſed & ipſam Religionem Pontificiam propter Antiſtitum nævos non abhorrere non velit. Aſt de poſtremis hisce Niemi vel Pſeudo-Niemi Scriptis plura tum dabimus, cùm & illa in manus noſtras pervenerint, & horæ magìs vacabunt. Ceterum Hiſtoriam de Schiſmate Romanus Index proſcripſit. *Vid. Ind. noviſſ. p.* 190. *verbó*: Hiſtoria.

NITHARDUS. NITHARDUS, Seculi IX Scriptor, juſſu Caroli Calvi, libros IV edidit de Diſſenſionibus filiorum Ludovici Pii usque ad an. 843. Primus eos juris publici fecit *Pithœus* inter XII Scriptores coætaneos Annalium & Hiſtoriæ Francorum: dein *Du-Cheſnius* T. II. Script. Franc. denique *Boecleras*, *Kulpiſius*, atque *Schilterus* in Collectione Script. Germ. Matrem

trem Nithardus habuit *Bertam*, Caroli M. filiam: Patrem *Angilbertum*, multæ nobilitatis Virum, Caroli M. familiarem, Palatii Primicerium atque ad Leonem III in cauſa Felicis Urgellitani legatum: qui poſtmodum aulâ relictâ, cum Berthæ conjugis conſenſu, ad Monaſterium Centulenſe tranſiit, & in Abbatis munere cum magna Sanctitatis fama cultúque deceſſit an. 814. XII Kal. Martii, quo die colitur. De illo Nithardus l. 4. p. m. 485. 86. *Eademque die* (Nonis Novembribus anni 842) *Angilbertus Vir memorabilis Centulo translatus, & anno poſt deceſſum ejus XXVIII, corpore abſque aromatibus indiſſoluto repertus eſt. Fuit hic Vir ortus eo in tempore haud ignotæ familiæ. Madelgaudus autem, Richardus, & Hic ex una progenie fuere: Et apud Magnum Karolum meritò magni habebantur.* Qui (Angilbertus) *ex ejusdem* MAGNI REGIS FILIA, NOMINE BERETHA, HARNIDUM FRATREM MEUM & ME NITHARDUM GENUIT: *Centulo opus mirificum in honore Omnipotentis DEI, Sanctique Richarii conſtruxit: Familiam ſibi commiſſam mirificè rexit: Hinc vita cum omni felicitate defuncta, Centulo in pace quievit. His paucis* DE ORIGINE MEA *delibatis ad hiſtoriæ ſeriem redire libet.* Nithardus poſt Genitoris ad Monachos ſeceſſum Aulam militiámque ſecutus, ſub Carolo Calvo, Galliarum Rege, ſtipendia fecit; nam ab eodem ad Lotharium I, jam bella pugnásque ſpirantem, tanquam Pacis Internuncius unà cum Adelgario eſt miſſus, prout ipſe Lib. II. p. m. 447 Edit. Pithœ. teſtatur: Prælio ſimiliter, ad Fontanedum an. 841 commiſſo, ſe pariter interfuiſſe, & ad Adalhardi pro Caroli partibus victoriam *haud modicum ſupplementum ſe præbuiſſe* fatetur in fine libri II. p. m. 462. Ipſam porro Scriptionem ſuam, quam ex Caroli Regis imperio ſuſceperat eidémque Principi ſuo nuncupârat (*Vid. Præfat. Libri I.*) ita digeſſit Nithardus, ut per totum librum I. poſt Caroli M. laudes, pauculis prælibatas, Ludovici Pii Geſta referret, atque per hoc ipſum ad tres reliquos de Filiorum Diſſenſionibus libros (quæ primùm poſt fata Patris erupêre) via planior ſterneretur. Auctoritatem proinde, fidémque Nithardi, qui & contemporaneus, & præſentiſſimus Geſtorum arbiter fuit, ponderis longè maximi eſſe, ſatis in propatulo eſt: neque alius quisquam ex ejus ævi Scriptoribus hasce turbas & bella fraterna præ Nithardo exactiùs dedit. Imò hic ipſe veritatis, ſibi præ ceteris cognitæ, amor Nithardum impulit, ut ſui temporis Geſta accuratè conſcriberet, & laudabili hocce obſequio ſeram poſteritatem ſibi devinciret. Ait enim in Præfatione Libri Tertii: *Ne fortè quilibet, quocunque modo deceptus, res noſtro in tempore Geſtas, præter quàm exactæ ſunt, narrare præſumat, ex his, quibus interfui, libellum ut adderem acquievi.* Meminêre Nithardi *Labbeus* T. II. Script. Eccl. *Nat. Alex.* T. VI. Hiſt.

Eccl. *Graveſ.* P. I. Hiſt. Eccl. T. III. *Eckhart.* T. II. Comment. de Rebus Franc. Orient. aliique.

B. NOTKERUS BALBULUS.

B. NOTKERUS BALBULUS, ex illuſtri Proſapia ortus, Puer adhuc ad Monaſterium S. Galli oblatus, & poſt annum 841 Marcello atque Iſoni Magiſtris ibidem in diſciplinam traditus, ſeniô admodum gravis, poſt transactam cum ſanctimonia vitam monaſticam ad Cœlites abiit an. 912. VIII Idus Apriles. Præter *Hymnos* & *Sequentias*, ſive rythmicas preces (quales in Miſſa ante Evangelium ſolent cantari) & *Martyrologium* (quod Henricus Caniſius T. VI. Antiquarum Lectionum protulit) aliásque lucubratiunculas, duos quoque libros conſcripſit *de Geſtis Caroli Magni*, eósque Carolo Craſſo Imperatori, illius pronepoti, dicavit. Compoſiti autem ſunt *ex relationibus Adalberti Militis, qui Hunnico, Saxonicóque & Slavico Caroli bello interfuit, ejúsque filii Werinberti Sacerdotis*, prout ipſe Notkerus teſtatur. Solet hæc Caroli vita communiùs ſub Anonymi *San-Gallenſis Monachi* nomine allegari, ùt fecit Henr. Caniſius T. I. Antiq. Lect. in præfatione ad Lectorem, aliique poſt Caniſium. Mabillonius hosce libros Notkero penitus abjudicavit tum ob ſtyli leporem, tum ob fabellas ſubinde narratas; aſſt & ludicra miſcere ſeriis licuit, & de rebus præteritis falli non rarum: imò ipſe Notkerus L. II. Cap. XXVI Auctorem ſe prodit, cùm dicit: *His igitur, quæ ego* BALBUS & EDENTULUS.... *explicare tentavi.* Hanc verò locutionem illi familiarem fuiſſe vel ſolus Notkeri de S. Stephano Hymnus oſtendit, ubi ita canit:

Aeger & *Balbus*, vitiisque plenus
Ore polluto Stephani triumphos
Notker indignus cecini, volente
Præſule Sancto.

Quare cùm hunc Caroli biographum *Monachum San-Gallenſem* fuiſſe, facilè poſt Caniſium Eruditi admittant (*Vid. Caniſ. cit. Præfat.*) de alio verò ex San-Gallenſibus Monachis Scriptore *Balbo* ad ea tempora præter *Notkerum* non conſtet, Eckhartus T. II. Comment. de Rebus Franc. Orient. p. 837 eam Caroli vitam Notkero Balbulo rectè adjudicavit, & tam Marcus Velſerus, quàm idem Caniſius non immeritò luce dignam cenſuerunt. Quamvis enim aliqua à vero aliena videantur narrari, ex Virorum tamen ipſimet Carolo M. Synchronorum teſtimoniis concinnata cùm ſit, repudiari illa neutiquam debet; neque enim unus idémque Scriptor jam omnia de Carolo novit aut ſcripſit:

ùn-

unde quæ in aliis Caroli biographis deſunt, ex Notkero haud dubiè ſupplere licebit. Aut quis neget, quòd quemadmodum Adalbertus miles & Werinbertus Sacerdos, Adalberti filius, ipſimet Carolo M. fuêre contemporanei & præſentes in plurimis teſtes, ita iidem ex hauſta ſui temporis notitia etiam per ſe ipſos geſta Caroli conſcribere, & fidem ſibi non modicam apud poſteros parere potuiſſent? Perinde igitur res ſe habebit, ſive ipſimet hunc ſcribendi laborem ſuſceperint, ſive ex illorum duntaxat ore Notkerus ſcribenda exceperit, & quod illi ſubterfugerant, ipſe unus Scriptionis onus in ſe tranſtulerit; niſi gratis confingere malis, quòd pientiſſimo Viro uterque turpiter imponere, & ex condicto falſa pro veris obtrudere allaborârit. Extat hæc Caroli Vita tum apud Caniſium T. I. Antiq. Lect. tum apud Du-Cheſnium T. II. Script. Franc.

O.

ORDERICUS VITALIS.

ORDERICUS VITALIS, Anglus, & ab an. 1085 Uticenſis in Normania Gallicana Cœnobii Monachus, tredecim Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros à Chriſto nato usque ad an. 1141 exaravit. Et librum quidem XII lucubravit anno 1135, ùt ex ipſis Orderici verbis evincit *Pagius* T. IV. Crit. ad an. 1125. n. 11. Librum verò poſtremum ſive XIII abſolvit ipſô anno 1141, cùm annum ætatis ageret Sexageſimum ſeptimum, ùt ipſe ad e. a. de ſe affirmat. Vid. Pagius T. IV. ad an. 1141 n. 7. & *Acta SS.* T. IV. Aug. p. 154. n. 240. Obiiſſe creditur Ordericus circa medium Seculi XII, idémque conjectat Cuperus noſter T. IV. Aug. p. 66. n. 4.

De hac Orderici Hiſtoria, quæ à Du-Cheſnio edita eſt inter Rerum Normannicarum Scriptores, ita Pagius inquit T. IV. Crit. ad an. 1141. n. 7. *Ex ea multa ad ſupplendos Annales Eccleſiaſticos mutuati ſumus; nam licèt hic Auctor non rarò in Chronologiam peccet, multa tamen ſcitu digniſſima in medium profert, & ſincerè narrat. Exiſtimo, eum ante mortem Opus ſuum revidiſſe; librum enim primum finiens, ait, tunc Lotharium dominari Alemannis, Ludovicum Francis, Stephanum Anglis, & Ranimirum Monachum Hiſpanis: & tamen Lotharius Imperator anno 1137 obiit, eodémque anno Ranimirus Regnum Arragoniæ dimiſit, & in ſuum monaſterium reverſus eſt. Præterea librum ſuum XIII in Stephani Regis* (quæ anno 1141 contigit) *captivitate abſolvit. Nullum neque in Bibliotheca Regia, neque in aliis Pariſienſibus hujus Hiſtoriæ Exemplar MS. ſupereſt, cujus ope errores aliqui, qui in eam irrepſêre, emendari poſſent, & interpolationes, ſi quæ fortè ſint, di-*

dignoſci. Quospiam Orderici errores *Chronologicos* exhibet Pagius l. c. ad an. 1134. n. 2. an. 1139. n. 2. lapſus verò *hiſtoricos* idem Pagius notat ad an. 1081. n. 7. ubi Ordericus quempiam Pſeudo-Michaëlem pro vero Michaële Imp. CP. perperam accepit; ad an. 1084. n. 6. ubi de Romana Roberti Apuliæ Ducis expeditione Ordericus varia narrat, quæ nulla veritate nituntur; ad an. 1125 n. 8. 9. ubi Ordericus de Electione Imp. Lotharii II. minùs rite edoctus refellitur, & n. 15. quòd circa Francorum adverſus Mauros geſta in quibusdam circumſtantiis Auctor hic peccet: item ad an. 1133. n. 7. obſervat Pagius, Orderi-cum, qui ſcilicet in Normannia ſcripſerat, deceptum fuiſſe in iis, quæ in Innocentii II & Lotharii II profectione Romana contigêre, uti & paſſim in aliis, quæ eo tempore geſta.

OTHO FRISINGENSIS. OTHO FRISINGENSIS, S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ filius, Henrici IV Imp. ex Agnete filia nepos, frater uterinus Conradi III. Imp. & Friderici Barbaroſſæ Patruus, Ordinis poſtmodum Ciſtercienſis Alumnus, & Morimundenſis in Burgundia Abbas, denique Friſingenſis inter Bojos Epiſcopus, *Chronicon* elaboravit, in ſeptem libros diſtinctum, à creatione mundi usque ad annum Chriſti 1146, iisque librum octavum addidit de fine mundi, Anti-Chriſti perſecutione, & mortuorum reſurrectione. Prima hujus Chronici Editio facta Argentinæ per Joannem Cuſpinianum an. 1515: altera Baſileæ an. 1569: Tertia & Quarta Francofordiæ inter Germaniæ Scriptores an. 1585 & 1670 unà cum continuatione Othonis à S. Blaſio usque ad an. 1210. Præterea libris duobus complexus eſt Otho Friſ. *Geſta Friderici Barbaroſſæ Imperatoris*, nepotis ſui, qui communiter ad dicti Chronici calcem ſolent adjungi. Obiit autem Otho an. 1158 (ùt probat Pagius T. IV. Crit. ad an. 1159 à n. 12 ad 15) cum magna virtutis opinione & fidelium veneratione, quemadmodum Radevicus in continuata Othonis de Friderico Hiſtoria teſtatur. *Vid. Act. SS.* T. III. Sept. p. 5. ubi inter Prætermiſſos ponitur Otho.

Advertit Pagius *primò* ad an. 1044. n. 5. quòd Otho in Chronico ſuo non parùm ſit lapſus, & tum Baronium, tum alios in errorem induxerit, cùm Gregorium VI Pontificem non modò tanquam Eccleſiæ liberatorem exhibuit, ſed & à tribus aliis Simoniacis Pontificibus, qui præter Gregorium eodem pariter tempore ſub Henrico III Imper. vixerint, eundem diſtinxit, ideóque quatuor Pontifices ſimultaneos nobis obtruſit; id quod à veritate hiſtorica eſt remotiſſimum: cum ex indubitatis argumentis, quæ l. c. Pagius adfert, ipſiſſimum illum Gregorium inter tres illos Pontifices Simoniacos omnino extitiſſe, ne-

negari haud poſſit. *Secundò* ad an. 1046. n. 2. quòd non niſi ex incertis levibúsque rumoribus ſcripſerit Otho, Henricum Imp. Gregorio VI perſuaſiſſe, ut Pontificatu cederet, eique depoſitionem fuiſſe minatum: unde neque Gregorium ceſſione ſua laudem fuiſſe promeritum. Sed nempe Otho de his, excepta auditione, nihil habuit comperti, nec niſi poſt medium Seculum XII primùm deceſſit. *Tertiò* ad an. 1145. n. 8. quòd ab Armenorum legato deceptus ſcripſerit, nullum inter Græcorum & Armenorum ſacrificia, circà Panis fermentati uſum, eſſe diſcrimen. Ejusdem Othonis auctóritate in rebus longè antiquioribus tutò ſtari non poſſe obſervat Suyskenus noſter T. III. Sept. in vita S. Corbiniani p. 266. n. 23. ubi circa ipſum inſuper tempus, quò S. Corbinianus Friſingam advenerit, Otho plurimùm exerrâſſe convincitur. Gewoldus in Metropoli Salisb. T. I. p. 116. lit. b. Othonem omnino interpolatum fuiſſe affirmat, neque vanam conjecturam adducit. Ceterùm in ſuorum temporum & Patriæ geſtis Othonis fidem Eruditi jure commendant atque ſequuntur, etſi chronologicus ſubin error irrepſerit.

OUDINUS CASIMIRUS, Scriptor Gallus, & Veteris Inſtituti Canonicorum Præmonſtratenſium antehac Preſbyter, *Commentarium*, ſive *Supplementum de Scriptoribus & Scriptis* Eccleſiaſticis, à Bellarmino prætermiſſis, usque ad annum 1460 edidit Pariſiis an. 1686: Auctius dein atque prolixius Opus hoc reddidit ipſe Oudinus, poſt cujus obitum Lipſienſes illud, in Tres Tomos partitum, recudêre Lipſiæ an. 1722. Prohibita tamen hæc Lipſienſis Editio fuit Romæ 18. Julii an. 1729 ex Decreto S. Congreg. Indicis, ùt videre eſt in noviſſimo Indice expurgatorio p. 57. Viri non ſolùm induſtrii, ſed & in Criticis minimè hoſpitis laudes mereri fortaſſe poterat Oudinus, niſi limites perfregiſſet criticandi ſentiendíve, imò & vivendi licentia: quâ demum in devia raptus, atque ex cœnobio ſuo in Hollandiam profugus, non modò Ordinis ſui, ſed & Orthodoxæ fidei miſerandus Apoſtata factus, ultro ſibi perniciem accerſivit, & anno 1717 infelicem animam exhalavit. Varios Scriptoris hujus errores, falſitates, aut criminationes, paſſim in Actis SS. confutârunt Hagiographi noſtri Antverpienſes. Sic OUDINUS CASIMIRUS

Tomo I. Aug. in Hiſt. Chronolog. Patriarch. CP. p. 69. n. 383 notat Cuperus, quòd Oudinus T. I. Supplem. ſive Commentarii col. 1473 errantem Caveum cæcè ſecutus ſit, & trium annorum parachroniſmum circa Joannis Jejunatoris Patriarchale initium ex eodem tranſcripſerit. Quanquam alium errorem chronicum, quem in prima

Operis ſui editione p. 495 circa Germani II Patriarchatûs diuturnitatem commiſerat, poſtea in ampliori Opere Lipſienſi T. III. col. 55. tacitè rectéque correxit Oudinus, ùt advertit idem Cuperus l. c. p. 156. n. 937. SECUNDO: pag. 141. n. 843 ait Cuperus: *hic nos mirari non debet Caſimirus Oudinus, impudens Religionis ac fidei ſuæ Apoſtata, qui in Commentario de Script. Eccleſ. Tomo II col. 1532. Michaëli Anchiale, ceteriſque Græcis Schiſmaticis* (falſas ſcilicet ſui Schiſmatis cauſas obtendentibus) *patrocinatur, & ex communi hæreticorum more Eccleſiam Romanam calumniis inceſſit.* TERTIO: poſtquam p. 157 n. 948 Germani II Patriarchæ CP. literas, ad Gregorium IX Pontificem datas, in Anglicana editione fuiſſe corruptas, ex Raynaldo, Waddingo, & ipſomet Codice Vaticano docuerat Cuperus, mox ita pergit: *At non mirum*, inquit Caſimirus Oudinus l. c. T. III col. 54. editionis Lipſienſis, *quòd in Bibliotheca Vaticana non inveniantur, quæ contra Eccleſiam Romanam ſcripta ſunt.* „ Miſerum enimverò effugium! reponit Cuperus: ſaltem no-
" verat infelix ille Apoſtata, plura Græcorum Schiſmaticorum Opu-
" ſcula ex Bibliotheca Vaticana prodiiſſe, & in ea etiamnum conſer-
" vari. Quòd ſi ille ejúsque gregales fidem adhibere nolint Biblio-
" thecæ Vaticanæ, cur nos Bibliothecæ Anglicanæ fidere cogemur?
" Ut alia in hanc rem omittam, impudentes hujusmodi homines con-
" vincere debet ipſa Epiſtola Græca, quam Harduinus noſter ex Bi-
" bliotheca Regis Galliæ Codice 2503 nuper Tomo VII Concil. à col.
" 1961. inſeruit, & in qua hæc contumelia non reperitur. QUARTO: pag. 166. n. 1001. inquit Cuperus: *Oudinus in ampliori Opere de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quod jam Ordinis ac fidei Apoſtata compoſuit, Tomo III. col. 508 Spondano* (circa Joannis XI. cognomentô Vecci vel Becci Patriarchatum) *anachroniſmum exprobrat, dum ipſe eodem in loco in alterum impingit*: quandoquidem Patriarchatûs hujus initium neque cum anno 1274, ùt perperam Spondanus, neque cum anno 1275, ùt fieri oportuerat, ſed cum anno primùm 1276 malè illigavit Oudinus. QUINTO: p. 185. n. 1115 vocatur à Cupero Oudinus *efferatus fidei Catholicæ Apoſtata*: miratur tamen l. c. Cuperus, quòd ipſe Oudinus Syropulum Hiſtoriæ Concilii Florent. Scriptorem tanquam iratum & ſtudio partium abreptum deſcripſerit. SEXTO: p. 197 n. 1190 ita pronunciat Cuperus: *Neque hic curamus dicteria Caſimiri Oudini, qui in Comment. de Script. Eccl. T. III contra Renaudotium impotenter debacchatur* (eoquòd videlicet in erudita ſua Diſſertatione, Pariſiis an. 1709 edita, Renaudotius non niſi unicum Gennadium, antea Georgium Scholarium dictum, admiſerit, qui primùm unioni Græcorum cum Latinis faverit in Concilio Florentino: at CPolim reverſus, aliorum Græcorum

rum exemplo, eandem rursus impugnárit) *Nempe Apostatam illum pupugit, quòd Renaudotii argumentis convictus, in controversia de Eucharistia seu transubstantiatione hunc Georgium Scholarium sive Gennadium inter Græcos* λατινόφρονας, *id est, cum Latinis sentientes numerare non potuerit. Certè hunc furentem Apostatam offendere non debuit opinio, quâ Renaudotius eundem Gennadium inter fautores & impugnatores orthodoxorum recenset, cùm manifestum hujus rei exemplum in se ipso habeat: nam in Epistola dedicatoria & præfatione, quas Oudinus supplemento Script. Ecclesiasticorum præfixit, omnes hæreticorum Sectas exsecratur, & illustrissimum Præsulem Remensem ob expulsos Calvinistas laudat. At in Commentario Script. Eccles. quem postea tribus Voluminibus edidit, ubique Calvinistas defendit, & Ecclesiam Romanam calumniatur. An propterea posteri duos Casimiros Oudinos, unum Catholicum, alterum hæreticum, rectè inter se distinguent ? Facilè itaque intelligitur, quomodo unus idémque Scriptor possit orthodoxæ doctrinæ favere & adversari.*

Tomo VI. Aug. p. 214. in Comment. præv. ad vitam S. Augustini n. 6. refert Cuperus, quòd licèt ipse Oudinus Apostata Tomo I. Comment. p. 986 fraudulentam Operum S. Augustini editionem Batavam, ab anno 1700 recens adornatam, minimè approbet, & pecuniarias Typographorum artes vituperet, ipsos tamen errores, ab impudente Joanne Clerico insperſos, & Hollandicæ Editionis corruptionem, contra Clarellum bibliopolam Venetum (de quo nos alibi in voce : *Augustinus* : jam egimus) frigidissimis hisce verbîs l. c. excuset : *Imprudens hic bibliopola* (Clarellus) *fallitur ; quamvis enim Joannis Clerici Tomum XII non approbem ob tumorem, quo plenus est, & Operis inutilitatem : falsum tamen est, quòd multam doctrinæ non sanæ copiam contineat : itémque quòd multa verba decerpta sint, & integræ etiam periodi ablatæ. Si quæ talia contigerunt, vitia & errores sunt correctorum parùm accuratorum, non eorum, qui editionem illam reiterandam voluerunt.* Ast, ùt rectè huic cavillationi respondet Cuperus l. c. n. 8. *facilis enimverò & nova methodus excusandi omnes non tantummodo Sanctorum Patrum, sed etiam Sacræ Scripturæ corruptores! Sic enim Lutherus oscitantem correctorem poterat accusare, dum perperam ex Apostolo asseruit, hominem* SOLA *fide justificari, quamvis ipse hanc vocem hæresi suæ faventem fraudulenter addiderit. Sic Calvinus & Beza aliique hæretici varias Sacrorum Codicum corruptiones, quarum convicti sunt, imperitis aut parùm accuratis correctoribus imputare potuissent.* " Interea " (ùt prosequitur Cuperus) Oudinus ibidem fine testibus aut tabu- " lis affirmat, Opera Sanctorum Patrum potiùs à Pontificiis aut Pa- " picolis (sic ei Catholicos hìc appellare placuit) quàm à Lutheranis " vel Calvinistis corrumpi, ac deinde Clarellum refutare pergit his verbîs : „ *Nec, opinor, editio Veneta correctior erit Amstelodamensi, quæ*

quamvis malè correcta ſit, à nemine tamen Pontificiorum adulterationis de induſtria factæ hucusque accuſata fuit. Imò venditur publicè ut authentica, tum Antverpiæ, tum in Belgicis Partibus Pontificiis, nemine contradicente; quod Belgæ non paſſi fuiſſent, ſi adulterata de induſtria hæc Editio fuiſſet. „ At " quis hac in re, quærit Cuperus, ſtatim credat homini Apoſtatæ, " qui DEO & religioſæ ſuæ profeſſioni infidus fuit? unde primò ſci- " re vellem, ubi & à quibus in Belgio Catholico nunc editio illa Ams- " ſtelodamenſis, *ut authentica*, publicè vendatur. Imò nihil evince- " ret Oudinus, etiamſi gratis ei concederem, initio Seculi labentis " aliquos Belgas imperitos aut falſo loci (ſcilicet Antverpiæ) titulo " deceptos, eam editionem vel emiſſe vel vendidiſſe; nam quotidia- " nâ experientiâ diſcimus, fictis librorum editionibus exteros Ca- " tholicos ab aſtutis Bibliopolis Batavis non rarò decipi. Cur autem " finxerunt, hæc omnia S. Auguſtini Opera in urbe Catholica Belgii " edita eſſe, niſi ut incautos emptores fallerent?.... Veroſimiliter " Oudinus hæc effugia quæſivit, ut placeret hominibus novæ Sectæ, " ad quam transfugerat, & ut ſeriò videretur odiſſe Catholicos, à " quibus diſceſſerat.

Tomo VI. Julii poſtquam in Comment. præv. ad Acta S. Jacobi Apoſt. p. 43. 44. 45. §. 13 invictè probaverat idem Cuperus, *Opuſculum ſive librum Callixti II Pontificis de miraculis S. Jacobi* vel ex integro eſſe confictum ſeu Callixto II ſuppoſtum, vel certè ineptiſſimè ab alio impoſtore interpolatum, hæc poſtmodum n. 174. 175. ſubnectit: „ Mirabar, hæreticos ſemper promptos ad abjudicanda quælibet ve- " terum Auctorum Opera, ubi Sectæ ſuæ incommodant, hìc adeò " eſſe faciles ad iſtud Opuſculum Callixto II. concedendum. Sed tan- " dem intellexi iniquitatis myſterium; nempe id eò tendit, ut Callix- " tum fabuloſæ Pſeudo-Turpini (de Carolo M.) Hiſtoriæ Auctorem " faciant. Inter alios Caſimirus Oudinus, infelix Ordinis ſui ac Fi- " dei apoſtata in Commentario de Script. Eccl. T. II. col. 69. in hac " re ita mentitur: *Auctor hujus Operis non Turpinus, ſed Callixtus II. Papa, qui tribus poſt mortem Caroli M. Seculis, illam fabulam confinxit, non ut Carolum M. ſed ut Sanctum Jacobum Apoſtolum & Eccleſiam Compoſtellanam, quam vehementer amabat, illuſtriores his fabulis redderet. Unde nihil mirum, quòd in MS. Codice Cantabrigienſi Sti Benedicti Callixtus II hanc fabulam à ſe confictam dicat opus authenticum, primúsque illius mentionem faciat.* „ Citat " hic Apoſtata Papyrium Maſſonum in Annalibus Galliæ, ut probet, " hoc Opus eſſe anilibus commentis plenum; ſed cautè tacet, quid " Papyrius Maſſonus in iisdem Annalibus lib. 2. p. 92 de iſtius fabulæ " Auctore judicaverit hîs verbîs: *Igitur libellus ille ab homine otioſo in*

gra-

gratiam Juventutis ſcriptus videtur, non multò poſt Caroli Calvi imperium: ejusdémque verſio in Bibliotheca regia ſervatur in Gallia, antiquâ ac pene obſoleta Gallorum linguâ vetuſtiſſimisque characteribus. „ Si Hiſtoria illa non " multò poſt Caroli Calvi imperium, qui an. 877 obiit, conſcripta " ſit, quomodo eam Callixtus Seculo XII fingere potuit? Si ipſe ſub " nomine Turpini confinxiſſet illam hiſtoriam, an ſano cerebro in ea " aſſerere potuiſſet, in Concilio Compoſtellano ſtatutum fuiſſe, ut " cuncti Præſules & Principes, & Reges Chriſtiani, Hiſpani ſcilicet " & Gallæciani, præſentes & futuri, Epiſcopo Sancti Jacobi obedi- " rent? ùt ſuprà n. 118. ex Pſeudo-Turpino retulimus. An ſano ce- " rebro, inquam, aſſerere potuiſſet, omnes Hiſpaniæ Præſules Epi- " ſcopo S. Jacobi ſubjectos fuiſſe, cùm ipſemet Callixtus Papa Ec- " cleſiam Compoſtellanam primò ad Metropolitanam dignitatem eve- " xerit? Certè infidus iſte Apoſtata nobis auctoritate ſua non perſua- " debit, Callixtum fuiſſe adeò hebetem, ut craſſis ac manifeſtis his- " ce fictionibus ſeſe omnium ludibrio exponere voluerit. At deſe- " ramus calumniatorem illum, qui non ita pridem inter heterodoxos " infelicem animam efflavit, & opinionem noſtram ulteriùs ſtabilire " pergamus. „ Pergit dein Cuperus, & n. 176. 177. alia inſuper indicia promit, quæ opuſculum de miraculis S. Jacobi, prout nunc extat, Callixto II. adſcribi haud ſinant v. g. ob hiſtoriam ſive fabellam Draconis & Lupæ, item Gallæciæ Regis, rupto ponte ſubmerſi.

T. V. Septembris Stiltingus noſter in Comment. præv. ad Acta S. Hildegardis V. p. 675. 676. n. 199. 200. 201. 202. §. 13. eundem Oudinum S. Hildegardis conviciatorem hisce verbis, quæ integra huc merentur tranſcribi, prolixè ſimul ſolidéque confundit atque contundit: *Catholici*, inquit, *Auctores, qui Bibliothecas Scriptorum ediderunt, meritis paſſim laudibus S. Hildegardem celebrârunt. Ipſe etiam Guilielmus Cave, licèt heterodoxus, in Hiſtoria litteraria ad an. 1170 Sanctam his verbis laudat:* Raris animi dotibus prædita, & egregia erga DEUM pietate, erga religionem zelo inſignis, viſionibus divinitus conceſſis & prophetiis inclareſcere cœpit. *Addit plura, ſed ſine omni obtrectatione. Attamen Caſimirus Oudinus in Commentario de Script. Eccl. T. II. col. 1572 poſt recitata Cavei verba, pergit in hunc modum:* Claruit igitur multis, ùt volunt, revelationibus, quæ apud amantes myſticarum viſionum, devotósque ſimplices, plurimi æſtimantur: ſed apud graves atque à muliebri ſimplicitate alienos Viros modici admodum ponderis ſunt, nullius meriti, puriſſimæ vacui cerebri illuſiones nocturnæ: qui idem omnino ac meritò ſentiunt de aliis omnibus mulierum ejusmodi viſionibus, ſexum muliebrem præſertim, utpote infirmiorem, afficientibus. *Vides, lector,*

tur, Oudinum nihili facientem viſiones & vaticinia S. Hildegardis, licèt iis in admirationem ſui & amorem traxerit Romanos Pontifices, Imperatores, Principes alios, Seculares & Eccleſiaſticos, Epiſcopos & Abbates plurimos, Doctores eruditione præſtantes, Congregationes Clericorum & Monachorum complures, ac demum quaſi totam Germaniam, ac magnam Galliæ & Italiæ partem. At audiàmus iterum hominem, illis omnibus ſuo judicio ſapientiorem. Poſt enumerata aliquot Sanctæ opuſcula, ſic loquitur: Inter Prophetias Hildegardis præſtantiſſima illa eſt, quam necdum impreſſam vidi; nempe Revelatio Hildegardis de fratribus quatuor mendicantium Ordinum. *Et mox*: Quam (*prophetiam*) ab aliquo Ciſtercienſi conceſſam mihi aliquando, ex MS. Codice tranſcriptam, admiratus ſum ita clarè depingentem Ordines quatuor mendicantes cum Jeſuitis, etiam longo pòſt tempore ipſis ſuccedentibus.

Verùm talia ſcribere non potuit, niſi excoecatus malitiâ ſuâ, odióque Virorum religioſorum, quos tam ſtolidè oppugnat. Etenim aut ea tantùm ſcribere voluit, quæ credidit? aut ſine veri cura calumniari ſtuduit Oudinus? Si primum: quomodo exiſtimare potuit, ex puriſſimis vacui cerebri illuſionibus, quales dicit viſiones S. Hildegardis, *potuiſſe* ita clarè *depingi* Ordines quatuor mendicantes cum Jeſuitis, etiam longo pòſt tempore ipſis ſuccedentibus? *Quomodo, inquam, credere potuit, ex illuſionibus cerebri præviſos eſſe viros diu pòſt futuros, eorúmque mores clarè deſcriptos: niſi ipſe fatuas paſſus ſit cerebri illuſiones? Si verò calumniari ſolùm ſtuduit Oudinus: quomodo ſaltem curam non habuit, ut cautè procederet, & invicem pugnantia in brevi elogio non conjungeret? Verùm fruſtra hæc ego in Oudino requiro: nam & auctoritatem revelationibus S. Hildegardis detrahere voluit, & rurſum illius, vel invitæ, uti voluit auctoritate ad infamandum Ordines religioſos: neque illa facere potuit, niſi ſecum ipſe pugnaret.*

Nunc breviter examinemus utramque ſeorſum aſſertionem Oudini. Quod ſpectat ad primam de exigua fide adhibenda revelationibus & viſionibus quibuslibet, maximè mulierum, minùs me haberet hac in re repugnantem, ſi modum non exceſſiſſet, ſi non nimis omnem fidem iis detrahere voluiſſet, ſi diſtinxiſſet inter viſiones & prædictiones nullius judicio probatas, & viſiones celeberrimæ S. Hildegardis, aliarumque aliquot Sanctarum. Etenim ſatis novimus, quaslibet viſiones mulierum, ſubinde potiùs imaginationes phantaſticas, non admittendas eſſe pro veris ac divinis revelationibus. At non minùs conſtat, Spiritum prophetiæ non eſſe extinctum in Eccleſia, darique aliquando revelationes verè divinas, tam Virorum quàm mulierum. Itaque ad extremum nimis declinat non ſolùm ille, qui omnibus viſionibus indifferenter fidem adhibet; ſed ille etiam, qui omnes habet pro vacui cerebri illuſionibus. Jam verò, ſi non omnes indifferenter admittendæ ſunt viſiones, nec omnes rejiciendæ: neceſſariò dicen-

dicendum eſt, inter perſonas, quæ viſiones habere ſe dicitant, diſtinguendum eſſe. Si autem ulla eſt perſona medii ævi, de qua multorum judicio, aliisque indiciis conſtat, gaviſam fuiſſe divinis revelationibus, ea eſt S. Hildegardis. Hanc enim gratiâ prophetică à DEO ornatam, judicavit S. Bernardus, judicârunt Eugenius III Papa cum Trevirenſi Concilio, Anaſtaſius IV & Hadrianus IV, Summi Pontifices: & hi quidem tale tulerunt judicium poſt maturum examen perſonæ ipſius, & Scriptorum ejus usque ad id tempus. Hisce aſſenſi ſunt per annos triginta, quibus deinde ſupervixit Sancta, perſonæ innumeræ, intérque has multi Doctores, Epiſcopi, Principes; multi item, qui Sanctam à pueritia noverant; multi, qui familiariter ſæpe cum ipſa egerant. Horum omnium judicio cùm ſuum præferre velit Oudinus, meretur profectò, ut rideamus potiùs hominis arrogantiam & ſuperbiam, quàm ad ipſius dicta attendamus, præſertim cùm cenſendus ſit illa protuliſſe eadem levitate, quâ Religionem ſuam & fidem Apoſtata deſeruit.

Revelatio Hildegardis, *ut vocat Oudinus*, de fratribus quatuor mendicantium Ordinum, *quam ipſe tantopere mirari ſe fingit, & Jeſuitis etiam liberaliter adaptat (ac ſi nulla inter Inſtitutum aut mores Jeſuitarum, & Ordinum mendicantium eſſet differentia, nihil quatuor Ordines mendicantes invicem differrent) eſt declamatio inepta, cujus ſtylus S. Hildegardi adeò non convenit, ut vix aliud ſcriptum produci poſſit, quod à ſtylo ipſius magis ſit alienum. Facta verò enuntiata in illo ſcripto, ſive mores hominum ibidem expoſiti, minimè congruunt cum moribus Ordinum mendicantium aut Jeſuitarum. Ego ſanè non modò nullum ex dictis Ordinem novi, ſed ne unum quidem in ullo ex laudatis Ordinibus hominem, cujus mores tales ſunt, quales in dicto ſcripto depinguntur. Imò tam aperta eſt calumnia Oudini, qui inter Catholicos diu vixit, ut plùs quàm muliebris ſimplicitatis eſſem, ſi credere poſſem, ipſum tales exiſtimâſſe Ordines mendicantes & Jeſuitas, quales homines inſulſa illa lacinia deſcribit. Fuerit perverſus, fuerit peſſimus Oudinus, atque ea de cauſa facilè mala de aliis formaverit judicia: non ſinam tamen mihi facilè perſuaderi, ipſum adeò fuiſſe inſipientem, ut ſine mendacio ſcribere potuerit, mores Ordinum mendicantium & Jeſuitarum in ſcripto illo rectè exprimi, aut Ordines illos dicto ſcripto fuiſſe prædictos. Ceterùm prophetiam illam veriſimiliter conſictam eſſe circa medium Seculi XIII, & quidem contra Dominicanos & Franciſcanos, quando Guilielmus de S. Amore cum aliis Ordines Mendicantes oppugnare cœpit: poſtea verò nonnihil immutatam, nec inventam in Monaſterio Bingenſi, ubi alia S. Hildegardis ſcripta ſervantur, jam obſervârunt Majores noſtri Tomo I. Martii p. 667 in annotatis ad vitam S. Thomæ Aquinatis.* Hucusque Stiltingus: qui dein §. 14. n. 206. p. 677 ex Papebrochii noſtri itinere Romano MS. ſubdit, quòd inter Eibingenſis (quò an. 1660 idem Papebrochius cum Henſcheniô Moguntiâ excurrerat) Abbatiæ libros fuerit

rit *ingens Volumen membranaceum MS. ac bicolumnare, continens omnia Opera S. Hildegardis: ſed nusquam illa fabuloſa revelatio de hominibus Antichriſtum præceſſuris, quæ contra Dominicanos ac Franciſcanos primùm concinnata, his temporibus de Societatis hominibus expoſita, per calumniatorum noſtrorum manus vagatur cum plauſu ignorantis plebis.*

Denique PP. noſtri Trivoltiani in Memoriis ſuis ad menſem Junium an. 1723. Artic. LXIX à p. 1109 de Oudino & ejus Commentario, Lipſiæ impreſſo, ita ſtatuunt: Mr Oudin a quitté l'Egliſe Romaine & l'Ordre de Prémontré par une double apoſtaſie. Un orgueil ſauvage & intraitable, un attachement opiniâtre à des opinions ſingulieres, l'ont pouſſé dans ce précipice. On ſent dans ſon Ouvrage un homme qui a foüillé dans la pouſſiére des Bibliothéques, & qui a déterré de vieux écrits qui pouvoient bien reſter dans l'oubli; mais ce n'eſt pas toûjours parmi d'anciens parchemins qu'on trouve de la raiſon, du diſcernement, du goût; c'étoit de quoi Monſieur Oudin avoit beſoin; il n'a point connu ſes forces; il devoit ſe borner à nous donner un catalogue des Ecrivains Eccleſiaſtiques omis par Bellarmin, Poſſevin, Labbe, Cave, Dupin: il a voulu s'élever à une partie de la Critique qui demande des talents dont il étoit dépourvû. Ses Diſſertations ſont employées à jetter le ſoupçon de ſuppoſition ſur les Ouvrages des Peres qui incommodent le plus les Proteſtans. Ses conjectures ſont ſi hazardées, qu'apparrement les Catholiques mépriſeront ſes nouvelles tentatives pour obſcurcir la tradition, & les Proteſtans les négligeront.

P.

PAGIUS ANTONIUS. PAGIUS Antonius, Ord. Minorum S. Franciſci, *Criticam Hiſtoricò-Chronologicam* in Annales Baronii ſcripſit, quæ quatuor Tomos complectitur, & cum iisdem Annalibus pariter in anno Chriſti 1198 deſinit. Licèt enim in eo ſcriptionis genere, ſive Annalibus Eccleſiaſticis concinnandis, ipſo Pagio teſte ad an. 1198. num. ultimo, Baronius facilè *excelluerit*: quia tamen nihil omni ex parte perfectum, eosdem à ſe illuſtrari atque ſuppleri, Chronotaxin verò multoties emendari, Pagius non inutile duxit, præcipuè poſtquam complura veterum monumenta è latebris tandem prodiêre, quæ Baronius necdum ſuo tempore vidit. Et certè inſigne hoc Pagii Opus, quod per XXX omnino annos labore propè incredibili ſtetit, Eruditi quilibet pro merito ſuo plurimùm hactenus ſuſpexêre, Auctorémque ipſum *Eruditiſſimi*

ſui Scriptoris axiomate honorârunt, ùt *Papebrochius* in Propyleo Maji ſive in Præfatione ad Conatum Chronico-hiſtoricum Pontificum Romanorum p. 2. n. 8. *Boſchius* T. IV. Julii in Tractatu Prælim. Hiſtor. Chronol. Patriarch. Antioch. p. 86. n. 392. *Operus* T. I. Aug. in Hiſt. Chronol. Patriarch. CP. p. 122. n. 720. Illuſtrius adhuc Elogium Pagio condidêre *Graveſonius* T. VIII. Hiſt. Eccleſ. Colloq. V. p. m. 198, & *Ludovicus du Four de Longuerue*, ùt videre eſt in ipſa Operum fronte, ſive Tomi I. Criticæ Baronianæ; quam Seculi labentis anno quinto Antverpienſibus typis repetiît Franciſcus Pagius, Antonii Nepos, ejusdémque Inſtituti alumnus. Ita verò Eruditis Opus hoc placuit, eáque facilitate inter emptores fuit diſtractum, ut anno rurſus 1727 reſumpta fuerit ejusdem Editio, cujus quidem primi tres Tomi pariter Antverpiam, quartus verò Coloniam Allobrogum, ſive Genevam (ubi ſcilicet etiam priores tres Tomi reipſa prodiêrant) pro Typi loco præſeferunt. Ipſe demum (ut Iſelinum, Menkenium aliósque hìc taceam) Gundlingius Acatholicus, quantumvis aliàs monaſticos religioſósque Scriptores videatur deſpuere (ùt vel ex ſolis ejusdem ad Hiſt. Imp. Prolegomenis liquet v. g. p. 10. in fine: p. 30 §. 37. p. 50. §. 52) in iisdem tamen Prolegomenis p. 19. & p. 47. 48. 49. Pagium ſumma laude extollit, illíque parem haud facilè deinceps ſurrecturum pronunciat.

Veruntamen familiarem Scriptoribus Criticis, etiam præſtantiſſimis, ſortem adeò devitare non potuit Pagius, ut etiam multoties ſive in Hiſtoria ipſa, ſive in Chronologia tam à vero, quàm à veriſimilitudine deſciverit, & ſubinde dictorum immemor ſibimet ipſi contradixiſſe ſit viſus; id quod lectoribus, magìs attentis, & vel *ſolam* Pagii Criticam, vel unà cum Antverpienſibus Sanctorum Actis ritè collatam inſpicientibus, perſæpe ſub oculos cadet. Sic ut pauca duntaxat adducam.

I. Tomo III ad an. 787. n. 7. 8. Donationem Ludovici Pii, Romanæ Eccleſiæ factam, nihil hæſitanter admittit Pagius: ad annum verò 817 num. 7. eandem ùt ſuppoſititiam ſpernit, quin vel verbulò meminerit eorum, quæ antea de hac Donatione velut legitima commemorârat. II. ad an. 792. n. 6. Eginhardum Caroli M. Archi Capellanum fuiſſe, expeditiſſimè negat; & tamen ad an. 826. n. 9. eundem ſub Carolo M. Archi-Capellani munere functum diſertiſſimè affirmat, quin & hìc priſtinam ſuam opinionem ullatenus attingat, apertiúsque retractet. III. Tomo IV ad an. 1055. n. 5. Hermanni Contracti continuatorem nominat *Bertoldum Conſtantienſem*: & tamen mox ad an. 1058. n. 6. velut immemor ſui, Continuatorem hunc vocat *Anonymum*. IV. in

Chronotaxi determinanda vel ſubinde obſcurum vel nimis facilem atque præcipitem Pagium ſæpiùs corrigit Sollerius noſter T. V. Junii in Hiſt. Chronol. Patriarch. Alex. p 21. n. 108. 109. p. 22. n. 113. p. 24. n. 129. 130. p. 40. à n. 210 ad num. 224, ac præcipuè n. 214. 217. 220. item Baërtius T. II. Junii ad XIV Junii in Comment. prævio ad vitam S. Baſilii §. IV. V. ut circa Geſta S. Brunonis, ſive Bonifacii, Pruſſorum Ruſſorúmve Apoſtoli, Baronium (ſua ſcilicet opinione lapſum) Pagius corrigere poſſet T. IV. ad an. 1008. n. 8. ipſe viciſſim multò notabiliùs erravit, cùm Ademari Scriptoris Gallici narrationes, ſeu potiùs decem facilè aut duodecim Ademari errores abſonos tam confidenter adduxit, *ac ſi totidem eſſent veritates*, cùm tamen Ademari narratio *longiùs aberret à veritate, quàm diſſitus fuit à Pruſſia Ruſſiáque Scriptor ejus, in Aquitania Monachus*: prout rite obſervat Janningus T. VI. Junii in Appendice ad diem XIX Junii p. 221. n. 26. 27. 28. & Stiltingus T. I. Sept. p. 482. n. 104. item Vide in hoc Commentario noſtro lit. A. p. 41. verbô: *Ademarus*. VI. in rebus pariter S. Ottonis Ep. Bamberg. *non ſatis accuratum* fuiſſe Pagium oſtendit Sollerius T. I. Julii p. 362. n. 61. VII. Stephano III. Patriarchæ Antiocheno temerè tribuit Pagius T. II. ad an. 479 à num. 2. quæ ex indubitatis argumentis ſoli S. Stephano II Martyri fuerant tribuenda, ùt clarè demonſtrat Boſchius T. IV. Julii in Hiſt. Chronol. Patriarch. Antioch. p. 86 à n. 390. Unde non immeritò idem Boſchius n. 392 contra Pagium exclamat: *Audax enimverò facinus*, & (*quod bonâ Viri eruditiſſimi veniâ dictum ſit*) *non uno ex capite temerarium*! id quod dein à n. 392 ad n. 402 ex confutatis Pagii argumentis copiosè ſimul ac ſolidè dilucidatur. VIII. Similiter elogium, quod Sophronius Hieroſolymitanus texuit Joanni *Cappadoci*, laudatiſſimo Præſuli CPolitano, Pagius T. II. ad an. 596. n. 2. præpoſterè applicat Joanni IV, cognomento *Jejunatori*, homini aliàs ambitioſo ac turbulento. Nimirum, ſi Pagius *textum græcum* (Sophronii) *conſuluiſſet, facilè deprehendiſſet, ſe deceptum fuiſſe ab interprete, cujus fidelitati nimiùm confidit*: ùt ait Cuperus T. I. Aug. in Hiſt. Chronolog. Patriarch. CP. p. 69. n. 385. IX. Ut à Baronii objectione (qui ex malè intellectis Petri Antiocheni ad Michaëlem Cerularium literis Siſinnio II. Patr. CPolitano Joannem, huic verò Sergium II mox ſucceſſiſſe exiſtimaverat) ſeſe eximeret Pagius T. IV. ad an. 1019. n. 5. gratuitum quoddam effugium excogitavit, aſſerens, Sergium illum fuiſſe binominem; atque etiam Joannem appellari. *Sic nempe eruditiſſimus Pagius* (ùt ſubdit idem Cuperus T. I. Aug. l. c. p. 122. n. 720) *ſcindere conatus eſt nodum, quem ſolvere facili negotio poterat, ſi conſuluiſſet Leonem Allatium, qui in Conſenſione perpetua Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ lib.*

lib. M. cap. 8. n. 3. *Græco-latinum hujus Epistolæ fragmentum profert;* ex quo manifestissimè patet, Petrum Antiochenum non de fictitio quopiam Joanne *CPolitano*, Sisinnii Successore, sed de vero Joanne III Patriarcha *Antiocheno* ad Cerularium loqui; cujus Joannis etiam meminit *Bosebius* T. IV. Julii l. antè cit. p. 127. n. 603. 604. X. Tomo IV. Crit. ad an. Christi 1191. n. 6. aliquot Patriarcharum CP. Chronologiam leviter maléque digessit Pagius, ùt advertit *Cuperus* l. c. p. 145. n. 871. XI. Tomo IV. Crit. ad an. 979 num. 9. literas Benedicti VIII ad Othonem Imp. Henricum Bavariæ Ducem, & Archiepiscopos Germaniæ (quorum jam mentio facta à num. 6.) malè retulit Pagius ad an. 977, cùm referendæ sint ad an. 974: ut probat *Stiltingus* T. I. Sept. p. 479. n. 94. in vita S. Stephani Hungariæ Regis: ubi simul p. 482 n. 104 ostenditur, quàm parùm Pagius dictorum suorum memor extiterit, & suismet assertis repugnantia scribat. XII. idem *Stiltingus* T. III. Sept. in Appendice ad vitam S Odgeri Diaconi p. 615. 616. à n. 5 ad 8 rursus apertè declarat, quòd in quæstione de uno vel duobus Plechelmo & Pechtelmo Pagius *sibimet ipsi contradixerit*, *Bollandum ex mera insciția oppugnârit*, denique *disputare voluerit in controversia, cujus fundamenta ignorârit.* Atque hæc paulò ampliùs ibi Stiltingus eo fine deduxit, *ut studiosus lector intelligeret, quàm frivolis rationibus subinde impugnata sint Scripta Majorum nostrorum à Viris etiam magni nominis.* XIII. Pagius T. I. & II Crit. frequentissimè adhibet Chronicon Paschale sive Alexandrinum, atque ex eo Chronotaxin suam utplurimùm ordinat: etsi Sollerius noster T. V. Junii in Hist. Chronol. Patr. Alex. & Stiltingus noster T. III. Sept. in Comment. de S. Pulcheria Chronicon illud multoties fallere, imò fabulis etiam inquinari affatim detexerint. Vide in hoc Commentario nostro lit. C. verbò: *Chronicon Alexandr.* p. 125. 126. XIV. Denique Pagii Chronologia adeò ubique *certa* non est (qualem tamen ipse non rarò venditat) ut dum alios v. g. Baronium, Bollandum, Papebrochium, ceterósque Hagiographos Antverpienses erroris redarguit, ipsemet sæpenumero non leviter hallucinetur: imò & recentioribus monumentis, dummodo illius sententiæ faveant, justò tenaciùs nullò scrupulò inhæreat, antiquiora verò probatioráque monumenta, si ejusdem opinamentis obfuerint, pro lubitu suo repudiet: quemadmodum ubertim id docet *Suyskenus* T. III. Sept. in vita S. Hilari Pont. Rom. p. 570. 571 à n. 82 ad 89, præcipuè n. 87: ubi Catalogos Pontificum (si quando Chronotaxin suam, jam antè sibi præfixam; cum iisdem componere nequeat) modico sanè loco à Pagio haberi ostendit, ideóque illius confidentiam non immeritò ita corripit Suyskenus: *Ille confidenter annos, menses, dies, in iis* (Catalo-

gis) *enumeratos, auget aut minuit, & ſæpe levi de cauſa. Judicavit igitur Pagius, Catalogos iſtos non carere erroribus ſat frequentibus, dum enumerant annos, menſes & dies Summorum Pontificum: atque ea de re ipſe dubitare nequeo, dum Catalogos iſtos perluſtro. Hinc ſatis mirari non poſſum, qua demum ratione ppiniones ſuas, ſeu computationes, tam ambiguo fundamento nixas, ùt certas* (ſi nempe alibi illius opinioni conſentiant) *obtrudere voluerit Pagius, cùm nihil certi ratiocinando inveniri poſſit, niſi fundamenta ſint utcumque certa.* Item Vid. *Stiltingus* tum T. III. Sept. p. 518. n. 73. 74. in Comment. de S. Pulcheria §. VIII. & p. 519. n. 80. tum T. V. Sept. in Annotatis ad Acta S. Euphemiæ p. 279. lit. a: ubi denuo Baronius, à Pagio malè correctus, defenditur. Hæc pauca de multis notâſſe ſufficiet.

Quare licèt perennem omnino laudem per innumera alia ſibi comparaverit Pagius, quibus Baronii Annales partim adauxit, partim finceriore chronotaxi ornavit: multò tamen conſummatius beneficium Orbi literato præſtabit, quisquis priùs ipſummet Pagium ex Antverpienſibus SS. Actis rite ſupplebit aut emendabit, & tum denique Baronium, ita illuſtriùs auctum & puriùs emendatum, iterata luce prelóque feliciore donabit.

PANEGYRISTA BERENGARII. PANEGYRISTA BERENGARII Anonymus, qui Imperatoris & Italiæ Regis Berengarii laudes heroico carmine fuit complexus, num coævus huic Cæſari fuerit, dubitatur. Pagius Tomo III Crit. ad an. 894 n. 2. & 3. incertum id eſſe pronuntiat, eoquòd falsò ſcripſerit Poëta, quòd jam an. 894 Arnulphus adierît Romam, cùm tamen id anno primùm 896 factum, ùt ex Auctoribus certò contemporaneis liquet. Unde licèt coætaneos etiam Auctores ſubinde falli, Pagius admittat, hic tamen Panegyriſtæ error illi gravior videtur, quàm ut ab æquali Auctore eum committi potuiſſe concedat. Verùm nihil hic error moratur Hadrianum Valeſium, atquè Eckhartum, quò minùs ille in Præfatione ad Carmen hoc Panegyricum, hic verò T. II. Comment. de Rebus Franciæ Orientalis p. 707. n. 366. Poëtam hunc Synchronum putent. Et ſanè ea, quæ de Widonis ac Berengarii bellis, maximè autem de Imperatoria Berengarii conſecratione plùs omnibus diſtinctiſſimè & minutiſſimè Poëta hic cecinit, haud ægrè perſuadebunt Lectori, ſingula illa vix ab alio, quàm contemporaneo, conterraneo, & oculato teſte potuiſſe notari atque conſcribi; ſive dein hic ipſe Poëta fuerit primus, qui ea mox adnotârit, & heroico ſermone ligârit: ſive fuerit alius, qui quæ viderat, ſoluta primùm narratione retulerit, tum verò acceſſerit alius, qui ut ingenii ſui ſpecimen ederet,

ret, Scriptoris coætanei profam fideliſſimô metrô conſtrinxerit: id quod utique etiam à poſterioris temporis vate fieri potuiſſe, nemo negaverit. Aſt cùm de alio Scriptore quopiam, qui tam exactam de Berengarii rebus notitiam jam ante hunc Panegyriſtam privato calamo exceperit, nihil habeamus perſpectum, ipſummet veroſimiliùs Poetam Berengarii temporibus vixiſſe crediderim: ùtùt errata quæpiam huic Poëmati ineſſe Eruditi obſervent. *Vid. Pagius* T. III. ad an. 894. n. 1. 2. & 5. in fine. *Eckhartus* l. c. p. 698. n. 352. p. 752. n. 19. in fine. Edidit *primò* hoc Carmen *Hadrianus Valeſius*: dein *Leibnitius* T. I. Script. Brunsvic.

PAPEBROCHIUS. Vide lit. *A.* verbô: *Acta SS.* p. 35. 36. 38. 39.

PARISIUS Matthæus, Anglus Monachus S. Albani, præter Vitas Abbatum Albanenſium & quorumpiam Sanctorum, conſcripſiſſe fertur *primò* Hiſtoriam Anglicanam *Majorem* ab anno 1066 ad 1259, ùt conſtare videtur ex continuatione & ſupplemento ejusdem Hiſtoriæ usque ad an. 1273. quod alius S. Albani Monachus, Guilielmus Rishangerus, attexuiſſe creditur. Edita eſt Londini an. 1571. 1640. 1684. Tiguri in Helvetia an. 1589 & 1606: Pariſiis 1644. Eam ex Bibliothecis Anglicanis tempore Eliſabethæ Reginæ emerſiſſe ex præfatione ad Lectorem certum eſt, ut mirum non ſit, ſi multa & ſæpe in Pontifices Auctor aut veriùs Auctoris editor & adulterator declamet; *ceterùm opus eſt omni ex parte laudatiſſimum*, ùt cenſet Card. Sfondratus in Regali Sacerdotio l. 1. §. 6. p. m. 174. Hujus Pariſii (ſi tamen Pariſii) Hiſtoriæ Partem primam propè verbotenus exſcripſit Matthæus Weſtmonaſterienſis, ùt advertunt Iſelinus in Lexico, & ipſa indicat ad Lectorem Præfatio, quæ Matthæi Weſtmonaſterienſis Hiſtoriæ ſeu *Floribus Hiſtoriarum* in Editione Francofordienſi de anno 1601 præmittitur. *Secundò*: ſcripſiſſe dicitur Hiſtoriam *minorem*, in qua contractiùs & per compendium ea enarret, quæ prolixiùs antè in Hiſtoria majore prodiderat. Francofordienſis verò ad Weſtmonaſterienſem præfatio ait, quòd Pariſius Hiſtoriam ſuam majorem reviderit, & inde aliqua in Hiſtoria minore, ſecundis ſcilicet & melioribus curis elaboratâ, partim expunxerit, partim addiderit. Aſt, niſi ex certioribus indiciis ac documentis hæc probari aſſertio poſſit, vereor potiùs, ne poſterior quispiam Scriptor aut Editor majus Pariſii Opus in Lectoris gratiam partim contraxerit, partim interpolârit; qui enim ad majora volumina animum ſemel adjecêre, plerumque in id magis incumbere ſolent ut cœptum Opus ad ſua usque tempora continuent, quàm ùt tem-

PARISIUS

tempus compendiis perdant: epitomandi verò laborem libentiùs aliis post fua fata relinquunt.

2. Nunc de Parisio, Parisive Historia, Eruditorum opiniones subjicio. Spondanus in Continuatione Annalium Baronii ad an. 1225 n. 6. nullam se fidem adhibere ait *Matthæo Parisio in rebus Pontificum & Ecclesiæ Romanæ mentiri solertissimo*: Bellarminus L. de Script. Eccl. *Quoniam hæc Historia Parisii ejusque continuatoris edita est ab hæreticis Tigurinis, cautè legenda est: non pauca enim leguntur tum in ipso libro, tum in notis marginalibus, quæ videntur addita ab hæreticis, ad invidiam Romanæ Ecclesiæ conflandam.* Possevinus in Apparatu Sacro verbô: *Matthæus*: Eadem Parisii Scripta in falsi & impostura suspicionem jure merito vocat, eoquòd jam ante Londinensem Editionem Flaccus Illyricus (notissimus ille librorum & testimoniorum adulterator, à Gretsero pridem castigatus) terniones quosdam ex prætensa Parisii Historia etiam ipse in Centuriis suis seu veriùs pseudologiis Magdeburgicis recitârit. Baronius T. X. Annal. ad an. 996. n. 63. ita habet: *Quàm fuerit animo infensissimo* (Parisius) *in Apostolicam Sedem... quivis facilè poterit intelligere* (*nisi probra illa fuerint additamenta potiùs ejus qui edidit novatoris, hæretici hominis, cùm peculiare sit illis, libros, quos potuerint, depravare*) *dum nullâ in eo libro prætermittitur occasio carpendi Romanos Pontifices, imò & sine occasione, omnia ipsorum facta in deteriorem accipiens partem, cordis Secreta rimans, & in malum sensum semper interpretans, in eos, eorumque ministros acerbissimè invehitur semper, nec parcit unquam... dum etiam quæque sancta, quæque justa ac pia in pravum sensum accipiens, sugillat pariter & infamat. Sed quid accidit? cùm liber iste indignus luce à majoribus judicatus, occultatus lateret in Angulo: his ipsis temporibus nostris emersit in lucem, Novatoris operâ editus Londini in Anglia, Anno Redemptoris Millesimo Quingentesimo Septuagesimo primo. A quo libro si quis demat calumnias, invectivas, dicacitates, & blasphemias in Apostolicam Sedem frequenter iteratas, aureum sanè dixerit commentarium, utpote quod ex publicis monumentis, totidem verbis redditis, egregiè contextum & coagmentatum inveniatur.*

3. *Solerius* T. V. Junii in Appendice de Coptis Jacobitis p. 129. n. 127. de Parisio inquit: *habet hic in Henrico III ipsissima verba Vitriaci* (de cauterio ad baptismum junctо, atque ad omnes Jacobitas à Vitriaco per errorem extenso) *ne apice quidem immutato, præter ineptam marginalem additiunculam, quâ Nestorianorum hæresin sese referre testatur, dum de Jacobitica differit. Cætera taceo non satis exacta; dum sic loquitur, ac si quæ Vitriacus viderat, oculis ipse suis contemplatus fuisset, quem Europâ egressum nullibi legimus. Unde suspicari libet, totum illud Vitriaci Capitulum LXXVI ab alio quopiam Parisii historiæ insertum. Quòdque magis mirêre, postquam ex*

lite-

literis F. Philippi, Ordinis Prædicatorum Terræ Sanctæ Vicarii Provincialis, ad Summum Pontificem datis anno 1237 *(ut est in novissima Editione) diserte tradiderat, non Asiaticos, sed Ægyptios Jacobitas, Circumcisionem adhibere: sui immemor, continuò ex Vitriacensi, illam universis Jacobitis impingit*

4. *Cuperus* T. I. Aug. p. 451. n. 479 in Comm. præv. ad Vitam S. Dominici, postquam aliquos Parisii errores historicos strictim tetigit, ita pergit: *istud elogium, quod hic* (scilicet ad an. 1198 pag. 134 Edit. Parisinæ) *antiquis Prædicatoribus* (primis PP. Dominicanis) *tribuit, prorsus non caberet cum contumeliosis dicteriis, quibus eosdem in illo Opere alibi incessit. Unde non temerè suspicabimur, ab hæreticis Editoribus huic Operi insertas esse plerasque calumnias, quibus sub nomine Matthæi Parisiensis contra Romanos Pontifices ac religiosos Ordines furiosè debacchari solent.* Adducit dein Cuperus alium Matthæi Codicem, minùs corruptum, sive *Cæcilianum*. In Historia verò Chronologica Patr. CP. eodem T. I. Aug. hæc de Parisio idem hagiographus notat: *Matthæus Parisius illas Germani* (Patr. CP.) *literas* (ad Gregorium IX Pontificem) *in sua Historia majore ad Annum Christi* 1237 *exhibet; sed eas pro suo odio contra Romanam Curiam adjectis calumniis auxit, nisi potiùs cum Raynaldo ad A. C. MCCXXXIX n. 49. suspicari velis, id factum fuisse ab illo, qui Londini primus hoc Opus Matthæi typis mandavit. Certè Waddingus in Annalibus Minorum ad A. C.* 1232 *n.* 35. *affirmat in Codice Vaticano non legi hæc contumeliosa verba, quæ Editioni Londinensi aliisque eam secutis, sic inseruntur*: „ Et ut veritatis me„ dullam attingamus, multi potentes ac nobiles vobis obtemperarent, „ nisi injustas oppressiones, & opum protervas exactiones & servitu„ tes indebitas, quas à vobis subjectis extorquetis, formidarent. „ *Deinde Waddingus ibidem variis argumentis ostendit, istam calumniam temerè ab aliquo Romanæ Ecclesiæ obtrectatore illuc intrusam esse.* Ita Cuperus. Profectò ipsimet Græci in Synodo, apud Nymphæam Bithyniæ oppidum ab eodem Germano Patriarcha CP. postmodum instituta, coram Nuntiis Pontificiis (Vide Cuperum l. c. n. 946.) non aliam sui Schismatis causam allegârunt, quàm Azymum Latinorum, & doctrinam de Processione Spiritûs S. ex Patre & Filio. Itaque non illæ exactiones, in Germani Epistola assertæ, Origo Schismatis & *veritatis medulla* fuêre, meritóque censetur, quòd excogitata de exactionibus ratiuncula non nisi per deceptorem maledicum recentiùs in Parisium irrepserit, & quidem per talem deceptorem, qui spuriam Sanctionem Pragmaticam, velut à S. Ludovico Rege contra Romanas ejusdem ævi exactiones profectam, similiter ùt veram admiserat, atque ita duplici quodammodo argumento ac testimonio adversus illius temporis exactiones Romanas voluerat uti.

5. Stil-

5. *Stiltingus* T. V. Aug. p. 367 à n. 416 ad 429 literas tum Gregorii IX ad Gallos, tum Gallorum ad Pontificem (quæ apud Parisium leguntur ad an. 1239 p. 350 Edit. Parisinæ, & à Fleuryo, Patre Daniel ad an. 1239, Nat. Alex. T. VII. Hist. Eccl. p. 376. aliisque Gallis: item à Struvio in Corp. Hist. Germ. & ab Hahnio in Hist. Imp. P. IV. p. 769 lit. X. ut genuinæ habentur) fictitias omnino esse & nullam verisimilitudinis speciem habere, efficacissimè probat; addit tamen num. 422: *nisi hæc fortè ab impostore quodam ejus historiæ cum multis aliis sint inserta: quod, ubicunque verba Parisii recido, semper sub dubio intellectum cupio.* Et num. 423: *Hinc tutò licet concludere, hæc omnia, quæ ex Parisio dedimus, commenta esse illius, vel alterius, qui ne quidem novit rebus & personis convenientia fingere: nihilque ex omnibus fide dignum esse, nisi quod ex Alberico diximus, imperium Roberto oblatum à Pontifice, nec admissum.*

6. Rursus T. V. Aug. p. 282. n. 35. idem *Stiltingus* in vita S. Ludov. Regis: „ Floruit S. Ludovici tempore Matthæus Paris, Anglus, Monachus Benedictinus, & non pauca de Gestis Regis Sancti Historiæ suæ inseruit. Verùm notare hìc juvat mirabilem hujus Viri in scribendo varietatem, & inconstantiam paucis observare, ne ipsius maledicentia lectorem incautum decipiat. Laudat frequenter S. Ludovicum, tum à justitia, tum à pietate, tum ab eximia sanctitate: idem tamen, si incorrupta ad nos pervenerit ejus Historia, verbis subinde in eundem invehitur acerbissimis.... nec desunt Auctores Galli, qui illa jam confutârunt, non magni ponderis in hisce auctoritatem Parisii existimantes, & meritò quidem, utpote qui tam diversa de eodem Rege enarrat, ut si ejus tantùm Scripta legas, modò injustum putes, modò justissimum. „ Numero dein 46. ita prosequitur: „ Quemadmodum in Regem sanctissimum non satis æquus subinde Parisius, ita & in Summos Pontifices, eorúmque administros frequenter bilem exonerat; nec rarò hac de causa vapulat apud Baronium, aliósque Scriptores Catholicos. Verùm non satis constat, utrum hæc omnia ipsi Parisio imputanda sint; an ejus Historiæ à malevolo quopiam deinde fuerint inserta. Certè Joannes Pitseus de Illustribus Angliæ Scriptoribus ad an. 1259, quo ejus ponit obitum, pag. 338 dubium suum hac de re ita declarat: *Hæc tamen & similia utrum ab ipso sic scripta, an ab aliis illi falsò adscripta fuerint, nihil ausim certò affirmare, maximè cùm quorundam sit opinio, multa ejus Scripta recentiùs edita, incorrepta, imò corrupta, & nonnihil depravata in lucem prodiisse.* Jam verò ne quis existimet, Parisium solummodo maledicæ calumniandi licentiæ accusari ab amantibus Romanum Pontificem Scriptoribus, lubet de ejus hoc vitio loquentem

" tem audire heterodoxum, quem nullus de nimia in Romanam
" Eccleſiam indulgentia ſuſpectum habere poteſt. Caſimirus Oudi-
" nus Tomo III de Scriptoribus Eccleſiaſticis col. 209 de eo ſic habet: „
Omnes enim ſecat, universos pungit, ac ſi nulli omnino mortalium aut parcere aut condonare, rigidiſſimè ſibi propoſuiſſet: non Epiſcopis ſcilicet, non Magnatibus, non Regibus, non Imperatoribus, imò nec ipſi Papæ, nec Abbati proprio. At tanquam furioſus quispiam in trivio, ex quacunque plagâ viator ſupervenerit, Tros Rutulúsve fuat, hoſpes, an hoſtis: ſi illi non placuerit, flagris miſellum adoritur, lorisque malè multatum, procul arcet & abigit. Porro, inquit poſt pauca, *excuſare hominem ac dealbare, quem putant æthiopem, nititur Willielmus Wats Anglus Preſbyter.* Cujus productis verbis, ita reſpondet inter alia: *Unum dicam, unde vix à quoquam excuſari unquam poſſit, Matthæum Pariſienſem fuiſſe ingratiſſimum ac ſuperbum Monachum.*
" Quod probat deinde ex *infami plagio*, quo *Chronicon Rogeri de Wen-*
" *dover* pro ſuo deſcripſerat. Hæc ille & plura hujusmodi. Hinc col-
" liget Lector, non omnia pro certis habenda, quæ in Hiſtoria Pari-
" ſii de S. Ludovico reperiuntur ſcripta, præſertim ubi de controver-
" ſiis agitur Gallos inter & Anglos; aut de modo agendi cum Summo
" Pontifice. „ Ita *Stiltingus*, qui l. c. n. 37. ſequentia ſubjicit: Ce-
" terùm quæ de Sancto Rege Hiſtoriæ ſuæ inſeruit (Pariſius) bile va-
" cuus ac partium ſtudiô; quamvis non ea ſimplicitate verborum ſcri-
" pta ſint, quâ reliqui ferè Auctores, quos enumeravimus hacte-
" nus, res geſtas S. Ludovici referunt, non tamen videntur omnino
" rejicienda; cum Auctor ſit coævus, nec ſuſpicari poſſimus, illa fuiſ-
" ſe à quopiam deinde adjecta. Veruntamen ne hæc quidem om-
" nia proferemus ſine delectu aliquo; cùm longas quandoque referat
" perſonarum ſermocinationes tantâ fiduciâ, ac ſi rei geſtæ ipſe affuiſ-
" ſet, verbáque omnia præſens literis conſignâſſet; quamvis in iis
" non à vero tantum, ſed à veriſimilitudine quoque ſubinde aberret.
" Magnâ igitur cautelâ opus eſt, ut rectè utamur Hiſtoriâ Pariſii, ne
" inſulſas ejus meditationes pro veris hiſtoriis incauto lectori obtru-
" damus. „ Demum Natali Alexandro, qui ultimum Sanctionis Pragmaticæ (S. Ludovico Regi affictæ) Caput contra Romanæ Curiæ exactiones, tanquam authenticum & incorruptum, ex Pariſii hujus Hiſtoria ad an. 1247 conatur defendere, paucis ſatisfacit idem Stiltingus, T. V. Aug. p. 496. n. 1018. atque Natalem per Natalem ita confutat: *infenſiſſimo Scriptori* (qualem ipſe Natalis T. VII p. 138 Pariſium ex Baronio depinxit) *non creditur, præſertim ſi ea proferat, quæ aliunde nulla veri ſpecie veſtiuntur.*

7. Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad an. 1073. n. 40. refert ex Analectis ſuis tumultum inter Monachos S. Audoëni & Archiepiſcopum Rotomagenſem, ob S. Audoëni reliquias in ipſa hujus Sancti Eccleſia ortum: falſitatisque convincit Matthæum Pariſium, qui frivolè ſcripſit aut finxit, Joannem Archiepiſcopum eo in tumultu fuiſſe peremptum. Mabillonium ſequitur Cuperus noſter T. IV. Aug. p. 803. n. 51 §. IV. in Comment. præv. ad vitam S. Audoeni Ep. ſeu Dadonis. Atque ut de compluribus aliis falſitatum, errorum, mendaciorum, criminationum & aculeorum centuriis, quibus integrum exiſtimati Pariſii Opus plusquàm erinacei more riget & pungit, aliqua duntaxat recenſeam: fabulatur *Primò*: quòd Equites S. Joannis Jeroſolymitani, & Templarii Fridericum II Imperatorem turpiſſimè voluerint prodere Soldano Babyloniæ, etiam poſt pacem cum eo jam initam: qua tamen de re ne nec ipſe Fridericus in literis conqueſtus legitur, nec alii Scriptores (unum fortè Conradum Urspergenſem, per Acatholicos ſimiliter editum & depravatum, ſi excipias) quidpiam meminiſſe noſcuntur. Profectò ſi tam ingentis perfidiæ rei fuêre hi Equites & ipſa illorum ad Soldanum Epiſtola (ùt Pariſius refert) in Cæſaris manus per Soldani nuntium eſt conſignata: quis porro dubitet, quin Imperator ultrà, quàm dici poſſit, offenſus commeritam de tanto ſcelere pœnam ad ſaluberrimum plurimorum terrorem è veſtigio ſumere voluerit atque debuerit? Aſt nulla uſpiam Cæſaris iræ, nulla in Equites vindictæ, apud contemporaneos Auctores mentio extat. Fabulatur *Secundò* de Joanne *ſine terra*, Angliæ Rege (qui an. 1216 vitâ Regnóque deceſſit) quòd in fide orthodoxa parùm conſtans, de Reſurrectione Corporum aliiſque dogmatum capitibus malè ſenſerit, impia quædam atque blaſphema ſæpe evomuerit, & ad ejurandam Religionem Chriſtianam jam jámque paratus, etiam legatos miſerit ad Miramolinum Africæ & Marrochiæ Principem, ut ei ſuum Angliæ Regnum obnoxium redderet, ac vectigale. *Vid. Pariſius* à p. m. 233. 234. 235. Edit. Tigur. quæ ſi quis exactè perpenderit, & tam Miramolini quàm legatorum colloquia rite contulerit, non modò vaniſſima nugatoris commenta, nullámque veriſimilitudinis micam agnoſcet, ſed ipſam etiam Roberti Clerici quà legationem, quà allocutiones & conteſtationes prætenſas meriſſimum tenebrionis cujusdam figmentum eſſe, & in Joannis odium, qui ſcilicet Angliæ Regnum Romano Pontifici tributarium fecerat, totam illam de Miramolino laciniam veroſimiliter à recentiore Novatore, jurato Pontificis hoſte, malè conſarcinatam fuiſſe, judicabit: id verò, quod ad totius de Anglicana hac legatione narrationis finem p. m. 235 attexitur de *Matthæo, qui & hæc*

ſcripſit

scripsit & enarravit, & ex ipsiusmet Roberti ore *sibi collata & dicta audiisse* prætexitur, non alio utique fine interpolator adjecit, quàm ut simpliculus lector subdititi hujus testis auriti testimonio deceptus promptiorem inconcinnæ fabulæ fidem impenderet.

8. Certè ridicula partim, partim contumeliosa, & ad heterodoxi Spiritûs indolem accomodatissima videri poterunt illa, quæ p. 233 & p. 235 velut ex tripode Delphico, aut tanquam Sibyllæ folia recitantur. Nam pag. 233 ad an. 1213 ita compilator ineptit: *Cùm dicti Petri* (Angliæ totius Justiciarii, & firmissimæ regni Columnæ) *mors Regi Joanni nunciaretur, cachinnando dixit*: CUM VENERIT IN INFERNUM, SALUTET HUBERTUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM, QUEM PROCUL DUBIO IBI INVENIET. *Et conversus ad circumsedentes, subintulit dicens*: PER PEDES DOMINI, NUNC PRIMO SUM REX & DOMINUS ANGLIÆ. *Habuit igitur ex tunc potestatem liberiorem, juramentis suis & pactis, quæ cum ipso Gaufrido dolente fecerat, contraire... Misit ergo nuncios secretissimos cum festinatione summa... ad Admiralium Murmelium regem magnum Aphricæ, Marrochiæ & Hispaniæ, quem vulgus Miramumelium vocat, significans eidem*, QUOD SE & REGNUM SUUM LIBENTER REDDERET EIDEM & DEDERET & DEDITUM TENERET AB IPSO: SI PLACERET EI SUB TRIBUTO. NEC NON & LEGEM CHRISTIANAM, QUAM VANAM CENSUIT, RELINQUENS, LEGI MAHOMETI FIDELITER ADHÆRERET. Tum descripta inter futilissimas circumstantias totius legationis, & repudiati à Miramolino Regis Angliæ serie, illico conviciator p. 235 subjungit: *Ex tunc igitur Rex Joannes præconceptum propositum suum, à quo credidit resilire, & suam cœpit conditionem deteriorare, & deterioratam in perniciem regni solidare. Oderat quippe quasi virus vipetium omnes Regni Generosos, præcipuè tamen Suerum de Quency, Robertum filium Walteri, & Cantuariensem Archiepiscopum Stephanum. Noverat autem & multiplici didicerat experientiâ*, QUOD PAPA (cui jam antea eodem anno 1213. 15 Maji juxta pag. 227 & 228 se suúmque Regnum Joannes solenne inter homagium subjecerat) SUPER OMNES MORTALES AMBITIOSUS ERAT & SUPERBUS; PECUNIÆQUE SITITOR INSATIABILIS, & AD OMNIA SCELERA PRO PRÆMIIS DATIS VEL PROMISSIS CEREUM & PROCLIVUM. *Missis igitur sub omni festinatione nunciis, magnam thesauri summam ipsi transmisit, & promisit ampliorem, spoponditque* (quasi verò id nunquam fecisset, quod paulò antè jam fecerat) *suum se esse & semper fore subjectum tributarium, ea conditione, ut nacta subtiliter occasione, Cantuariensem Archiepiscopum confundere niteretur, & Barones Angliæ, quos pridie foverat,*

excommunicaret... Diebus quoque ſub eisdem adeò deſipiebat Rex Joannes, UT DE MORTUORUM RESURRECTIONE FUTURA & ALIIS FIDEM CHRISTIANAM CONTINGENTIBUS, MALE SENTIRET, *& quedam irrecitabilia diceret deliramenta, quorum unum duximus memorandum. Contigit, ut venatu capto cervo quodam pinguiſſimo, in præſentia Regis cum excoriaretur, Rex rideus & derideus diceret*: O QUAM PROSPERE VIXIT ISTE! NUNQUAM TAMEN MISSAM AUDIVIT.

9. Pag. verò 237 ad ejusdem an. 1213 menſem *Octobr.* deſcribitur Legati Apoſtolici, Epiſcoporum & Procerum in Londonienſi S. Pauli Eccleſia Conventus, & *innovata illa non formoſa, ſed famoſa ſubjectio, quâ in manum Domini Papæ diademate cum regno reſignato tam dominium Hyberniæ, quàm regnum ſubdidit Anglicanum. Charta quoque Regis, de qua ſuperiùs diximus, quæ priùs cerâ ſignata fuerat, & Pandulfo tradita, nunc auro bullata eſt, & legato ad opus Domini Papæ & Romanæ Eccleſiæ reſignata.* Subjunguntur dein ad menſem *Novembrem* iteratus cum Rege Procerum Cœtus, ad menſem *Decembrem* alius ad Radingum, præſente Apoſtolico legato, Regni Ordinum cum Rege tractatus, denique ipſius Innocentii IV literæ, Laterani in Joannis Regis favorem *Calendis Novembribus* datæ. Jam verò quis poſteriorem hanc paginæ 237 narrationem, quoad rerum & temporis ordinem veroſimillimè omninò veriſſiméque digeſtam, cum prioribus illis fabulamentis rite conciliet, quæ à p. 233 ad 235 ineptiſſimè interſeruntur? Obiit juxta pag. 233 Petrus Juſtitiarius an. 1213. 2. *Octobris* die: *poſt hujus obitum* ſecretiſſima quantociùs ad Miramolinum legatio, & legatorum ex Africa in Angliam reditus: poſt fruſtratam hanc legationem nova rurſus Oratorum Anglicanorum in Italiam ad Pontificem profectio & Joannis erga Romanam Sedem ſubjectio, cum eodem adhuc anno 1213 connectuntur (quæ ſola quis jam credat?) & tamen juxta pag. 236 & 37 *circa Feſtum S. Michaëlis* an. 1213. Nicolaus Apoſtolicæ Sedis Legatus jam venerat in Angliam, Pacis arbiter inter Regem & Regni Optimates futurus: menſe *Octobri* (quo idem Petrus Juſtitiarius paulò antè obiêrat) Angliæ Hiberniæque Regina in Legati manus ſolenniter & publicè tradidit Joannes: tam legatus denique quàm ipſe Innocentius Pontifex largiſſimum omnino favorem tum circa vacantes Eccleſias, tum circa moleſtus cum Proceribus lites Joanni Regi eodem adhuc anno exeunte impertiêre. Quis amabò cum poſteriori hac magiſque ordinata narratione non modò exoticæ legationis Mauricæ cauſas, tempus, & ſeriem, ſed & heteroclitos, atque à regali erga Pontificem Eccleſiámque Romanam homagio (cujus jam ad 15 Maji ejusdem anni 1213 à pag. 227 explicatiſſima facta eſt mentio,) penitus abhorren-

horrentes Joannis mores & dicta rite componat? præcipuè cùm & pag. 277 ad an. 1216 ejus obitus, qui 17. Octobris contigit, ita veracius describatur: *invalescente morbo, ab Abbate de Croestuna consilium confessionis & Eucharistiam suscepit. ... Et his ita gestis, sciscitatus est ab eo Abbas de Croestuna, si ipsum mori contingeret, ubi vellet eligere sepulturam. Cui Rex respondens, dixit: DEO & Sancto Ulstano corpus & animam meam commendo. ... Speradum est autem & certissimè confidendum, quòd quædam bona Opera, quæ fecit in hac vita, allegabunt pro eo ante tribunali JESU CHRISTI.*

10. Fabulatur & conviciatur *tertiò*, cùm ad an. 1256 p. m. 910. detestabilem librum: *Evangelium æternum*: blasphemis erroribus & insaniis fartum ex obscurissima fama FF. Prædicatoribus tribuit, quorum scilicet infensissimum ubique hostem se prodit. Sed hanc calumniam refellit Odoricus Raynaldus ad an. 1256 n. 20: imò Gravesonius ait P. II. Tomo V. Colloq. III. p. m. 76. pestiferum hunc librum publico Ecclesiæ judicio damnatum flammisque addictum fuisse an. 1208, septennio ante institutum FF. Prædicatorum Ordinem. Simile de Prædicatorum & FF. Minorum doctrina commentum occurrit apud Pseudo-Parisium ad an. 1243, p. m. 593. Multò autem apertiùs fabulosa calumnia texitur *Quartò*, cùm ad an. 1243 p. m. 592 ita contra FF. Minores & Prædicatores calamus mordacissimus stringitur: „ Ne mundus, inquit, turbinibus undique multiplicatis vacare videretur, inger Fratres Minores & Prædicatores controversia eisdem temporibus « vernilata, multos, eoquòd viam perfectionis, videlicet paupertatis & patientiæ videbantur elegisse, movit in Admirationem. Asserentibus enim Prædicatoribus, se fuisse priores, & in hoc ipso « digniores, habitu quoque honestiores, à prædicatione meritò nomen & officium se sortiri, & Apostolica dignitate verius insigniri, « respondent Minores: se arctiorem vitam & humiliorem pro DEO « elegisse, & idcirco digniorem, quia sanctiorem, & ab Ordine Prædicatorum ad ordinem eorum fratres posse & licenter debere, quasi « ab inferiori ad Ordinem arctiorem & superiorem, transmigrare. « Contradicunt eis in faciem Prædicatores, asserentes, quòd licèt « ipsi Minores, nudipede & viriliter tunicati, cinctique funiculis incedant, non tamen eis esus carnium, etiam in publico vel dieta « propensios, denegatur, quod fratribus est Prædicatoribus interdictum: quapropter non licet ipsis Prædicatoribus ad Minorum Ordinem, quasi arctiorem & digniorem, avolare, sed potius è converso. Sic sic igitur, sicut inter Templarios & Hospitalarios in Sancta Terra, sic & inter illos, humani generis inimico Zizania seminante, ortum est discordiæ enorme scandalum, & quia Viri licen-

„ ti ſunt & Scholares, univerſali Eccleſiæ nimis periculoſum, *in indi-*
„ *cium magni Judicii præ foribus imminentis.* Et quod terribile eſt, & in
„ triſte præſagium, per trecentos annos vel quadringentos, vel am-
„ pliùs Ordo Monaſticus tam feſtinanter non cœpit præcipitium, ſi-
„ cut eorum Ordo, quorum fratres jam vix transactis viginti qua-
„ tuor annis, primas in Anglia conſtruxêre manſiones, *quarum ædificia*
„ *jam in regales conſurgunt altitudines. Hi jam ſunt, qui in ſumptuoſis & dia-*
„ *tim ampliatis ædificiis, & celſis muralibus*, theſauros exponunt impre-
„ ciabiles, paupertatis limites & baſim ſuæ profeſſionis, *juxta Prophe-*
„ *tiam Hyldegardis Alemanniæ*, impudenter transgredientes. Morituris
„ magnatibus & divitibus, quos nôrunt pecuniis abundare, diligenter
„ inſiſtunt, non ſine Ordinariorum injuriis & jacturis; ut emolumen-
„ tis inhient, confeſſiones extorquent, & occulta teſtamenta, ſe
„ ſuumque Ordinem ſolùm commendantes, & omnibus aliis præpo-
„ nentes. Unde nullus fidelis, niſi Prædicatorum & Minorum rega-
„ tur conſiliis, jam credit ſalvari. In acquirendis privilegiis ſolliciti,
„ in curiis Regum & potentum conſiliarii, & cubicularii & theſaura-
„ rii, paranymphi, & nuptiarum præloquutores, Papalium extor-
„ ſionum executores, in prædicationibus ſuis vel adulatores, vel mor-
„ daciſſimi reprehenſores, vel confeſſionum detectores, vel incauti
„ redargutores. Ordines quoque authenticos & à Sanctis Patribus
„ conſtitutos, videlicet à Sanctis Benedicto & Auguſtino, & eorum
„ profeſſores, contemnentes (prout in cauſa Eccleſiæ de Scarde-
„ buce, in qua Minores turpiter ceciderunt, patuit) ſuum Ordinem
„ aliis præponunt. Rudes reputant, ſimplices & ſemilaicos, vel po-
„ tiùs ruſticos, Ciſtercienſes Monachos: Nigros verò, ſuperbos &
„ Epicuros. „

11. Sanè ſi quis mirificas de utroque hoc florentiſſimo & tum temporis recentiſſimo Ordine laudes tum apud ipſummet Pariſium ad annos 1198, 1208 & 1227, tum apud Conradum Urſpergenſem ejusdem ævi Scriptorem, tum denique in Summorum Pontificum literis, Conſtitutionibus, & Diplomatibus (quæ Natalis Alex. exhibet T. VII. Hiſt. Eccl. p. 94. 95. 238. 239. 240) attentè perlegerit: prioris, quam ex Pariſio ad an. 1243 retulimus, narrationis palmares calumnias atque mendacia non à Scriptore Monaſtico (qualis Pariſius dicitur, quiſque inſuper in ea ipſa Hiſtoria ad an. 1248 p. m. 730. 731 tam ab Holmienſibus in Norwegia Monachis, quàm ab ipſomet Summo Pontifice Innocentio IV, ùt Vir *prudens, fidelis, probatæ vitæ, religionis expertæ*, idoneus monaſticæ regulæ *reformator & inſtructor* deſcribitur) ſed à maledicentiſſimo interpolatore heterodoxo, fortaſſe Germano, in

Mo-

Monaſtici Ordinis invidiam aſſuta fuiſſe conjectabit. Nam ſive ſuppoſititiam S. Hildegardis Prophetiam, inter Germanos fabulatores multò poſteriùs enatam (de qua Scriptor Anglus Pariſius ſuo forſitan tempore nihil unquam inaudiſt aut ſomniavit) ſive fictitias Sacerdotii, contra FF. Prædicatores & Minores, literas ad Fridericum II datas (quæ extant Cap. XXXVII libri Primi Epiſtolarum Petri de Vineis, à Simone Schardio an. 1566 editarum, & perſonati Pariſii ſuprà dictæ criminationi de ædificiis ſunt conformes) ſive denique Flacci Illyrici Catalogum teſtium Veritatis Argentinæ an. 1562 impreſſum rite conſideres, in cujus Tomo II à pag. m. 624 ad 642 aliquot terniones ex MS. adhuc Pariſii Hiſtoria allegantur: à Germano potiùs, quàm Anglicano corruptore Hiſtoriam Pariſii, quam penes ſe Illyricus in Germania habuit, interpolatam & criminationibus auctam fuiſſe non inveroſimiliter judicabis; ſive dein ipſe Illyricus & Schardius, ſive alius tum ex horum Operibus (utpote quorum pleraque, ùt *Catalogus Teſtium Veritatis*, *Epiſtolæ Petri de Vineis*, *hypomnema de fide & obſervantia Pontificum Romanorum erga Imperatores*, *Germanica Friderici* Imp. *vita* &c. jam ante Pariſium publicam lucem aſpexerant) tum ex aliorum Scriptorum Chronicorúmve, ſimiliter jam antè editorum, aut inéditorum corruptiſſimis Voluminibus, quæ Illyricus Tomo II. ſui Catalogi citat, atque ex ipſo etiam Guilielmi de Sancto Amore perverſiſſimo contra FF. Prædicatores Regularésque libello, *De periculis noviſſimorum Temporum*, Baſileæ an. 1555 excuſo (qui penes Illyricum pariter fuit teſte Tomo II. Catalogi Teſtium lib XVI p. m. 670) Pariſium amplificârit ac depravârit. Certè, quod Illyricum attinet, ait de illo Menkenius in Lexico Eruditorum, quòd ubique is profugus, & cucullô Monaſticô tectus, in varias Cœnobitarum Bibliothecas penetrârit, & Hiſtoricos, impoſturis ſuis magìs accomodos, ſub amplioribus ſuis manicis occultans, inde feliciſſimè clepſerit, aut ex majoribus Tomis paratiſſimo ad id cultello ſuo ſtrenuè exſecuerit: unde demum *Catalogus* ille *Teſtium Veritatis* fuerit conſarcinatus, in proverbium verò abiêrit *Cultellus Flaccianus*.

12. Neque obeſt, quòd prima Pariſii Editio Londinum in fronte præſeferat; nam *primò*, id ipſum, quod & hodie heterodoxis Catholicorum Operum editoribus non inſolitum eſſe novimus, ſinceriori Pariſii Hiſtoriæ (aut quiscunque demum Scriptor Anglus Operis hujus Author extiterit) contingere potuit, ut videlicet Hiſtoria iſthæc à Germanis heterodoxis corrumperetur, & ad fucum faciliùs Lectoribus faciendum Scriptori Anglicano ſuppoſititius pariter in Anglia editionis locus tribueretur. Potuit *ſecundò*, ſolus Hiſtoriæ Titulus in Anglia im-

imprimi, etsi Historia reliqua prelum subiêrit in Germania. Potuit denique *Tertiò* Tota etiam Historia extra Germaniam imprimi, etsi maledicos sui compilatores habuerit Germanos; Tam enim multa, eáque non nisi ex Acatholicorum figmentis jam aliàs notissimis orta, de Germaniæ, & Imperatorum, ac præcipuè Friderici II rebus in Historia hac Anglicana immixta leguntur, ut hominem alterum, orthodoxum, Monachum, similia scriptitâsse, nemo cordatus credere possit.

13. Conferat præterea Lector Parisii Historiam cum Epistolis Petri de Vineis seu potiùs Friderici II, à Schardio collectis aut fabricatis: atque ex his in illam non modicum fermenti insperſum fuisse suspicabitur. Sic 1mò Epistola Friderici, quæ apud Parisium ad an. 1237 p. m. 440 Editionis Tigurinæ de ejusdem contra Mediolanenses victoria legitur, tota quanta compacta est ex Epistolis Petri de Vineis lib. 2. Epist. sive Cap. XXXV & L. p. m. 317 & 360, ita tamen, ut quæ apud Petrum aut Schardium inscribitur tum *Pontifici & Cardinalibus*, tum *aliis Friderici fidelibus*, illa apud Parisium (Scriptorem scilicet Anglicanum) ad Principem similiter Anglicanum, nempe ad *Richardum Cornubiæ Comitem* dirigatur. 2dò Epistola ad *Regem Angliæ* de expugnatione Urbis Faventiæ, & Prælatorum ad Concilium Lugdunense pergentium captivitate, quam Parisius p. 543 & 544 ad an. 1241 refert, consarcinata rursus est ex duplici capite VIII & IX, libri I. Epistolarum apud Schardium seu Petrum, neque hæc duo Capita, sive Epistolæ, Regi Angliæ, sed *Comitibus*, *Principibus*, & *aliis nobilibus* nuncupantur. 3tiò Excommunicationis ac Depositionis, adversus Fridericum in Lugdunensi Concilio latæ, sententia & formula prolixissima, quam ad an. 1245 p. m. 648, 649. 650. 651 Parisius retexit, exactè (verba paucula si demas) consonat cum illa, quam mox in Epistolarum limine ponit Schardius p. m. 61. Editionis Basileensis de an. 1566 ex officina Joannis Oporini: formulæque huic titulus iste præfigitur: *Formula Depositionis Friderici, quæ mutilatim relata est lib. VI Decretalium C. Ad Apostolicæ*: EX VETUSTO QUODAM LIBRO INTEGRE DESCRIPTA & PUBLICATA à SIMONE SCHARDIO D. antequam scilicet sic dicta Parisii Historia in lucem exiisset; hoc enim, ut suprà diximus, primùm contigit an. 1571. 4tò Epistola Friderici, quæ apud Parisium ad an. 1245 p. 659 & 660 extat, & adversus Pontificem ejúsque Cardinales ad *Angliæ Regem* data fingitur, illa ipsissima est, quam Schardius exhibet à p. 94 lib. 1. Epistolarum Cap. II. cum hac inscriptione: *Fridericus Regibus & Principibus Mundi, ut non obediant Papæ & Cardinalibus, eoquòd sunt Eleemosynis pauperum impinguati.* Adeò vera inepta est Parisiana inscriptio, ut, cùm ad Angliæ Regem exarata asse-

aſſeritur, ad univerſos reipſa Principes Chriſtianos allocutio per totam Epiſtolam fiat; unde præpoſtera interpolatoris imperitia liquet, qui ne ſingula ex uno Schardio mutuatus videretur, ſaltem inſcriptionem mutavit, ſuámque ſimul inſcitiam fraudémque in amplificando Scriptore Anglicano manifeſtavit. 5tò Epiſtola, quam ſuper depoſitionis ſententia, à Concilio Lugdunenſi edita, velut à Friderico ſcriptam Schardius l. 1. cap. 3. à p. m. 98 recitat, inſerta ſimiliter Pariſio fuit ad an. 1246 p. m. 680. ſed quæ apud Schardium *ad Regem Francie* deſtinata legitur, hanc Scriptoris Anglicani depravator velut ad *Prælatos Eccleſiarum*, *Comites*, & *Barones*, *Nobiles* & *Univerſos per Regnum Angliæ conſtitutos* miſſam fuiſſe comminiſcitur. 6tò Epiſtola Friderici *ad Reges & Principes de proditoribus ſuis & Peruſinorum conflictu*, quam Schardius lib. II. Cap. X. à p. m. 273 ad 281 publicavit, eadem omnino eſt cum illa, quam Pſeudo-Pariſius ad *Angliæ Regem* p. m. 690 691. 692 ad an. 1246 perſcriptam commemorat. 7mò Epiſtolam Friderici ad *Cardinales* ſuper ſua excommunicatione invenies apud Schardium l. 1. cap. 6. p. m. 110. Epiſtolam verò ad *Romanos* cap. 7. p. 113. Sed & utramque, alteram alteri mox ſubjunctam (ordine tamen inverſo) offendes apud Pariſium p. m. 474. ad an. 1239. 8vò Epiſtolam ad *Reges & univerſos Barones Regni Franciæ*, quam per decem omnino paginas extenſam Schardius l. 1. à p. 152 recenſuit, integram quoque producit Pſeudo-Pariſius, & licèt ad *Univerſos* ſe ſcribentis oratio vertat, *Richardo tamen Cornubiæ Comiti*, perſonæ ſcilicet ſingulari, eandem inſcribit à p. 483 ad 488 ad eundem annum 1239. Taceo cetera; cùm hæc abunde ſufficiant, ut ex Acatholicorum Germanorum centonibus & commentitiis chartis potiſſimas adverſus Pontificem acceſſiones ad Pariſium fuiſſe factas, idque negotii per ipſosmet (quorum Seculum XVI longè feraciſſimum fuit) heterodoxos interpolatores Germanos veroſimiliùs ſuſceptum, Lector haud ex vano divinet; námque his non modò proprias ſuas ſpurias merces, quas Germaniæ jam antè obtruſerant, multò magis fuiſſe perſpectas, ſed & patrias Germaniæ res, & Friderici ſui vindicias longè altius cordi fuiſſe, quàm Anglis, quis neget?

14. Sive autem Germani corruperint Pariſium, ſive id criminis commiſerint Angli, atque ex Germanorum ſolummodo Scriptis, in Angliam usque transmiſſis, Hiſtoriam Anglicanam contaminârint, iſtud profectò ad Pſeudo-Pariſii fidem perinde ſe habet; pleraque enim, quæ in Pſeudo-Pariſio adverſus Pontifices copiosè deblaterantur, quivis eruditor Orthodoxus contemnet, & interpolantium fraudes damnabit. Imò mirari ſatis quis valeat, quâ fronte ampliſſimo hu-

jus Hiſtoriæ Anglicanæ Volumini non niſi unius Pariſii nomen præfigere Editor Anglus vel Anglo-Germanus ſit auſus. Nam 1mò potiſſima Hiſtoriæ Pars alium longè Auctorem, quàm Pariſium, habet. Eam certè Hiſtoriam, quæ ab anno 1066 usque ad an. 1235 porrigitur, non Pariſii, ſed Rogeri de Wendover fœtum eſſe, ex ipſismet Scriptoribus Anglis agnoſcunt atque teſtantur Joannes Baleus in Catalogo Scriptorum Illuſtrium majoris Britanniæ, Jacobus Waræus lib. 2. de Scriptoribus Hiberniæ p. 111 & Willelmus Wats in Proëmio ad novam Pariſii Editionem de an. 1640 (ut habet Menkenius in Lex. Erud. verbô : *Rogerus*) Præfatio item Tigurina in Pariſium, & Oudinus l. jam ſuprà cit. à quo plagii idcirco accuſatur Pariſius; utut hujus criminis, vel audaciæ ſaltem, atque inſcitiæ ille rectiùs debuerat argui, qui ex promiſcuis omnis generis Scriptoribus tam domeſticis quàm exteris Hiſtoriam Anglicanam compegit, & coactitio Operi à ſolo Pariſio nomen temerarium fecit. 2. Tolle ſis Additamenta propè innumera de Italiæ, Germaniæ, & Orientis negotiis, ſæpe ad minutias usque relatis, quibus univerſam Pariſii (ex Anglia, Albanenſique Cœnobio fortè nunquam egreſſi) Hiſtoriam Anglicanam ex omnigenæ nationis Scriptoribus, certè necdum in unius Pariſii manus ſua jam ætate delatis, ſed multò recentiùs ex ſquallore ſuo in apricum productis, auctam, interpolatámque fuiſſe, nemo paulò perſpicacior non pervidebit. 3. Tolle denique convitia, fabulas, Epiſtolas & criminationes commentitias, non rarò etiam prolixas, quæ non Monachum orthodoxum, ſed dicteriis & fabulamentis aſſuetum ſtomachum Acatholicum produnt; quantula demum ex tam vaſto Volumine genuinæ Pariſii Hiſtoriæ portio reliqua erit? Ipſe, ut ſuprà ex Stiltingo intelleximus, Pitſeus hodiernam Pariſii editionem ut ſuſpectam habuit: neque aliter, atque Pitſeus, ſenſit Brianus Twinus l. 4. de Antiquitate Academiæ Oxonienſis, ut monuit Voſſius libro II de Hiſtoricis Latinis cap. 58: & ex Voſſio Labbeus de Script. Eccl. T. II. p. m. 67. verbô *Matthæus*: item *Nat. Alex.* T. VII. Hiſt. Eccl. p. 138. num. IV. Profectò ut alios rerum Italicarum, Germanicarum, & Orientalium rerum Scriptores à Pariſii interpolatore expilatos prætermittam (neque enim in totius & ſolius Pariſii examine calamum hìc diffundere libet) præ oculis habuit compilator Schardium, ut antè indicavimus: habuit & Cardinalis Vitriaci Hiſtoriam Orientalem, prout innuit Sollerius; nam quæ de Jacobitis teſtis auritus & oculatiſſimus refert Vitriacus cap. 76. p. m. 144. Editionis Duacenæ, eadem ferme ad apicem diffuſiſſimè refert Pſeudo-Pariſius ad an. 1237. p. m. 426, 427. Atque ut interpolationem,

ex.

ex Vitriaco defumptam, certiùs palpare poſſis, iisdem verbis, quæ ex proprio viſûs auditúsque teſtimonio adhibet Vitriacus (*Cùm autem à Græcis & Syrianis diligenter inquireremus*: &: *cùm autem diligentiſſimè à prædictis Jacobitis* INQUISISSEM: & :CUM AUTEM QUÆRERENT) etiam impenitiſſimus compilator Pariſii utitur, qui tamen nec Jacobitas vidiſſe unquam, nec in Oriente allocutus probatur. Quòd ſi præterea ex eodem Vitriaco caput 65 de religione Fratrum militum Templi evolveris, idem quoque (ſed aliquantò breviùs, & Periodorum ordine, ſubinde mutato), in Pariſii Hiſtoriam tranſcriptum reperies ad an. 1118 p. m. 64.

15. Nihilominus Hiſtoriam hanc Anglicanam non usquè adeò repudiandam exiſtimet Lector, ut nihil inde aut parùm utilitatis poſſit hauriri. Multa námque continentur in ea, quæ ſicut ex probatis atque orthodoxis, ſæpe etiam contemporaneis, Scriptoribus aut oculatis omnino geſtorum arbitris fuêre collecta, ita etiam non modicam fidem apud Eruditos facere poſſunt & ſolent, in iis verò maximè, quæ aut ad res Anglicanas Auctoríque ſuo domeſticas ſpectant, aut ubi nulla fingendi, calumniandi, mentiendíque ratio, & utilitas interpolatoribus fuit.

16. At quæres fortaſſe, *an* ſaltem aliquam, & *qualem* illam, quantámve in Majoris hujus Hiſtoriæ volumine laboris & Scriptionis partem reipſa in ſe ſuſceperit *Matthæus Pariſius*, cujus modò nomen Hiſtoria tota præfefert? Primum quod attinet, in varios omnino Hiſtoriæ locos incidi, qui *Matthæum*, ſaltem Partis Auctorem, deſignent. Et *primò* quidem ad an. 1213 p. m. 235 poſt relatam Joannis Regis ad Miramolinum legationem hæc ſubjunguntur: *alia Secreta revelavit* (Robertus Clericus, & Joannis ad Mauros legatus) *ſibi à dicto Admiralio collata & dicta*, AUDIENTE MATTHÆO, QUI & HÆC SCRIPSIT & ENARRAVIT. Verùm cùm hæc tota Joannis legatio Maurica & Miramolini reſponſa ad figmenta pertineant, & inſuper Hiſtoria hæc major usque ad an. 1235 non Matthæum quempiam, ſed Rogerum de Wendover ex criticorum Anglorum calculo habeat Auctorem: etiam verba illa, de Matthæo adjecta, non niſi ſuppoſititia jure creduntur, quæ ſcilicet in recentiùs excogitati Matthæi Auctoris gratiam & ad Lectoris credulitatem extorquendam multò junior interpolator alleverit. *Secundò*: ad annum 1247, Regis Henrici III. trigeſimum primum, p. m. 714 ita legitur: *quæ quæſtio* (ſcilicet de ſanguine Chriſti poſt paſſionem & reſurrectionem in terra relicto) *ab Epiſcopo Lincolniensi ad unguem tunc determinabatur, prout habetur ſcriptum* IN LIBRO ADDITAMENTORUM, PROUT HUJUS PAGINÆ SCRIPTOR

TOR AUDIVIT, & VERBO AD VERBUM SATIS DILUCIDE SCRIPSIT.... *Et dum Rex* (poſt Willielmum de Valentia fratrem ſuum Uterinum, militari baltheo ſolenniter accinctum) *ſederet in ſede ſua regia, videns* ILLUM, QUI & HÆC SCRIPSIT, *advocavit eum, & præcepit reſidere in gradu, qui erat medius inter ſedile ſuum & aream* (Eccleſiæ Weſtmonaſterienſis, ubi peracta hæc ſolemnitas fuit) *dicens ei*: VIDISTI HÆC OMNIA, & VISA FIRMITER TUO CORDI IMPRESSISTI? *& ille*: *etiam Domine, quia dignum retineri... Et addidit* (Rex).... *Supplico igitur, & ſupplicando præcipio, ut* TE EXPRESSE & PLENARIE SCRIBENTE HÆC OMNIA, SCRIPTO NOTABILI INDELEBILITER LIBRO COMMENDENTUR, *ne horum memoria aliqua vetuſtate, quomodolibet in poſterum deleatur. Invitavit & ipſum, cum quo hæc locutus eſt, ad prandium, cum Sociis ſcilicet tribus.* Nulla hìc quidem ſive de *Matthæi*, ſive de *Pariſii* Scriptoris nomine fit mentio; quoniam verò tam in antecedentibus, quàm ſubſequentibus Hiſtoriæ locis, Matthæi Pariſii, tanquam Auctoris, nomen occurrit, hunc ipſum hìc quoque ab Hiſtoriæ hujus compilatore & Editore ſubintellectum fuiſſe nemo dubitaverit. Interim ipſius Lectoris criterio dijudicandum relinquo, an non hæc ipſa perinde, atque priora (quæ ſub Joanne Rege retulimus) verba in Hiſtoriæ textum ab interpolatore, eo fine intruſa poſſint aut debeant exiſtimari, ut non modò hujus Hiſtoriæ, ſed & *Additamentorum* (quæ videlicet poſt editam aliquando Pariſii ſui Hiſtoriam iidem Editores & Interpolatores ſimiliter publicare decreverant atque promiſerant) unus idémque Pariſius Auctor tantò facilius à Lectoribus crederetur, quantò expeditior via per iſtud, quod ex ipſamet Majore Hiſtoria mox adduximus, de *Additamentis* teſtimonium ad perſuadendam Lectoribus genuinam Pariſii auctoritatem jam ſtrata fuiſſet.

17. *Tertiò*: ad annum 1248, Henrici Regis trigeſimum ſecundum p. m. 730 & 731. deſcribitur, quòd *Matthæus de Pariſiis* Monachus S. Albani in Anglia tum ab ipſis Holmienſibus in Norwegia Monachis per legationem ad Romanum Pontificem, tum à Romano Pontifice per literas ad Abbatem S. Albani datas, Holmienſis Monaſterii reformator inſtructóque expetitus fuerit & deſignatus. Verùm cùm inter ſolius hiſtoriæ contextum prima *Matthæi de Pariſiis* hìc mentio fiat, contrà verò nec in Holmienſium ad Pontificem alloquio, quod ibi minutim deſcribitur, nec in Pontificiis ad Albanenſem Abbatem literis, diſtinctius *Pariſii* cognomentum occurrat, ſed unius Matthæi nomen utrinque legatur: inde non parùm dubitari poſſe videtur, an non ex ſola interpolatoris licentia Tò *de Pariſiis* in Hiſtoriæ textum irrep-

inrepſerit. Sed neque hoc loco apertius quidpiam innuitur, num hic ipſe Matthæus Hiſtoriæ hujus Auctor & Scriptor extiterit; niſi quòd Holmienſes Monachi Pontificei inter alia teſtati dicantur, Matthæum hunc *Regi ſuo familiariſſimum & amiciſſimum* eſſe. Unde verò hæc familiaritas & amicitia Monachi Angli cum Hacone Norwegiæ Rege deſumitur, niſi ex iis fortè, quæ ad an. 1247 p. m. 716 referuntur? Poſtquam enim retulerat Hiſtoriæ Auctor vel Editor, quòd Ludovicus Franciæ Rex ſacræ in Palæſtinam expeditionis Societatem cum Hacone Norwegiæ Rege per literas poſtulârit, mox ſubjungit: *Hoc mandatum* (Franciæ Regis) CUJUS EPISTOLAM IPSE, QUI HÆC SCRIPSIT, DETULIT, *poſtquam ad notitiam ejusdem Domini Regis Norwegiæ pervenisſet, inſpecto tenore reſpondit ei*, QUI EPISTOLAM PORREXIT, NAM CONFIDEBAT IN EO ANIMA EJUS: *Grates refero* &c. . . *Scripſi eidem Domino Regi* &c. ET QUI CUM EO LOQUEBATUR, VIDELICET SCRIPTOR PRÆSENTIS LIBELLI, *has literas patentes eidem porrexit: Ludovicus DEI gratiâ Francorum Rex* &c. *Cùm autem hæc legiſſet Dominus Rex Norwegiæ. . . gavisus eſt gaudio magnò nimis & grates reddit* TALIUM BAJULO LITERARUM, & *donis reſpexit regalibus & uberrimis.* Atque hæc verba, ſi cum prioribus, quæ de Holmienſi cœnobio antè adduximus, indicant quidem, utroque in loco Matthæum Pariſium Hiſtoriæ Anglicanæ Scriptorem reipſa denotari; aſt quò pactò ampliſſimi (in quale profectò hodierna Pariſii Editio excrevit) Operis Auctor, annus idémque Pariſius tam audaciter ab Editoribus potuit nuncupari, quandoquidem poſteriora, quæ mox antè dedimus, verba eundem non niſi *præſentis* LIBELLI Scriptorem faciunt? Imò ipſe quoque Illyricus T. II. Catalogi Teſtium Veritatis lib. XVI verbò: *Matthæus Pariſiensis*: p. m. 624. Edit. Lugduno-Batav. de an. 1597. Matthæum hunc non niſi *Opuſculi* Auctorem compellat. Ne quid jam dicam de iis, in quibus vel narrationes ipſæ, vel narrationum adjuncta de interpolationis vitio ſuſpecta ſe reddunt; nam nunc Anglicanæ Hiſtoriæ Scriptor, nunc in Norwegia diſciplinæ cœnobiticæ inſtaurator, nunc ad Regem legatus, amiciſſimus Regi Angliæ (juxta ea, quorum ſuperiùs ex pag. 714 meminimus) amiciſſimus Regi Norwegiæ, ad quem legationem obierit: amiciſſimus denique & notiſſimus Regi Galliæ, cujus juſſu Regii in Norwegiam Oratoris partes ſuſceperit, idem Monachus Anglicanus effingitur: niſi forſitan ſuſpicari quis velit, Matthæum, dùm inter Anglos Monaſticam vitam profeſſum, origine tamen Gallum, aut Pariſiis re ipſa fuiſſe progenitum; unde & *Matthæi de Pariſiis* nomen eidem deinceps inhæſerit, & à Galliæ Rege ad Norwegiæ Regem legatio Matthæo potuerit demandari. Aſt ſolidum

dum hujus conjecturæ argumentum mihi quidem in promtu haud eſt. *Quartò* denique, ut alia præteream, ad annum 1250 poſt recenſitum Friderici II obitum, & variorum, qui intra Annorum quinquagenarium contigêre, quâ eventuum quâ prodigiorum Epitomen, ita Hiſtoria clauditur: *Hic terminantur fratris* MATTHÆI PARISIENSIS, MONACHI S. ALBANI CHRONICA: *quæ pro utilitate poſteritatis ſubſecturæ, DEI pro amore, & beati Albani Anglorum Protomartyris honore, ne memoriam eventuum modernorum vetuſtas aut oblivio deleat, literis commendavit...* Et:

Terminantur hîc Matthæi Tempus ſpondet requiei;
Chronica: jam Jubilæi Detur ergo quies ei,
Anni Diſpenſatio Hîc & Cœli ſolio.

Creditur quoque non vacare à ſignificatione, quòd omnia hæc ultima anni elementa inſolitum & irregulare paſſa ſunt detrimentum. Iguis, quia in NUPER TRANSACTA NOCTE NATALIS DOMINI &c.... Et:

Siſte tui metas ſtudii Matthæe quietas,
Nec ventura petas, quæ poſtera proferet ætas.

Atque hanc quidem verborum verſuúmque teſtificationem (ſive illam ipſe de ſe Matthæus, ſive alius de Matthæo addiderit), cùm nullum apertæ ſuppoſitionis indicium ea præſeferat, ſufficere ſanè crediderim, ut Matthæum Albanenſem Monachum (nunc vulgò Pariſium dictum) res ſaltem Anglicanas, abſque vitiis tamen atque convicciis ab Acatholica primùm poſteritate intruſis, calamo complexum fuiſſe judicemus.

18. Verùm & hoc ipſò teſtimonio altera videtur dirempta quæſtio, *qualem quantúmve* narrationis limitem Hiſtoriæ ſuæ Matthæus præfixerit; Eam etenim cum anno 1250 finiri ſupradicti Epilogi prorſa verſáque perſuadent. Sunt tamen, qui ab ipſomet Matthæo Chronicon iſtud ad annum usque 1259 continuatum exiſtiment, ut Labbeus, Natalis Alexander, & ex Acatholicis propè omnes; etſi rationem afferti allegare non ſoleant. Duplex verò argumentum huic opinioni in ſpeciem favet. *Primum*: quod ad annum 1251 p. m. 781 eotidem verbis refertur: *Poſt hunc verò* (Ducem Brabantiæ) electus in Rom. Regem *Comes Richardus, quia veſter & abundans numismate, & quia frater Regis Angliæ, venit, quia ambigua ſunt Martis pericula, & præcisè contradixit... Poſt quem elegit Dominus Papa Willielmum Hollandiæ Comi-*

Comitem. Qui tenere conſenſit, & jam omnibus amiſſis ad ſuam terram, & non jam ſuam, quia fratri ſuo eam donaverat, repulſus eſt; unde muſcipulas & promiſſiones Papales deteſtans, mendicare cogebatur. Poſt hos autem omnes voluit Dominus Papa, locò Friderici Hacouem Regem Norwegiæ in culmen Imperii ſubrogare. Unde ut aptiorem & favorabiliorem ad hoc ipſum haberet, ipſum in Regem fecit conſecratum coronari. Sed poſtquam coronatus fuit, proteſtatus eſt palàm, ſe ſemper velle Eccleſiæ inimicos, ſed non omnes Papæ inimicos impugnare. ET HOC IDEM PROTESTATUS EST IDEM REX MIHI IPSI MATTHÆO, QUI & HÆC SCRIPSI, SUB MAGNI JURAMENTI *atteſtatione.* Alterum: quod ad an. 1259 p. 957 poſt Walteri Scotinnii ferale ſupplicium illico ſubjicitur: *Sciendum eſt, quod* HUCUSQUE PERSCRIPSIT VENERABILIS VIR FRATER MATTHÆUS PARISIENSIS, *& licèt manus in ſtilo varietur, modo tamen compoſitionis eodem ſervato, eidem totum adſcribitur.*

19. Aſt nec prima nec ſecunda ratio Matthæum ſuimet Continuatorem fuiſſe evincit; nam & *Venerabilis Viri* titulus, & excuſatio non petita (quæ circa *variantem* Matthæi *ſtylum* adducitur) & ipſæ apertiſſimæ falſitates errorésque craſſiſſimi, qui in Matthæum Synchronum circa res notiſſimas vix cadere poſſunt, alium longè Continuatorem teſtantur. Sic falſum eſt *primò*, quòd poſt mortem Henrici Raſponis, & detrectatam à Brabantiæ Duce dignitatem regiam oblatos Germaniæ faſces pariter repudiârit Comes Richardus; hos enim nemini poſt Brabantiæ Ducem delatos fuiſſe niſi Wilhelmo Hollandiæ Comiti omnes Synchroni Scriptores affirmant, & ne unicus quidem, præter Pſeudo-Pariſium, quidquam de Richardo Comite mutit. Imò ipſe Pariſius ad an. 1247, poſtquam Raſponis Landgravii mortem p. m. 703 & 704 velut in loco ſuo proprio & ex legitimo annorum geſtorúmque ordine recenſuit, mox pag. 708. Pontificia in ſolum Wilhelmum ſtudia; pag. verò 712 ad ejusdem anni 1247 menſem Septembrem, ſive Feſtum S. Michaëlis, ipſam Wilhelmi electionem per Magnates Alemanniæ factam commemorat, & ne unico quidem apice Germanici Regni optionem, velut Richardo Comiti factam, ibidem attingit, etſi ipſa debitæ narrationis ſeries hujuscemodi mentionem eo in loco poſtulâſſet. Quidquid igitur præpoſtero prorſus ordine ad annum primum 1252 (poſt jam finitum ſcilicet Matthæi Chronicon) de Richardo atque Wilhelmo attexitur, tanquam alterius imperiti continuatoris aut interpolatoris figmentum contemnitur. Falſum eſt *ſecundò*, & ex Acatholici hominis pharetra petitum, quòd Wilhelmus *muſcipulas & promiſſiones Papales deteſtatus, mendicare fuerit coactus*; item illud, quod ad an. 1252 p. m. 807 de Wilhelmo refertur

tur: *Willielmus Comes Hollandiæ, de ſua doleus & damnificatus præſumptione, videlicet, quòd ad faſtigium Imperiale ex perſuaſione Papali & adjutorio pecuniali anhelâſſet*, OMNIA RESIGNAVIT. Huic enim commento hiſtoria tota reclamat, & ipſa Richardi Regis electio, quæ primùm poſt Wilhelmi obitum ſeu poſt annum 1256 ſuſcepta fuit, Pſeudo-Pariſianam narrationem falſitatis convincit. Falſiſſimum eſt *tertiò*, quòd poſt Wilhelmi fata in Haconem Norwegiæ Regem Romanus Pontifex inclinârit, atque *ut Imperio aptiorem haberet, ipſum in Regem fecerit conſecratum coronari.* Nam nemo alius Scriptorum, ſive Italus, ſive Germanus, ſive Norwegicus aut Danicus hac de re memiſit: ipſa Urbani IV Geſta & literæ luculenter oſtendunt, quòd liberrimam Germaniæ Principibus electionis regiæ, ſuíque juris exercendi facultatem permiſerit: præterea omnia Electionis Acta, & Scriptorum de iisdem teſtimonia, de ſolo poſt Wilhelmum Richardo, aut Alphonſo Caſtiliæ Rege actitatum fuiſſe conſentiunt: ipſe denique Matthæus Pariſius ad an. 1247 p. m. 716 affirmat, quòd jam eodem anno 1247, IV Calend. Auguſti per Legatum Pontificium, Epiſcopum Sabinenſem, in Regem ſolenniter Haco fuerit inunctus, integro prope novennio, antequam Wilhelmus Rex vitæ curſum explêſſet: neque alia hujus Pontificiæ ad Haconem legationis cauſa ibidem colligitur, quàm ut Rex *cruce ſignatus* in Palæſtinam expeditionem ſuſciperet. Itaque, quidquid de Haconis poſt Wilhelmi deceſſum aut abdicationem coronatione regia, de Pontificio dignitatis Imperatoriæ in Haconem conferendæ propoſito, de proteſtatione Regia ad Pontificis legatum, de *jurata* Haconis aſſertione ad ipſummet Pariſium Monachum facta, Continuator hìc blattit, falſius eſt, quàm ut verus Pariſius, Scriptor contemporaneus, adeò ineptè ſcripſiſſe, aut ſibimetipſi contradixiſſe, à Critico Lectore poſſit admitti. Unde & illa verba: *mihi ipſi Matthæo, qui & hæc ſcripſi*: non ex Pariſii, ſed ex ſuppoſtoris imperitiſſimi aut audaciſſimi vena manârunt, id unum ſpectantis, ut lectoribus ſuis *Pariſium* pro *Continuationis* pariter & criminationum adverſus Pontifices (quibûs illa ad nauſeam usque abundat) genuino Auctore obtrudere poſſet.

20. Prætereo plures alias falſitates, quæ in hac continuatione occurrunt v. g. de *numero & perſonis Electorum* in Imperio Germanico; nam confer ex Continuatione Annum 1257 p. m. 911. & ex ipſius Matthæi Hiſtoria annum 1245 p. m. 655 (ubi de primi Lugdunenſis Concilii Oecumenici Decretis fit mentio) videbis ſanè, quòd utraque narratio ſibi repugnet, & altera alteram evertat, ambæ verò in hoc uno conveniant, quòd hæc non minùs quàm illa quàm longiſſimè à vero de-

deflectant. Sed nempe illam lectionem, quæ in hodiernis Parisii editionibus ad an. 1245 extat, prorsus adulterinam esse, & in Vetustioribus Parisii Codicibus penitus abesse, Eruditi jam nôrunt. *Vide Habn. in Hist. Imper. P. V. p. 52. lit. k.* Altera verò, cujus locum ex Parisii Continuatione ad an. 1257 allegavimus, adversus illorum temporum Historiam crassiùs impingit, quàm ut in re ævi sui notissima Scriptori Parisio tam supina ignorantia tribui possit.

21. Quare multò rectiùs existimandum, quòd *Matthæus* Historiam suam, aut potiùs Chronicon non ultra annum 1250 produxerit: hanc námque conjecturam ipsa suggerit clausula, quam verosimiliùs Anonymus alter adjecit, cùm & hujus & æternæ vitæ quietem Matthæo ad eundem annum precetur. Ceterùm in disquirendo *Parisii* cognomine, undenam & quando illud *Matthæo* demum accesserit, multus esse jam nolim; dubitare tamen nonnemo poterit, an non à Mathia Parisiensi ad Matthæum hunc Anglicanum multò recentiùs illud Editores transtulerint, imò an non ex ejusdem Mathiæ seu veris seu fictis Scriptionibus Matthæi Chronicon sive Opusculum pariter interpolârint. Ita námque Illyricus scribit T. II. Catalogi Testium Veritatis lib. XVIII p. m. 794: MATTHIAS, *cognomento quidem* PARISIENSIS, *fortè quòd ibi diu studuerit, sed natione Bohemus, ut opinor (certè in Bohemia diu vixit ac docuit) circà annum* 1380 *valde prolixum librum de* ANTICHRISTO *scripsit, ac probat eum jam venisse: subinde non obscurè ipsum* PAPAM ESSE ANTI-CHRISTUM SUBINDICANS. ... *Reprehendit* MONACHOS, *quòd relicto unico Servatore Christo, sibi suos Franciscos, Dominicos &c. elegerint..... Inseruit autem suo Opusculo de Antichristo & aliorum de eadem materia Scripta ac sententias, ut* SCHOLÆ PARISIENSIS, CONCIONES WILHELMI DE S. AMORE, *& M. Militii (de quo mox) ac aliorum quorundam veterum, quæ excusa sunt.* Denique utrum *Matthæus Westmonasterienjis* (vulgò FLORILEGUS dictus ob *flores Historiarum* à se collectos) exscripserit *Matthæum Parisium*, ùt communiter dici assolet: an verò unicus re ipsa Auctor sub utroque nomine cubet, & recentiores solummodo Editores ex uno duos Auctores confinxerint, & Westmonasterienſem aliunde supplêrint ac continuârint, penes alios judicium esto. Illyricus unum eundémque Auctorem intellexisse videtur T. II. Catalogi l. XVI. p. m. 624. cùm ait: *Matthæus Parisiensis Anglicus Historicus, floruit ante annos* 350 *& redegit in compendium historias* ANGLIÆ, *seu præcipuas* FLORES *inde decerpsit.* Editi sunt Matthæi Westmonasterienſis *Flores* Londini an. 1567, quadriennió scilicet antè, quàm sic dicta Parisii Historia Major prelo committeretur. Quòd si quis utriusque hujus Matthæi (si quidem

duo diverſi fuerint) autographos Codices, primævos characteres & primigenias præfationes inſpicere atque conſulere poſſet, certius de utroque judicium ferret; nam ſolis heterodoxorum Editorum effatis atque præfationibus nemo orthodoxorum tutò fidem habebit. Quàm enim faciles heterodoxi fuêre in Hiſtoriis depravandis, tam expediti pariter eſſe poterant in præfationibus comminiſcendis, & Auctori non ſuo ſupponendis. Fontes incertos & turbidos ſequitur, heterodoxos Editores qui ſequitur.

22. Atque hæc eadem animadverſio intelligi quoque debebit tam de *Hiſtoria Anglicana minore*, quàm de *Additamentis*: quorum idem Pariſius Auctor ab heterodoxis venditatur. Certè Hiſtoriam *minorem* à *Majore* non parùm differre ipſe Lector agnoſcet. Unicum hìc exemplum ſubjungo. Ait Hiſtoria *Minor* de Concilio Lateranenſi IV, quod celebratum fuit anno 1215: *Concilium iſtud Generale, quod more Papali grandia prima fronte præſetulit, Iotam & ſcomma, quo Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, omnesque ad Concilium accedentes ludificatus eſt* (Innocentius III) *deſiit. Illi enim, cùm jam nihil geri in tanto negotio cernerent, redeundi ad ſua cupidi, veniam ſigillatim petierunt, quibus Papa non conceſſit, antequam ſibi grandem pecuniam promiſiſſent. Mercatoribus Romanis priùs accipere mutuò Papæque ſolvere coacti ſunt, antequam diſcedere Româ potuiſſent. Papa jam acceptâ pecuniâ, quæſtuoſum hoc Concilium diſſolvit gratis, totúsque Clerus abiit triſtis.* Ita mendaciſſimè, & ad recentiorem heterodoxorum phantaſum appoſitiſſimè Hiſtoria minor. Aſt Hiſtoria *Major* ad an. 1215. p. m. 262. 263. teſtatur, quòd poſt recitata, in Concilio, LX (ſcribendum fuerat LXX, ſi Capitulum: *Firmiter*: ſimul annumeres, ùt notat *Natalis Alex.* T. VII Hiſt. Eccl. p. 324. n. VIII) Capitula ſive Canones; actum ſit de negotio Expeditionis Sacræ: de ceteris verò dicteriis, quæ ex Hiſtoria minore mox retulimus, nec jota quidem major Hiſtoria profert. Quare vel Majoris vel minoris Hiſtoriæ idem Pariſius Auctor non erit, vel ſicuti Majorem multoties alibi vitiatam & interpolatam jam ſuprà oſtendimus, ita etiam Minorem hìc fœdiſſimè corruptam, & per neotericum Romani Pontificis hoſtem deturpatam fuiſſe dubitari haud poteſt; neque enim Pariſium, ſeu Scriptorem Catholicum, ſed Iſlebici Evangelii hominem ea de Innocentio & Lateranenſi Concilio mentiendi protervia olet. Legerit fortaſſis Editor hæc Platinæi verba in vita Innocentii III: *Venêre multa tum quidem in conſultationem, nec decerni tamen quicquam apertè potuit, quòd Piſani & Genuenſes maritimo, & Ciſalpini terreſtri bellò inter ſe certarent. Eò itaque proficiſcens Pontifex tollendæ diſcordiæ cauſâ, Perugii moritur.* Quibus ex verbis, peſſimæ omnino fidei homo & interpo-

terpolator Acatholicus ansam arripuerit, ut Lateranense Concilium *in risum & scomma desisse, nihilque in tanto negotio gestum*, audacissimè fabularetur; imò ex propria insuper instructissima mendaciorum fabrica Innocentio III in permittendo Patribus reditu impotentem pecuniæ quæstum affingeret. Ast rectè respondet Natalis Alex. T. VII. Differt. I. Art. II. num. III. p. 325, Platinam ibi loqui de Sacræ Expeditionis apparatu, non verò de Decretis dogmatum vel Ecclesiasticæ disciplinæ. Expeditio quidem in Terram Sanctam apertè decerni non potuit quoad singula media ad sacri belli confectionem necessaria (licèt generatim quoad substantiam decreta jam fuerit) præcipitato scilicet per insperatos motus Concilii exitu, & Summo Pontifice ad Ligurum & Etruscorum lites componendas avocato: sed LXX illa Capitula fidem & Ecclesiasticam disciplinam spectantia, ante Concilii dissolutionem decreta fuêre.

23. De *Additamentis*, quæ sub ejusdem Parisii nomine post Historiam Majorem aliquantò serius publicata fuêre, non infrequens in Historia Majore fit mentio, & ipse Historiæ Auctor ad eadem Additamenta referre se fingitur v. g. ad an. 1247 p. 714, ubi de Sanguine Christi in Angliam perlato; ad an. 1251. p. 781. 782. ubi de duobus Soldanis agitur: ad e. A. mensem Junium p. 798 ubi de Decretalibus Gregorii IX: ad an. 1252 & Festum S. Nicolai p. 831. ubi de sententia Archiepiscopi Oxonienſis: ad an. 1254 mensem Januarium p. 854, ubi de literis Richardi Comitis: & ad e. A. mensem Junium p. 861, ubi de Dissensione inter Pontificem & Conradum Siciliæ Regem &c. Verùm nullus, opinor, sive Parisio sive Historiæ majori injuriam faciet, qui hanc de *Additamentis* mentionem à primigenio Matthæi Codice penitus abesse, & nonnisi Neoterici cujusdam veteratoris additamentum sive assumentum, in genuinam Matthæi Historiam furtim illatum, suspicabitur. Ipsa certè loquendi ratio, quâ Parisius Additamentorum suorum meminisse prætexitur, contorta nimis coactáque videtur. Et quid opus erat Parisio, ut inter ipsum primarii laboris sive Historiæ decursum jam ad *Additamenta* sua & fixos *Additamentorum locos* (v. g. *signum Cytharæ*, *aut anchoræ rubræ*) Lectorem amandaret, qui verosimiliùs hæc Additamenta tunc necdum conscripserat, cùm Historiæ insudaret? Solent enim plerumque Additamenta tum primùm confici aut in ordinem redigi, quando Scriptio princeps suum aliquando finem acceperit. Quòd si verò jam ad annum 1250 hujus & æternæ in Cœlo à laboribus quietis felicitas Matthæo vovetur (ut suo loco indicavimus) undenam fat liquidum poterit reddi, quòd Parisius vel ultra annum 1250 vitam adhuc extraxerit, vel nihil quietis sibimet

met indulgens, novos in colligendis Additamentis labores ſubire voluerit? Præterea ſi omnes prope literas aut allocutiones (circa quas in Hiſtoria majore Pſeudo-Pariſius, ſive Interpolator ad Additamenta ſua Lectorem ablegat) in unum colligeris, vix aliquot paginarum numerum ex transcendent. Et veroſimile putes, quòd has paxillas (in Additamentorum ſcilicet gratiam) Hiſtoriæ ſuæ inſerere neglexerit, Lectoris verò attentionem ſuſpendere maluerit Pariſius? etſi jam innumeræ propemodum Epiſtolæ, ſæpe etiam prolixiſſimæ, per vaſtum Hiſtoriæ Opus diſperſæ legantur: quas ab eodem Pariſio (ut ut falſiſſimum iſtud exiſtimem) in Hiſtoriam ſuam fuiſſe tranſcriptas, ipſimet heterodoxi Editores admittunt. Denique ſicut genuinum Matthæi Chronicon in Anno 1250 terminari, longè probabilius videtur, ita etiam quidquid mentionis in ſequentibus annis de *Additamentis* injicitur, non à Pariſio, ſed à recentioribus Editoribus illuc intruſum rite concludes, eum ſcilicet in finem, ut non modò ex putatitii Pariſii, tanquam Scriptoris Catholici, auctoritate eorundem fides ac dignitas creſceret, ſed & ut ſub Pariſii larva ſuis ibidem interpolationibus major licentia foret.

24. Reſtat, ut de *Supplemento*, quod majori Pariſii Hiſtoriæ ſolet ſubnecti & ab an. 1259 ad 1273 extenditur, pauca ſubjungam. *Alii* illud tribuunt Anonymo Monacho Albanenſi, Balæus Guilielmo Rishangero, ejusdem Cœnobii Albanenſis alumno. Ait de hoc Supplemento ipſe Hiſtoriæ majoris Editor p. m. 957: *Quod autem annodò appoſitum eſt, & proſecutum, cuidam alteri fratri eſt adſcribendum, qui tanti prædeceſſoris opera præſumens aggredi, indignè proſecuturus, cùm non ſit ejusdem dignus corrigiam ſolvere calceamenti, paginæ non meruit nomine tenus annotari.* Aſt rigidior hæc mihi cenſura videtur; ſi enim ex genuino Matthæi Pariſii Chronico (quod ipſemet non niſi *libellum* appellâſſe dicitur, & Illyricus *opuſculi* duntaxat nomine indigitavit) innumeras interpolationes & additiunculas ſuſtuleris, ſanè Matthæum inter, & Rishangerum ceteræ Scriptionis norma haud multùm inter ſe different. Fortè ipſa Rishangeri brevitas, ab interpolationibus, atque convitiis multò plùs vacua, heterodoxo Interpolatori diſplicuit. Quanquam nec huic Supplemento ſui errores aut fabulæ deſunt, quibus ſive proprio partium ſtudiò, ſive potiùs mendaci famâ deceptus Rishangerus (aut quiscunque Continuator Anonymus) ſuam Appendicem fœdavit. Sic erravit *primò*, cùm p. m. 965 anathema Pontificium in rebelles Angliæ Barones latum uno anno ſeriùs retulit, & cum anno 1265 conjunxit, etſi Urbanus IV, qui hoc anathema tulerat, jam VI Nonas Octobris anni 1264 diem ſupremum obiêrit. Fabula-

tur

tur *secundò*, cùm nihilominus p. m. 966. 967 ad eundem an. 1267. *Simonem*, Liceſtriæ Comitem, belli domeſtici facem, & rebellium Caput immodica laude extollit: „ Cùm B. Roberti Lincolnienſis Epi„ ſcopi conſilio ad arma contra Regem pro patriæ libertate ſumenda, „ ſpe remiſſionis peccatorum & Martyrii palmâ propoſitis, incita„ tum: poſt mortem etiam miraculis claruiſſe, quæ ob metum Re„ gum publicata non fuerint, mentitur. Sanè hæc inepta eſſe, ab„ ſurda, & ab homine imperito ac judicii experte ſcripta nemo non „ videt, qui DEI lege imbutus eſt. Scilicet Vir Sanctus, qualem „ *Robertum* fuiſſe prædicant, author fuiſſet Comiti, ut adverſus Re„ gem rebellaret, funeſtúmque bellum Domino ſuo inferret, ſedi„ tionibus, incendiis, cædibus, patriam miſerum in modum fœda„ ret: ac *Simon* perduellis, excommunicatus, miraculis poſt mor„ tem claruiſſet! Hoc à conjuratis conficta, & à nugaci illo Mona„ cho imprudenter ſcriptis prodita, evidens eſt. Ita *Natalis Alex.* „ T. VII. Hiſt. Eccl. Cap. XII. Art. II. de Regibus Angliæ p. 318. col. 1. Imò quomodo ex Roberti Antiſtitis hortatu ad arma contra Regem proruere poterat Simon, cùm juxta pag. 848 jam an. 1253 fatis conceſſerit Robertus, Baronum verò adverſus Regem conjuratio non ante annum 1261 contigerit? quandoquidem & juramenti, Regni ordinibus antehac præſtiti, relaxationem (totius poſtmodum rebellionis fomitem) anno primùm 1260 à Romano Pontifice Rex Henricus clanculum obtinuit, juxta pag. 958. 959 ad an. 1260. 1261.

Hæc interim de Matthæi Pariſii Hiſtoria, etſi fors juſtò longiùs deducta videntur, pro nimia tamen, quæ commemorandæ perſtringendaéve etiamnum ibi ſuperforent, rerum copia longè adhuc infra meritum dicta Lector exiſtimet.

S. PASCHASIUS RATBERTUS, Corbejæ Gallicæ Abbas, & quà doctri- S. PASCHAnæ, quà vitæ religioſiſſimæ laude conſpicuus Scriptor, ad Cœlites SIUS RATabiit an. 860 XXVI Aprilis: quâ die colitur. Vid. *Acta SS.* T. III. April. BERTUS. & *Mabillon.* Sec. IV. Benedict. P. II. Opera Ratberti, quæ ſparſim in Bibliothecis PP. leguntur, uno Volumine complexus eſt Sirmondus noſter Pariſiis an. 1618: eorúmque ſeriem recenſet Labbeus T. II. Script. Eccl. p. 157. 158. Inter ea, quæ in rem noſtram faciunt, ſunt *primò* Vita *S. Adalhardi*: *ſecundò* Vita *S. Walæ*, Paſchaſii videlicet in eadem Corbeienſi Abbatia anteceſſorum. Utraque non parùm de intricatis Ludovici pii temporibus & tam filiorum quàm Procerum auſis perduellibus agit. Vitam S. Adalhardi poſt Surium emendatiùs edidere Sirmondus inter Opera Paſchaſii & Bollandus T. I. Januarii; Vi-

tam S. Walæ (quam quidem non nominat Labbeus, meminit autem Sirmondus in Paſchaſii Vita, Operibus hujus præfixa) in lucem protulit Mabillonius Sec. IV. Benedictino P. I. Plura de Paſchaſio & ejus Scriptis Vide apud *Poſſevinum* in Apparatu, *Labbeum* l. c. & p. 775. 776. inter Addenda, *Mabillonium* l. c. P. II. *Natalem Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. p. 48. Cap. III. Art. IX de Script. Seculi IX, & maximè Diſſertatione X à p. 338 ad 349 contra Calvinicolas, qui Paſchaſium, luculentiſſimum Euchariſticæ Tranſubſtantiationis aſſertorem, & Calviniani dogmatis jugulatorem, ſuas nihilominus in partes pertrahere perfricta fronte non exhorruêre.

PAULUS WARNEFRIDUS.

PAULUS WARNEFRIDUS, vulgò PAULUS DIACONUS, Warnefridi & Theodelindæ filius, Eccleſiæ Aquilejenſis Diaconus, poſtquam anno 774 unà cum Deſiderio, ultimo Longobardorum Rege (cui fuerat à ſecretis) eandem captivitatis fortunam ſubiêrat, Carolo Magno poſthæc acceptiſſimus ac pene familiaris, æmulorum denique invidiæ victima factus, ob inſidiarum eidem Carolo ſtructarum ſuſpicionem ſeu veriùs ob temerè impactam proditionis calumniam in Diomedeam Adriatici maris Inſulam eſt relegatus. Inde verò ad Arrigiſum Beneventanum Ducem profugus, poſt hujus obitum, ſive an. 787 ad Monachos Caſinenſes tranſiit, & non paucis ibidem annis monaſticam vitam exegit, ùt *Leo Oſtienſis* in Chronico Caſinenſi l. 1. c. 17. teſtatur; unde ad Seculi IX. initium vitam Paulus extraxiſſe videtur. Maxima quidem hujus Pauli auctoritas eſt, meritóque apud Leonem Oſtienſem in Chronico Caſin. l. 2. c. 45. *verax plaèe & inſignis hiſtoricus* audit: eadem tamen in rebus multò vetuſtioribus non ſemper exacta aut decretoria, ùt notavit *Dolmanſius* noſter T. IV Aug. p. 40. n. 14. 15. 16. 17. *Stiltingus* T. VI. Aug. p. 506. n. 10.

Præter totius anni *Homiliarium*, Carolo jubente collectum (de quo *Leo* Oſt. l. c. *Pagius* T. III. Crit. ad an. 807. n. 7. *Eckhartus* T. I. Comment. de Rebus Franc. Orient. p. 719) item *Continuationem ad Eutropium* (de qua ſuprà lit. E & M, verbò: *Eutropius & Miſcella*: p. 189 & p. 279 ad 283 jam egimus) *Vitam S. Gregorii M.* cujus meminit Pagius l. c. aliáque Opera & Opuſcula, quæ Leo Oſt. l. c. Petrus Diaconus Caſin. in lib. de Viris Illuſtribus, & ex eo Labbeus T. II. Script. Eccl. p. 171. 172 & p. 778. 779 ſeq. inter Addenda recenſent: ſcripſit *primò libellum de Epiſcopis Metenſibus*, juſſu Angilramni Met. Epiſcopi, prout ipſe Paulus in Hiſt. Longobardica lib. VI. Cap. XVI de ſe affirmat. Editus hic eſt apud *Freherum* in Corp. Hiſt. Franc. Sinceræ & Veteris à p. m. 172. *Fragmentum* verò hujus libelli ſive Excerpta de Majoribus

ribus Caroli M. jam antehac publicaverat *Pithœus* inter XII Scriptores Franc. coætaneos p. m. 288 289 : poſt Pithœum *Du-Cheſnius* T. II. Script. Franc. à p. 201.

Scripſit *ſecundò* Paulus *Hiſtoriam Winilorum ſive Longobardorum*, in ſex libros diſtinctam, quæ in Luitprandi Regis obitu, ſive in anno 744 abſolvitur. Excuſam illam habemus Lugduni Batavorum an. 1595 : recuſam Mediolani apud Clariſſ. Muratorium T. I. Script. Ital. P. I. an. 1723.

Freherus quidem loco mox cit. poſt Metenſium Epiſcoporum libellum p. m. 178. 179 ſub ejusdem Pauli Diaconi nomine *rerum Longobardicarum Supplementum*, à Luitprandi obitu usque ad Longobardici Regni interitum, ſeu ab anno 744 ad 774, ex optimæ, ùt ajebat, notæ MS. Palatino erutum exhibet, & poſt Freherum Muratorius l. c. T. I. P. II. Aſt deceptum fuiſſe Freherum, duo maximè ſunt, quæ conjectare nos jubeant. Inprimis enim ab Editionibus antiquioribus & plerisque MSS. Codicibus Supplementum hoc abeſt, neque Freherus id diffitetur ; dein ipſa ſcribendi ratio, ſive adverſus Deſiderium Regem ſonantior vehementiórque calamus (quantumvis aliàs apertus atque ſincerus) à Pauli tamen, Regi ſuo fidiſſimi devotiſſimique, animo, dictis, & factis abhorret. Ait Supplementi Auctor: *Hic verò* (Deſiderius) *imitator factus* AISTULFI, ABSTULIT *civitatem Faventinam, & Ducatum Ferrariæ, ſeu Comachium de Exarcato Ravennate. Ad quem Adrianus Papa ſæpiùs ſuos miſſos direxit, & obſecratorias literas miſit, deprecans eum, ut à* TANTIS MALIS *reſipiſceret, & eas, quas* ABSTULERAT, *ad Sedem Apoſtolicam redderet Civitates. Sed nequaquam* EJUS COR LAPIDEUM *potuit emolliri.* Et.... *Karolus Francorum Rex direxit eidem Deſiderio ſuos miſſos, deprecans, ut easdem B. Petro Apoſtolo, quas* ABSTULERAT, *pacificè redderet Civitates, promittens inſuper ei dare quatuordecim millia ſolidorum.* SED NEQUE DEPRECATIONIBUS, NEQUE MUNERIBUS, EJUS FEROCISSIMUM COR FLECTERE VALUIT. Jam verò ex Leone Oſtienſi l. c. diſcimus, quòd Paulus Diaconus Regi ſuo Deſiderio, cujus *Notarium* egerat, non modò ad captivitatem usque individuus comes adhæſerit, ſed & poſtmodum, cùm de paratæ proditionis ſcelere apud Carolum Regem argueretur, atque ab eodem, *an verè eſſent, quæ de illo dicerentur*, fuiſſet interrogatus, *conſtanter ſe Domini ſui* (Deſiderii) *fideliſſimum, & in eadem fide, quoad viveret, perſeveraturum aſſeverârit.* Ea itaque, quæ *de tantis* Deſiderii *malis*, de *lapideo, ferociſſimo, nullis deprecationibus atque muneribus emolliendo* ejusdem animo Supplementum commemorat, non Paulum, Regis ſui amantiſſimum, ſed alium longè Scriptorem Anonymum, Deſiderio nequaquam amicum, veroſimiliùs produnt. Sed neque ex toto

nar-

narrationis hujus Supplemento vel tenuiſſimi indicii micam elicies, unde Auctorem Deſiderio, hunc Auctori cognitum, & eidem utrumque captivitatis fato obnoxium fuiſſe cognoſcere poſſes. Altiſſimum ibi de hisce ſilentium eſt, etſi improſperam Deſiderii ſortem luculenter Continuator expreſſerit. Ordo autem jam poſtulat, ut hoc ipſo in loco alia diſcutiatur

QUÆSTIO CRITICA

De incognito Compilatore Freheriano.

§. I.

Unius Freheri fide atque judicio hac in quæſtione ſtari non poteſt.

1. FReherus, poſtquam putatitii Pauli Diaconi Supplementum Longobardicum abſolverat, aliam illico Continuationem ſubjungit, quæ à Regni Longobardici fine, ſive ab an. 774 usque ad an. 825 deducitur, cum hac prævia Freheri notatiuncula: *Quæ ſequuntur incogniti Auctoris in eodem vetuſtiſſimo Codice* (MS. videlicet Palatino optimæ notæ) *non indigna viſa ſunt, quæ ſubjicerentur.* Utique non indigna, ſed longè digniſſima, ſi & Auctor vetuſtiſſimus ac contemporaneus eſſet, & ſingula, quantumvis pauca, quæ hìc aſſeruntur, etiam pura veritate niterentur! Aſt num Codicum MSS. antiquitatem & ſinceritatem ſatìs cognitam perſpectámque habuerit Freherus, non immeritò dubitaveris; nam & idem Freherus ex *optimæ* pariter, ùt perſuadere voluerat, *notæ Codice Palatino* Anaſtaſii Bibliothecarii apographum ſive Librum Pontificalem MS. ad P. Buſæum noſtrum Moguntiam miſerat, ut ejusdem, quæ tum Moguntiæ parabatur, Anaſtaſii Editioni inde poſſet ſuccurri. Extabat verò in eo Codice hiſtoriola de Joanna Papiſſa; illam tamen periodum omiſit Buſæus. Ecur autem? quia videlicet longè vetuſtiora exemplaria, quæ tum Lambecius ex Bibliotheca Viennenſi, tum Marcus Welſerus & Fabrottus (poſt hos verò Bianchinius & & Vigniolius) penes ſe habuêre, nihil admodum de iſthac fabella continuerant. Unde Codex Freherianus haud optimæ notæ fuit, ſed recentiore manu conſcriptus ac interpolatus, non minùs ac ille, quem ex Bibliotheca regia Pariſina chartæ pergamenæ inſcriptum viderat Claudius Sarravius: prout hic ipſe oculatiſſimus teſtis Ep. 138 ad Salmaſium commilitonem ſuum heterodoxum profiteri non dubitavit. Vid. *Eckhart. T. II. Comment. de Rebus Franc.*

Franc. Orient. p. 438. *Labbeus* T. I. Script. Eccleſ. p. m. 981. 982, ubi ad confundendum Samuelem Mareſium, notiſſimum illum onochronum Gröninganum, ipſa Sarravii ad Salmaſium Epiſtola à Labbeo recitatur. Quare priusquam de incogniti Compilatoris Freheriani ætate & fide certi definiri quid poſſet, ipſam præprimis Codicis conditionem, & literarum vel maximè characteres inſpici atque examinari oporteret; ſolius enim Freheri auctoritas majorem hìc planè fidem nobis facere non poteſt, quàm fecerit antè Buſæo, cùm optimæ ſimiliter; ùt Freherus prætenderat, notæ Codex Anaſtaſianus ab eodem ad Buſæum transmitteretur.

§. II.

De Recentiori Compilatoris Ætate.

2. IMò à multò poſterioris, ſimúlque inſulſi abbreviatoris manu, qui neque teſtis Synchroni, & neque ſolum Continuatoris nomen legitimè promereatur, totam illam qualemcunque Appendicem fuiſſe confutam, ratio multiplex probat. Inprimis enim ex quinquaginta duobus annis, quorum ſeries per numeros Romanos ex ordine ponitur, anni omnino triginta & octo penitus nudi, inanes, ac ſteriles relinquuntur, ita ut nec minima ullius etiam minutiſſimæ rei mentio & apex occurrat; in aliis ſeptem annis non niſi paucula attinguntur, vel potiùs obiter neglectimque projiciuntur: in ceteris demum annis, quidquid ferme memoriâ dignum refertur, non niſi ex aliis Auctoribus promiſcuis, ætate multùm inæqualibus, verbotenus propè exſcriptum, ſimúlque contractiùs compilatum fuiſſe, deprehendere licet.

3. Sic ad an. 781. ait Continuator Freherianus: „ *Carolus Rex Romam veniens: ibique baptiſatus eſt filius ejus, qui vocabatur Carlomannus,* “ *quem Adrianus Papa mutato nomine vocavit Pippinum, & unxit Regem ſuper Italiam, fratremque ejus Ludowicum ſuper Aquitaniam.* „ Deſumpta verò hæc ſunt ex multò antiquiori Appendice ad Chronicon Nibelungi, quod ita habet: *Anno DCCLXXXI perrexit Carlus Rex Romam, & baptizatus eſt ibi filius ejus, qui vocabatur ei Carlomannus, quem Hadrianus Papa mutato nomine vocavit Pippinum, & unxit in Regem ſuper Italiam, & fratrem ejus Hludowicum ſuper Aquitaniam.* II. Ad an. 786 inquit Continuator: „ Hoc anno multa Signa apparuiſſe dicitur. Signum etiam “ Crucis in veſtimentis hominum apparuit, & ſanguinem è terra at- “ que de cœlo profluere multorum affirmatione innotuit. „ Hæc

verò ubi reperies, præterquam apud Lambertum Schaffnaburgenſem? cujus ad eum annum hæc verba leguntur: *Multa quoque viſa ſunt prodigia. Signum enim Crucis in veſtimentis hominum apparuit, & ſanguis è cœlo terráque profluxit.* III. Ad an. 787 narrat Continuator: „ Carolus " Rex Romam veniens in terram Beneventi profectus eſt, monaſte- " rium S. Benedicti adiit. „ Aſt ipſiſſimæ ferme hæ voces ſunt ejusdem Lamberti ad e. a. *Carolus Romam veniens Beneventum profectus eſt, & Monaſterium S. Benedicti adiit.* IV. Ad an. 799. juxta Continuatorem: „ Leo Apoſtolicus cùm more ſolito in Letania, quæ major appella- " tur, procederet, Paſchalis Primicerius cum Campolo Saccellario, & " aliis Romanis, ferino more eum comprehendentes in terram proje- " cerunt, expoliantésque eum crudeliter ejus oculos evellere, & ip- " ſum penitus cœcare conati ſunt. Nam & lingua ejus præciſa, & ut " ipſi omnino tunc arbitrati ſunt, cœcum eum & mutum in media platea " dimiſerunt. Qui poſtea cùm ab ipſis carnificibus in Monaſterium S. " Praſmi in cuſtodiam mitteretur, à fidelibus S. DEI Eccleſiæ noctu per " murum Civitatis dimiſſus eſt, & ad Legatos Caroli Magni Regis, " qui tunc apud Eccleſiam B. Petri Apoſtoli erant, Wirundum ſcili- " cet Abbatem, & Winigiſum Spoletinum Ducem veniens primò " Spoletium, deinde ad Franciam eſt deductus, atque à præfato Re- " ge venerabiliter ſuſceptus, & honorificè Romam remiſſus eſt. „ Atque hæc unde, niſi ex Anaſtaſio & Reginone, Compilator deſumpſit? ita tamen, ut ex diffuſiſſimo Anaſtaſii textu, quàm plurima & inter hæc maximè Leonis III incolumitatem cœlitus recuperatam, heterodoxo forſitan genio minùs gratam, reſecuerit ac prætermiſerit. Ait Anaſtaſius in vita Leonis III: *Cùm. . more ſolito in Letaniis, quæ ab omnibus majores appellantur, procederet. . . . Paſchalis Primicerius. . & Campulus Sacellarius. . maligni etiam falsique Chriſtiani. . . . ferino more comprehendentes, in terram eum projecerunt, & . . . expoliantes eum, crudeliter oculos ei evellere, & ipſum penitus cœcare conati ſunt. Nam lingua ejus præciſa eſt, & ut ipſi omnino tunc arbitrati ſunt, cœcum eum & mutum in media platea dimiſerunt. . . . Contigit . . . quod antedictus Papa cùm ab ipſis carnificibus in Monaſterium S. Eraſmi in cuſtodiam mitteretur. . . . à fidelibus Chriſtianis Viris. . .* ex ipſo eum Clauſtro occultè abſtollentes &c. Regino verò cetera ſupplet: *in cuſtodiam miſſus noctu per murum evaſit, & ad Legatos Regis, qui tunc apud Baſilicam Sancti Petri erant, Wirundum ſcilicet Abbatem, & Winegiſum Spoletanorum Ducem veniens Spoletum ductus eſt.* Poſtrema denique verba tum ex Anaſtaſio rurſus, tum ex Vita Caroli M. à Monacho Egoliſmenſi deſcripta, mutata ſolummodo phraſi, Compilator excerpſit. V. Ad A. 800 ejusdem Anaſtaſii veſtigia ſequitur

Com-

Compilator, cùm aſſerit: „ Leo Apoſtolicus in Eccleſia B. Petri Apoſtoli coram omnibus amplectens Sancta Chriſti quatuor Evangelia, aſcendens in ambonem, contra nefanda crimina, quæ ei à Romanis objecta fuerant, ſub jurejurando clara voce dixit: Quia de falſis criminibus iſtis, quibus ſuper me impoſuerunt Romani, ſcientiam non habeo, nec talia egiſſe me cognoſco. „ Similiter autem & Anaſtaſius: *in eadem Eccleſia beati Petri Apoſtoli. . . amplectens præfatus Venerabilis Pontifex Sancta Chriſti quatuor Evangelia coram omnibus aſcendit in ambonem, & ſub jurejurando clara voce dixit: Quia dè iſtis falſis criminibus, quæ ſuper me impoſuerunt Romani. . . ſcientiam non habeo, nec talia egiſſe me cognoſco.* VI. Ad an. 801 juxta Compilatorem: „ Carolus Rex cùm ipſa die Natalis ad Miſſam ante Confeſſionem B. Petri Apoſtoli ab Oratione ſurgeret, Leo Papa coronam capiti ejus impoſuit: & à cuncto Romano populo acclamatum eſt: Karolo Auguſto à DEO coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria. „ Totidem verba jam antea in ſuo Chronico protulerat Regino ad an. 801: *Cùm Rex ipſa die Natalis Domini ante confeſſionem S. Petri ab oratione ſurgeret, Leo Papa coronam capiti ejus impoſuit, & à cuncto Romanorum Populo ter acclamatum eſt: Carolo Auguſto, à DEO coronato, magno & pacifico Romanorum Imperatori Vita & Victoria.* Idem ante Reginonem pronuntiaverat Monachus Egoliſmenſis in vita Caroli, ex Annalibus potiſſimùm Loiſelianis collecta: *Ipſa Sacratiſſima Natalis Domini cùm Rex ad Miſſam ante confeſſionem beati Petri Apoſtoli ab oratione ſurgeret, Dominus Leo Papa coronam capiti ejus impoſuit, & à cuncto Romanorum populo acclamatum eſt: Carolo Auguſto* &c. Quis jam vel ex his ſolis non abunde diſpiciet, Compilatoris hujus Freheriani ætatem Seculo ſaltem undecimo eſſe poſteriorem, utpote qui non ſolùm Anaſtaſio, Monacho item Egoliſmenſi & Reginone, ſed & Lamberto, exeuntis XI Seculi Scriptore, junior atque recentior fuit? imò quis pro certo promittere auſit, quòd Compilator hic Seculum XVII aut Freheri tempora multùm ſit antegreſſus? aut quòd ipſe Freherus, vel Frehero ſimillimus hanc appendicem non coagmentârit? Nam cùm Chronicon Reginonis jam anno 1521 Moguntiæ, Lamberti Hiſtoria an. 1533 Tubingæ, Monachus Egoliſmenſis Pariſiis an. 1588 & Francofordiæ an. 1594, publicam lucem adexerint, Anaſtaſii verò liber Pontificalis, ſaltem MSptus, in Bibliotheca Palatina juxta ipſummet Freherum extiterit, potuit utique paulò poſt Auctores illos jam publicatos quivis alius Seculi XVI aut XVII compilator tum ex prædictis Scriptoribus, tum ex Anaſtaſio MS. ad eundem Palatinum Codicem, quem Freherus allegat, recentiore quidem, aſt vetuſtatis ſimio charactere

locutionéque totum hoc assumentum adjicere: unde demum an. 1611 in Francicæ Historiæ Corpus, Freheri operâ, qualiscunque hic centò irrepserit.

§. III.

De Imperitia & falsitatis notis.

4. SEd & minùs peritum, minúsque veracem hunc Compilatorem fuisse, non una hallucinatio prodit. Nam I. ad an. 794 ita inquit: IN GALLIIS, *in loco, qui* FRANCONOFURTH *dicitur, adversus Elisandum* &c. Quis verò unquam ex Seculi VIII, IX aut X Scriptoribus fuit, qui Francofordiam *in Galliis* collocârit? an adeò rerum ignarus Compilator hic erat, ut Francofordiam ea ætate *Franciæ Orientalis* sive *Germaniæ* Sedem Principem fuisse ignoraret? Equidem Seculo XII unus fortè Othò Frisingensis lib. I. de Gestis Friderici I. Cap. X. XII. XXXVII. quaspiam Germaniæ nostræ Civitates, ùt *Moguntiam, Coloniam Agrippinam, Wormatiam, Spiram, Argentinam*, inter Galliæ urbes numeravit; ast non aliam ob causam, quàm quòd illæ Rhenum ulteriorem, non citeriorem attingerent, & quidquid à Galliæ partibus ad usque littera Rheni porrigeretur, ipse rotunda Galliæ nomenclatione latiùs comprehenderit; ait enim: *Rudolphus Monachus... eas partes Galliæ, quæ Rhenum attingunt, ingreditur, multáque populorum millia ex Agrippina, Moguntia, Wormatia, Spira, Argentina &c. ad accipiendam crucem accendit.* Secus circa Francofordiam res se habet: quæ tam parùm inter Galliæ partes potuit accenseri, quàm parùm ipsemet Mœnus, cui Francofordia adjacet, ab ullo unquam sive veteri sive recentiore Geographo inter Galliæ flumina fuit numeratus: nisi ridiculè dicere malis, etiam Herbipolim (ùtùt juxta omnes jam tum in Orientali Francia seu Germania sitam) etiam Galliæ Civitatem potuisse compellari. Ajunt verò Annales Laurishemienses ad an. 793 & 94: Rex *in Franciam* (Orientalem utique) *reversus est, celebravitque natalem Domini apud Sanctum Chilianum* (Herpiboli) *juxta Mœnum fluvium: Pascha verò supra eundem Fluvium in villa Franconovurd... Rex propter condemnandam hæresin Felicianam... consilium Episcoporum ex omnibus regni sui Provinciis in eandem villam convocavit.* Multò adhuc distinctiùs rem omnem elucidat ipse Libellus Sacro-Syllabus, qui Canonibus Francofordiensibus cum Epistola Hadriani Papæ ad Episcopos Hispaniæ contra Elipandum præfigitur, atque ita habet: *Incipit Libellus Sacro-Syllabus Catholice salubiter editus stilo in Concilio, Divino nutu habito in suburbanis Moguntiæ*

tis Metropolitanæ Civitatis, REGIONE GERMANIÆ IN LOCO, QUI DICITUR FRANCONOFURT &c. II. Cum eodem anno 794 Leonis III. Synodum Romanam, adversùs Elipandum & Felicem Urgellitanum celebratam, falsò compilator conjunxit; nam Hadrianum ea tempestate toti adhuc præfuisse Ecclesiæ, neque ante annum 796 Pontificatum adiisse Leonem, Synodum verò Romanam anno primùm 799 sub Leone III fuisse coactam, inter omnes sinceriores Historicos constat. III. Erroneum similiter illud, quod ad appendicis suæ coronidem sive ad an. 825 compilator adjecit: *Lotharius Imperator iterum ad Italiam veniens, Missam S. Martini Romæ celebravit.* Apertissimum enim compilatoris lapsum convincunt Scriptores Synchroni, ùt Annales Laurishemienses, Anonymus in vita Ludovici Pii, & Annales Fuldenses, juxta quos *anno* 824 *post medium Augustum in Italiam profectus est Lotharius*, anno verò 825 jam ante Aquisgranensia *Augusti* mensis Comitia ex Italico itinere redux ad Patrem pervenit, qui tunc in Vogesi saltu ad Rumericum montem venationis causâ subsiterat.

§. Neque majoris, imò nullius ponderis est, quod ad an. 833 solus & unicus hic recentior Compilator enarrat: *Lotharius Imperator primò ad Italiam venit, & diem Sanctum Paschæ Romæ fecit. Paschalis quoque Apostolicus* POTESTATEM, QUAM PRISCI IMPERATORES HABUERUNT, *ei super Populum Romanum concessit.* Quòd si enim hæc assertio tenet, non modò juris dicundi, aut legis ferendæ potestatem, sed & *supremi*, quod dicimus, *Dominii ac Principatûs* prærogativam Lothario Imperatori Paschalis concessit; supremum quippe Dominium in Populum Ditionémque Romanam Imperatores *prisci*, quà Romani, quà Græci (jure semper, an injuriâ, hìc non disputo) ante Gregorii II & Caroli M. tempora exercuêre. Verùm si omnes Auctores contemporaneos, & tribus minimùm Seculis Anonymo hoc Compilatore antiquiores pervestigaveris, nullam inde aliam, quàm *judiciariam*, & neque hanc aliter, quàm ex ipsa Pontificis assensione permissam potestatem extorquebis. Sic I. *Annales Laurish.* ad an. 823. *Lotharius, cùm secundùm Patris jussionem in Italia* JUSTITIAS FACERET, --- *Papiam regressus, mense Junio ad Imperatorem venit. Qui cùm Imperatori de* JUSTITIA *in Italia à se partim facta, partim inchoata fecisset indicium, missus est Adelhardus, Comes palatii, jussúmque est, ut Mauringum, Brixiæ Comitem, secum assumeret, &* INCHOATAS JUSTITIAS *perficere curaret.* Et ad an. 824: *Lotharium... Romam mittere decrevit* (Ludovicus Pius) *ut vice sua functus, ea quæ rerum necessitas flagitare videbatur, cum novo Pontifice Populóque Romano statueret atque firmaret. --- Lotharius juxta Patris mandatum Romam profectus, ab Eugenio Pontifice honorificè susciptur. Cui cùm*

injuncta patefeciſſet, ſtatum Populi Romani, jam dudum quorundam præſulum (intellige, præſidum ac judicum; neque enim Eugenii prædeceſſores, luculentis virtutum aut ſanctimoniæ meritis inſignes, hìc intelligi poſſunt) *perverſitate depravatum*, MEMORATI PONTIFICIS BENEVOLA ASSENSIONE ITA CORREXIT &c. II. Anonymus Ludovici Pii biographus ad e. a: *Liventiſſimè ab Eugenio Papa ſuſceptus eſt* (Lotharius) *cùmque de his, quæ acceſſerant, quereretur - - - quare etiam tantæ querelæ adverſus Romanorum Pontifices judicésque ſonarent: repertum eſt, quòd quorundam Pontificum* (malè hìc Annales Laurisheimienſes biographus iſte tranſcripſit, dum τὸ *Præſulum* in *Pontificum* vertit; aut certè non niſi ex mendaci inter Germanos Italosque rumore id ſcripſit, qualem etiam ad annum ſuperiorem ſive 823 de Paſchali, tanquam Romanorum Cæſari fidelium interfectore, falsò per Germaniam & Italiam increbuiſſe biographus ipſe notavit) *vel ignorantia vel deſidiâ, ſed & judicum cæca & inexplebili cupiditate multorum prædia injuſtè fuerint confiſcata. Ideóque reddendo, quæ injuſtè erant ſublata, Lotharius magnam populo Romano creavit lætitiam.* STATUTUM ETIAM JUXTA ANTIQUUM MOREM, UT EX LATERE IMPERATORIS MITTERENTUR, QUI JUDICIARIAM EXERCENTES POTESTATEM, JUSTITIAM OMNI POPULO FACERENT, ET TEMPORE, QUO VISUM FORET IMPERATORI, ÆQUA LANCE PENDERENT. Atque hæc ſola Auctoris Synchroni & domeſtici in Imperiali Palatio teſtis aſſertio ſatis nos edocet, quòd non alias *priſcorum* Cæſarum aut *antiqui moris* reliquias Lothario conceſſerit Pontifex, quàm *poteſtatis judiciariæ* munus; quam ab ipſomet ſupremo Dominio ſeparabilem eſſe quis neſcit aut neget? Unde Compilator Freherianus, qui & hunc biographi textum veroſimiliùs vidit, eundem vel fide ſubdolâ, vel certè obſcuro nimiùm ambiguóque ſermone contraxit, cùm *antiqui moris* poteſtatem, quam biographus *ad judiciariam* reſtrinxit, ipſe ad innominatam, proindéque tam rei judiciariæ quàm ſupremo dominio facilè applicandam, utpote utramque Cæſaribus *priſcis* familiarem, prælicenter extendit.

6. Quanquam neque hanc ipſam poteſtatem, merè judiciariam atque legalem ſoli tunc exercere poterant Imperatores Carolingici; nam eandem non niſi cum Pontifice communem accepêre: id quod ipſa Lotharii Conſtitutio Romana eodem, de quo biographus Ludovicianus, tempore lata non obſcurè commonſtrat, ſimúlque ejusdem biographi textum non parùm declarat atque confirmat. Meminêre hujus Conſtitutionis *Sigonius* L. IV. de Regno Italiæ, *Baronius* in Annalibus ad an. 824. n. XIII & ſeq. Integram verò illam exhibet Holſtenius

ſtenius in Collectione Romana P. II. pag. 218, deſumptam ex Collectione Canonum Card. DEUS-dedit lib. 1. cap. 242 & ſeqq. ex Holſtenio Pagius T. III. Crit. ad an. 824. num. III. *Eckhartus* T. II. Comment. de Rebus Franc. Orient. p. 189. Ita igitur *primum* hujus Conſtitutionis caput ſive ſanctio ſonat:

I. *Conſtituimus, ut omnes, qui ſub ſpeciali defenſione* DOMNI APOSTOLICI SEU NOSTRA *fuerint ſuſcepti, impetrata inviolabiliter utantur defenſione. Quod ſi quis in quocunque violare præſumpſerit, ſciat ſe periculum vitæ ſuæ incurſurum. Nam & hoc decernimus, ut* DOMNO APOSTOLICO IN OMNIBUS JUSTA SERVETUR OBEDIENTIA, SEU DUCIBUS & JUDICIBUS SUIS AD JUSTITIAM FACIENDAM. IV. *Volumus etiam, ut Miſſi conſtituantur à* DOMNO APOSTOLICO, & A NOBIS, *qui annuatim nobis renuncient, qualiter ſinguli Duces & Judices juſtitiam populo faciant, & quomodo noſtra Conſtitutio ſervetur. Decernimus itaque, ut* PRIMUM *omnes clamores, qui negligentiâ Ducum aut Judicum fuerint,* ad NOTITIAM DOMNI APOSTOLICI *referantur, ut ſtatim* AUT IPSE PER SUOS NUNCIOS *eosdem emendare faciat, aut* NOBIS *notificet, ut legatione à nobis directa emendentur.* V. *Volumus etiam, ut omnis Senatus & Populus Romanus interrogetur, qua vult lege vivere, ut ſub ea vivat; eisque denuncietur, quòd procul dubio, ſi offenderint contra eandem, eidem legi, quam profitebuntur,* DISPOSITIONE DOMNI PONTIFICIS ET NOSTRA *omnimodis ſubjacebunt.* IX. *Noviſſimè præcipimus & monemus, ut omnis homo, ſicut DEI gratiam & noſtram habere deſiderat, ita præſtet in omnibus* OBEDIENTIAM ATQUE REVERENTIAM ROMANO PONTIFICI. Clarior eſt hæc Conſtitutio, quàm ut majorem ei lucem affundere neceſſe ſit; quivis enim à præjudiciis liber & vocum intelligentior arbiter mox agnoſcet, non modò de ſola *judiciaria* poteſtate hìc agi, ſed & hanc non minùs (imò magis) Pontifici, quàm Lothario propriam fuiſſe atque communem. Præterea ſi juxta Annales Laurishemienſes *benevolâ Eugenii aſſenſione Statum Romanum* Lotharius *correxit*, hæc ipſa etiam Conſtitutio (per quam utique Status Romanus, Ducum judicúmque negligentiâ cupiditatéve hucusque depravatus, vel maximè fuerat emendatus) non absque Eugenii aſſenſu & voluntate à Lothario condita fuiſſe, rite concluditur. Unde non parùm fallunturii, (inter quos *Pagius* T. III Crit. ad an. 824. n. 4. *Eckhartus* l. antè cit. p. 189) qui ex *judiciaria* hac poteſtate aut condendæ legis arbitrio ipſum Cæſaris in Romanos ſupremum Dominium gratis omnino intulêre: quaſi verò in Lothario judiciarii muneris & ferendæ legis delegata poteſtas cum ſupremo reapſe Pontificis Dominio ſtare minimè poſſet! ſed de hoc aliàs plura, cùm ex inſtituto id argumentum tractabitur.

§. IV.

§. IV.

De ſubleſto Compilatoris Epilogo.

7. DEnique haud majoris fidei narratio eſt, quam ad an. 825 incognitus hic Compilator pro colophone adnectit. *Hoc eſt* (inquit) *juramentum, quod Romano Clero & Populo ipſe* (Lotharius) *& Eugenius Papa facere imperavit: I. Promitto ego ille per DEUM Omnipotentem, & per iſta Sacra quatuor Evangelia & per hanc Crucem Domini noſtri Jheſu Chriſti, & per corpus beatiſſimi Petri Principis Apoſtolorum, quòd ab hac die in futurum fidelis ero Dominis noſtris Imperatoribus Hludouico & Hlotharío, diebus vitæ meæ, juxta vires & intellectum meum, ſine fraude atque malo ingenio; ſalva fide, quam repromiſi Domino Apoſtolico*: II: *& quòd non conſentiam, ut aliter in hac Sede Romana fiat electio Pontificis, niſi canonicè & juſtè, ſecundum vires & intellectum meum*: III: *& ille qui electus fuerit, me conſentiente conſecratus Pontifex non ſit, priusquam tale Sacramentum faciat in præſentia Miſſi Domini Imperatoris & populi, cum juramento, quale Dominus Eugenius Papa ſponte pro conſervatione omnium factum habet perſcriptum.*

8. Verùm de primo hujus juramenti articulo nemo penitus ex Scriptoribus *coævis* ſive profanis ſive Eccleſiaſticis mentionem ingerit: etſi publicum illud eſſe debuerit atque ſolemne, neque à ſolo Cæſare, ſed ab ipſomet, ùt præfertur, Pontifice perpetuæ tranquillitatis gratiâ imperatum, proindéque in futura tempora valiturum. Quis igitur in graviſſimi momenti negotio uni Compilatori recentiori fidem mox habeat in communiſſimo Veterum ſilentio, quorum ſaltem aliqui juramenta hujusmodi publica inter Regum & Cæſarum geſta adnotare conſueverant? Nam de Leone III ſcribunt Annales *Laurisbemienſes* ad an. 796: *Romæ Adriano defuncto, Leo Pontificatum ſuſcepit, & mox per Legatos ſuos, claves confeſſionis S. Petri, ac vexillum Romanæ Urbis, cum aliis muneribus Regi* (Carolo) miſit, *rogavitque, ut aliquem de ſuis optimatibus Romam mitteret, qui Populum Romanum ad ſuam fidem atque ſubjectionem per Sacramenta firmaret. Miſſus eſt ad hoc Engilbertus, Abbas Monaſterii Sancti Richarii* &c. De Stephano IV, Leonis Succeſſore, teſtatur Theganus in vita Ludovici Pii ad an. 816 cap. XVI. *Leo Papa Romanus obiit, & Stephanus poſt eum ſucceſſit, qui ſtatim poſtquam Pontificatum ſuſcepit, juſſit omnem Populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico, & dirigens Legatos ſuos ad ſupradictum Principem* &c. De Sergio II ad annum 844 ait Anaſtaſius Biblioth. *His peractis* (poſtquam ſcilicet Sergius Ludovicum II, Lotharii I filium, in Italiæ ſeu Longobardiæ Regem coronaverat) *à prædicto poſtulaverunt Pontifice, ut omnes Primates*

Primates Romanorum fidelitatem ipſi Ludovico Regi per Sacramentum promitterent. Quod prudentiſſimus Pontifex fieri nequaquam conceſſit, ſed ſic orſus eſt illis: Quia ſi vultis, Domino Lothario magno Imperatori hoc Sacramentum ut faciant, ſolummodo conſentio atque permitto. Nam Ludovico ejus filio ut hoc peragatur, nec ego nec omnis Romanorum nobilitas conſentit. Tunc demum in eadem Eccleſia ſedentes pariter tam beatiſſimus Pontifex, quàm magnus Rex & omnes Archiepiſcopi atque Epiſcopi, ſtantibus reliquis Sacerdotibus & Romanorum ac Francorum Optimatibus fidelitatem Lothario Magno Imperatori ſemper Auguſto promiſerunt. De aliis tum Regum erga populum ſuum aut alios Principes, tum populi erga Reges ſuos juramentis, ex Nithardo, Annalibus Bertinianis atque Fuldenſibus, aut ex Capitularibus Francicis ad idem Seculum IX complura exempla ac documenta ſuppeditat Eckhartus T. II. Comment. p. 428. 460. 476. Pithœus inter XII Script. Franc. coæt. p. 508. 509. 510. Pſeudo-Aimoinus l. V. c. 21 ex Annalibus Bertin. ad an. 869. Haud equidem inveroſimile putem, quòd Eugenius II in ipſo Pontificatus initio ad ſolitas Romanorum ſeditiones prævertendas etiam Lothario (quem anno primùm ſuperiore, ſive an. 823, prædeceſſor Paſchalis Co-Imperatorem jam inauguraverat) fidelitatis juramentum à Romanis exſolvi juſſerit, haud ſecus, atque id fieri voluit Leo III erga Carolum M., Stephanus IV erga Ludovicum Pium; aſt ob unius, qui multò poſterior eſt, incogniti Compilatoris teſtimonium eam juſſionem ab Eugenio datam illico affirmare non auſim, ubiceteri Scriptores contemporanei ſilent. Demus tamen, hunc Compilatorem hac in parte eſſe teſtem legitimum: nihil iſtud ſupremo Pontificum in Civitatem Romanam dominio officere poteſt; cùm fidelitatis Sacramentum, quod Imperatoribus partim ùt Defenſoribus & Advocatis, partim ùt delegatis à Pontifice Legislatoribus & juſtitiæ adminiſtris Romani præſtiterant, non alia lege feciſſe legantur, quàm *ſalva fide erga Dominum Apoſtolicum*, ſuum ſcilicet Dominum ſupremum; jam enim à Gregorii II. temporibus ſupremam in Romanos poteſtatem exercuiſſe Pontificem non modò ex eorum temporum Geſtis inſtruimur, ſed & ex Ludovicianæ Donationis Diplomate, quod ſatis authenticum eſſe, alibi nos eviſturos ſperamus.

9. Alterum juramenti caput, uti nec ipſum ab ullo Auctore æquævo aſſeritur, ita neque præſcribi neceſſarium fuit; nam ad Electionem *canonicam & juſtam* jam ligabantur Romani tum legibus Eccleſiaſticis & conſuetudine perpetua, tum ipſiſſima Lotharii conſtitutione recentiſſima, & exilii ſententiâ eodem anno 824 in turbatores decreta; nam Caput III illius Conſtitutionis ita ſtatuit: *In Electione autem Romani Pontificis*

tificis nullus ſive liber, ſive ſervus præſumat aliquod impedimentum facere. Sed illi ſolummodo Romani, quibus conceſſum eſt conſtitutione Sanctorum Patrum, ſibi eligant Pontificem. Quòd ſi quis contra hanc noſtram conſtitutionem facere præſumpſerit, exilio tradatur.

10. Tertius Juramenti Articulus duo re ipſa præſcribit: nimirum ut Pontificis conſecratio non priùs permittatur, niſi & ipſe electus *tale Sacramentum* antè præſtiterit, & quidem *in præſentia miſſi Imperatorii & populi;* unde conſequitur, quòd *nec ante Imperialium Legatorum adventum* Pontificis ordinatio potuerit celebrari. Verùm ut ab altero exordium ducam, cur continuò poſt ipſius, qui juramentum Romanis paulò antè imperâſſe dicitur, Eugenii II obitum an 827 Valentinus non expectatis imperialibus miſſis eſt conſecratus, neque ullum ante conſecrationem ſive Cæſari ſive Populo Sacramentum dixiſſe legitur? cur Sergius II anno 844 eundem inaugurationis honorem admiſit, etſi nemo de Oratoribus Cæſareis interfuerit, & Pontificiæ inaugurationis fama, re jam peracta, primùm ad Imperatoris Lotharii aures pervenerit? cur denique Sergii hujus Succeſſor Leo IV ſub eodem adhuc Lothario Cæſare an. 847 inconſulto Cæſare, & abſentibus Legatis, per conſuetâ Ordinationis ſuæ Solemnia Pontificiam dignitatem firmavit, quin tamen poſt noviſſimum, quale Compilator Freherianus adducit, Pactum Eugenianum & juramentum à Populo dictum, illos ipſos Pontifices, Valentinum, Sergium, Leonem, & cum Pontificibus Proceres quoque Romanos, Clerum item ac Populum, perjurii cujuspiam violatæque pactionis unquam à Cæſare accuſatos fuiſſe, Synchroni Auctores affirment? Teſtantur quidem Annales Laurisheimenſes, Bertiniani, & biographus Ludovici Pii ad an. 827. quòd Gregorius IV, qui medius Valentinum inter & Sergium Pontifex fuerat creatus, eousque conſecrationem ſuam diſtulerit, dum & Cæſar nuncios ſuos Romam deſtinâſſet. Ipſa quoque Leonis IV inauguratio, quia *ſine Permiſſu Principis* facta, non modicum Romanis terrorem incuſſerat, ut Anaſtaſius refert; aſt utrinque ſatis ſuberant cauſæ; nam Gregorius IV, qui non niſi ſummè invitus conſtantérque reluctans ad Pontificatum unanimi calculo depoſcebatur, Cæſaris Legatos conſultò poterat opperiri, ut per ipſam interjecti temporis moram viam fortaſſis adhuc inveniret, quâ obtrûſum ſibi Pontificatûs honorem ſimul & onus faciliùs declinaret. Dein terrere Gregorium potuit prædeceſſoris ſui Eugenii exemplum, quòd primùm triennio abhinc Romam turbaverat; nam & Eugenius à potiori parte in Pontificem fuerat electus: & nihilominus alia brevi contra illius Electionem turbulenta factio obmurmuravit, ac pro æmulo quodam Anony-

mo

mo ſtetit, ùt Annales Bertiniani commemorant. Idem igitur fatum ne & ſibi in mutabili populo contingeret, Gregorius IV ſapientiſſimè à ſui conſecratione eousque abſtinuit, dum & ipſe interim de eligentium fide atque conſtantia certius exploratiúsque indicium caperet, & Cæſaris præterea Legati coràm adveniſſent, qui quasvis factioſorum turbas auctoritate ſua prævertere ſimul atque compeſcere poſſent. Quàm enim variabilis atque in Schiſma facilis Romanorum propenſio eſſet, poſt ejusdem Gregorii obitum denuo teſtatum fecêre; nam & adverſus Sergium II (quantumvis, Anaſtaſio teſte, uno omnium ore primitus electum) graviſſima paulò pòſt inſanientis populi exarſit ſeditio. Sic & in Leonis IV memoria recenter admodum obverſabantur mala plurima, quibus ante triennium Lotharii Imperatoris exercitus ſub Ludovico filio Duce Agrum Bononienſem Romanúmque afecerat, eoquòd inconſulto Cæſare, abſentibúsque Legatis, ejusdem Anteceſſoris Sergii ſuſcepta fuiſſet conſecratio. Unde vanus haud fuerat Romanorum à Cæſare metus, cùm & hic Leo IV absque prævia Imperatoris notitia Legatorúmve præſentia inungeretur: providéque factitârunt Romani, quòd Leonem haud aliter conſecrari voluerint, quàm ea cum cautione ac proteſtatione, *ſe* FIDEM CÆSARIS *ſive honorem poſt DEUM per omnia & in omnibus conſervaturos*, ùt Anaſtaſius inquit. Quòd ſi enim Bertinianis Annalibus fides eſt, jam anno 844 (poſtquam ſcilicet inſcio Cæſare, neque expectatis ejusdem Legatis, Sergius II. fuerat conſecratus) tam Imperatorii conſenſûs quàm Legatos ad Conſecrationem admittendi neceſſitatem Romanis injungere irritatus Cæſar decreverat; ajunt quippe Annales laudati ad an. 844: *Quo* (Sergio II, Leonis IV Anteceſſore) *in Sede Apoſtolica ordinato, Lotharius filium ſuum Ludovicum Romam cum Drogone Mediomatricum Epiſcopo dirigit, acturos*, NE DEINCEPS DECEDENTE APOSTOLICO QUISQUAM ILLIC PRÆTER SUI JUSSIONEM, MISSORUMQUE SUORUM PRÆSENTIAM ORDINETUR ANTISTES. Egiſſe autem hac de re Ludovicum atque Drogonem, Cæſarisque voluntatem ſignificâſſe Romanis, ipſa legationis demandatæ ratio dubitare vix ſinit. Aſt num in Cæſaris vota deſcenderint, & ſolennem deſuper promiſſionem reipſa fecerint Romani, nemo Scriptorum & nec illi ipſi Annales Bertiniani ultrà explicuêre. Imò ipſa Leonis IV ſine Cæſare, ſine Legatis, Ordinatio proxima contrarium perſuadere videtur: præcipuè cùm neque Lotharium eam ob rem quidpiam contrà moviſſe, ex unanimi Scriptorum ſilentio concludere fas ſit. Quare ſi quod ſub Sergio promiſſum fecêre Romani, meræ illud urbanitatis fuit, non neceſſitatis: & abunde ſatisfactum eſt Cæſari, quòd non

nisi *salva in Cæsarem fide atque honore*, sive absque fidei erga Lotharium debitæ præjudicio ad Leonis Consecrationem Romani processerint.

11. Contemptos nimirum se arbitrabantur Cæsares, Romanos verò in fide nutantes suspicabantur, si ad Pontificiæ Consecrationis Solemnia ne quidem invitarentur à Romanis, quorum non modò Defensores & Advocati, sed & summi cum Pontifice in civilibus atque forensibus causis Judices essent ac Legislatores; attamen pactum quodpiam *Eugenianum*, de quo Compilator Freherianus, nec ipsis unquam objectârunt Cæsares, & neque contemporanei allegârunt Scriptores. Sed & Romani non abs re metuerant, ne quod Cæsaribus aliquoties fuisset indultum, in ipsum denique jus Imperatorium hi aliquando detorquerent; hinc varia juxta Anastasium pro varietate temporum atque causarum circa Electionem & Consecrationem Pontificis servata est Romanorum consuetudo: nunc Electionis & Ordinationis (ùt factum à Leone III) nunc solius Electionis Decretum ad Cæsarem transmittendo (ùt contigit in Benedicto III, Hadriano II) nunc Cæsaris Legatos ad *Consecrationem* evocando, si abessent (ùt fecêre Gregorius IV & Benedictus III) nunc eosdem invitando & admittendo, si jam aliàs per negotia in urbe adessent (ùt observatum in Hadriano II, Stephano V. & Nicolao I, cujus quidem consecrationi, non tamen electioni, ùtùt in urbe præsens, Ludovicus II. Imp. ipse interfuit) nunc denique absque Cæsaris monitu Legatorúmve præsentia Pontificem consecrando, ùt eveniisse legimus in Paschali I an. 817, Eugenio II an. 824, Valentino an. 827, Sergio II an. 844, Leone IV an. 847, Joanne VIII an. 872, Hadriano III an. 884: dum tandem hic ipse Hadrianus legem publicam conderet, atque sanciret, etiam absque Cæsaris jussu & Legatorum præsentia Pontificem posse ordinari. Vid. *Sandinus* in Annot. 2. ad Hadr. III.

12. Huic autem Hadriani Decreto ansam præbere potuit id ipsum, quod ante septendecim annos sive anno 867 sub Hadriano II contigerat, atque ab Anastasio vel potiùs Anastasii Continuatore Guilielmo aut Guillermo Bibliothecario ita distinctè describitur: *Collectis omnibus tam Episcopis cum universo Clero, quàm Primoribus urbis cum obsecundantibus sibi Populis, ab Ecclesia Sanctæ DEI Genetricis semperque Virginis MARIÆ, quæ appellatur ad Præsepe, rapitur, trahitur, & ad Lateranense Patriarchium certatim, & à Procerum, & plebis multitudine deportatur. Quod audientes tunc Missi Principis* (Ludovici II) *molestè tulêre, indignati scilicet, non quòd tantum Virum* (Hadrianum) *nollent Pontificem, quem nimirum anxiè cupiebant, sed quòd se, dum præsentes essent, Quirites non invitavêrint, nec optatæ à se futuri Præsulis electioni interesse consenserint. Qui accepta ratione,* QUOD

NON

NON AUGUSTI CAUSA CONTEMPTUS, SED FUTURI TEMPORIS HOC OMISSUM FUERIT OMNINO PROSPECTU, NE VIDELICET LEGATOS PRINCIPUM IN ELECTIONE ROMANORUM PRÆSULUM MOS EXPECTANDI PER HUJUSMODI FOMITEM INOLESCERET, OMNEM SUÆ MENTIS INDIGNATIONEM, MEDULLITUS SEDAVERE, AC SALUTANDUM ELECTUM ETIAM IPSI HUMILITER ACCESSERE. Quemadmodum igitur Romani Imperiales Legatos, etiam in urbe præsentes, ad Electionem minimè admiserant, ne hi ex favore gratuito sensim jus quoddam ad ipsam pariter *Electionem* viderentur eruere (prout similia jurio ausa, circa *Consecrationem* jam aliquoties ab iisdem fuerant attentata) ita etiam in Consecratione Pontificis circa eorundem præsentiam requirendámve Cæsaris licentiam ex destinato variârunt Romani: ut nimirum tam Electionis, quàm Consecrationis liberrimæ potestatem sibi certiùs firmarent, prætensa verò prætendendáve aliàs ab Oratoribus Cæsareis jura firmiùs à se repellerent; donec Hadrianus III legem insuper tulit, quâ & dubium omne tolleretur deinceps, & imaginaria, circa Pontificis Consecrationem, Legatorum jura penitus ábrogarentur.

13. Verùm cùm post Hadriani III tempora in Electione Bonifacii VI, Stephani VI (aliàs VII) atque Joannis IX non modicas à Populo aut à Tusciæ Marchionibus violentias passa fuisset Ecclesia, idem Joannes IX in Concilio Romano & Ravennatensi an. 898. Decretum aliud edidit, quod ita habet: *Quia Sancta Romana Ecclesia, cui DEO Auctore præsidemus, plurimas patitur violentias Pontifice obeunte, quia absque Imperatoris notitia & suorum Legatorum præsentia, Pontificis sit Consecratio, nec canonico ritu & consuetudine ab Imperatore directi intersunt nuntii, qui violentiam & scandala in ejus Consecratione non permittant fieri; volumus, id ut deinceps abdicetur, & constituendus Pontifex convenientibus Episcopis & universo Clero eligatur, expetente Senatu & Populo, qui ordinandus est, & sic in conspectu omnium celeberrimè, electus ab omnibus, præsentibus Legatis Imperialibus consecretur.* Decreti hujus meminêre *Baronius* T. X. ad an. 904 n. 13. *Labbeus* T. IX. Concil. *Harduinus* T. VI. Concil. P. II. col. 489. *Pagius* T. III. Crit. ad an. 897. n. 4. 5. & ad an. 898. n. 5. 6. *Thomassinus* de Vet. & nova Eccles. disciplina Parte II. lib. II. Cap. XXV. §. 6. *Eckhartus* T. II. Comment. de Rebus Franc. Orient. p. 778. *Sandinus* in Annot. 3. ad vitam Joannis IX: Annot. 4. ad Steph. IV.

14. Neque tamen inde existimes, quòd cùm in hoc Decreto Joannes IX Legatorum præsentiam *ritum canonicum* appellat, ille ad Decreta vel Stephani, vel Leonis IV, vel ipsius Eugenii II respexerit. Nam

Leonis IV Decretum ſeu potiùs literæ ad Lotharium & Ludovicum datæ (quas refert *Gratianus* Diſt. 63. c. 31. & Diſt. 10. c. 9. Ivo Parte V. c. 14. & P. IV. c. 170. Pagius T. III ad an. 847. n. 10. 11. Gretſerus l. 2. contra replic. c. 15) aliud nil denotant, quàm quòd *Electio & confirmatio non niſi juſtè & canonicè fieri debeant: Capitula* item tam *Imperialia* quàm *Pontificia irrefragabiliter cuſtodienda ſint & conſervanda.* Stephanus verò, quiscunque demum intelligatur (nam Gratianus Diſt. 63. c. 28 quotum Stephani nomen non exprimit; unde alii *quartum*, alii *ſextum*, intellexêre) hujuscemodi feciſſe Decretum, nullo ſanè, quod convinceret, argumento teſtéque probatur. Pagius quidem ad an. 816. n. XIX. an. 825. n. XXX. XXXI. an. 897. n. IV & V. Stephanum VI tanquam primum & indubitatum ejus Decreti, quod Romana poſtmodum & Ravennatenſis Synodus ſub Joanne IX ſolummodo confirmârit, Auctorem conditorémque fuiſſe confidenter enunciat. Aſt ſi totius Romani & Ravennatenſis Concilii Acta rite luſtraveris, nihil inde ſubſidii pro Stephani VI, vulgò VII, Decreto obtinebis. Imò quemadmodum totius Conciliabuli Romani, ſub Stephano VI conflati, Acta non niſi Formoſi cauſam & ordinatos ab eodem Clericos concernebânt: ita pariter totius illius Conciliabuli Geſta Scriptáque Joannes IX in Synodo Romana & Ravennatenſi Cap. I. & VII, re nulla penitus excepta, *abdicavit*, *irritavit*, & publicè etiam *comburenda* præcepit; id quod etiam Sigebertus ad an. 903 teſtatur, ùtùt in anno fuerit hallucinatus. Tum verò primùm Capite X. Decretum ſuprà nominatum edidit Joannes, quin tamen ulla Stephani aut ſimillimæ ſub eodem jam conſtitutæ legis mentio, & ſola impræſentiarum confirmatio fiat. Antiquum morem circa Legatorum præſentiam, qui in deſuetudinem venerat, reſtitui nunc volebat Joannes; reſtitutus verò jam antè ille fuiſſet, ſi à Stephano VI lex illa jam emanâſſet. Nullo igitur fundamento nititur aſſertio Pagii; Gratianus verò, ſicut aliàs ſæpiùs in ſua Canonum collectione & inſcriptione fuit deceptus, ita hìc quoque vagum Stephani nomen malè collocavit, & quod uni Joanni IX fuerat tribuendum, ipſe qualicunque demum Stephano perperam vendicavit. Illorum denique opinionem, qui Stephano IV Decretum illud adjudicârunt, ſatis enervat Flori, Lugdunenſis Diaconi Scriptorísque coævi teſtimonium, in Tractatu *de Electionibus Epiſcoporum* ita ſub Ludovico Pio ſcribentis: *In Romana Eccleſia usque in præſentem diem cernimus, absque interrogatione Principis, ſolo diſpoſitionis divinæ judicio & Fidelium ſuffragio legitimè Pontifices conſecrari.* Vid. *Nat. Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. p. 3. Cap. I. Art. II. de Stephano IV, aliàs V. *Eckhartus* T. II. Comm. de rebus Franc. Orient. p. 778 de ſuppoſititio Stephani VI. Decreto.

15.

15. At neque *Eugenii* Sanctionem vel pactum (de quo Compilator Freherianus) per *canonicum ritum* denotavit Joannes; illam enim gratis omnino adstrui, & unius incogniti Compilatoris, multò recentioris, fidem amplecti allatæ superiùs rationes nos vetant. Quare rectiùs dicemus, quòd per *ritum canonicum* aliud reipsa non intellexerit Joannes, quàm illam ipsam, cujus Pontifex distinctè meminit, *consuetudinem*; quæ quòd saltem aliquoties aut aliquantò sæpiùs in Consecratione Pontificum recepta fuisset, idcirco jam in *canonem* quodammodo sive legem, quæsitúmve Cæsaribus jus consuetudinem hanc transisse Joannes pro privata sua opinione potuit arbitrari. Quoniam verò nec illud ignoraverit Pontifex, superioribus annis, per adversæ scilicet opinionis Romanos, Imperiales Legatos à Pontificum Consecratione subinde fuisse exclusos, Cæsares autem ob id ipsum graviter offensos: idcirco tum ad stabiliendam Cæsarum gratiam, tum ad venturi temporis tranquillitatem arcendásque à Pontificia inauguratione violentias; quarum recentissima adhuc exempla fuêre, ipse potiùs Joannes per novam hujusmodi legem, in Romana sua Synodo latam & in Ravennatensi denuo confirmatam, dubium omne inposterum sustulit, & *consuetudinem*, quæ Romanis antehac visa est arbitraria, ipse nunc tanquam *ritum canonicum* apertiùs declaravit. Jam cetera prosequamur.

16. Exigit jùramentum, juxta Compilatorem Freherianum Clero populóque Romano ab ipsomet Eugenio Pontifice & Lothario Imperatore præscriptum: *ne Pontifex electus ad Consecrationem admitteretur, nisi & ipse Electus priùs in Populi & Imperialium Missorum præsentia ante Consecrationem tali se juramentô obstringeret, quale jam in præsenti Clerus populúsque Romanus, imò ipse etiam præstitisset, ac præscripsisset Eugenius.* Verùm tutissimè omninò hìc regeri potest, ne unicum quidem sive de Eugenio II, sive de Eugenii Successoribus per totum Seculum IX ac X, saltem usque ad Othonis M. tempora, ex ullo Scriptore coætaneo prævii hujusmodi publicíque juramenti Pontificii testimonium authenticum posse produci. Meritò igitur inter figmenta hæc Compilatoris appendix rejicitur. Equidem jam ante Eugenium Leo III anno 796 *fidelitatis* mentionem atque promissionem fecerat Carolo M: ùt ex responsoriis Caroli, ad eundem Pontificem datis, colligitur, quas inter Alcuini Opera col. mihi 1612 Ep. LXXXIV (non 86, ùt Eckhartus allegat T. I. Comment. p. 771) exhibet Quercetanus sive Du-Chesnius. Ast ibi non de jurata Pontificis sed de *Populi Romani* fidelitate fit sermo; verba enim Carolinæ Epistolæ ita sonant: *Perlectis Excellentiæ vestræ literis & audita Decretali Cartula* (Electionis ac

Con-

Conſecrationis) *valde ùt fateor gaviſi ſumus ſeu in Electionis unanimitate, ſeu in humilitatis noſtræ* (non *humanitatis veſtræ*, ùt perperam legit Eckhartus) *obedientia*, & IN PROMISSIONIS AD NOS FIDELITATE. Cujus orationis ſenſus caſtigatior hic eſt : gaviſi ſumus tam de unanimi *Populi* conſenſione in *veſtra* Electione, quàm de retinenda erga *noſtram* humilitatem obedientia & promiſſionis *ad nos* ab eodem populo factæ fidelitate, ſive rectiùs, de fidelitatis promiſſione, propediem ſcilicet à populo exequenda, ubi Regii Oratores Romam perveniſſent ; id quod Leo diſertè petiêrat, prout Annales Laurisheminenſes teſtantur, quorum verba ſuperiùs num. 8. jam recitavimus. Nullum verò Pontificiæ fidelitatis juramentum erga Carolum, Franciæ & Italiæ Regem, à Leone fuiſſe præſtitum ante Conſecrationem, neque ante hanc ullum Caroli conſenſum fuiſſe petitum, aut regios expectatos eſſe Legatos, ex hisce Anaſtaſii verbis luculenter ediſcimus : *und concordia eadémque voluntate à cunctis Sacerdotibus ſeu proceribus & omni Clero nec non & optimatibus vel cuncto populo Romano DEI nutu in Natali Beati primi Martyris Stephani electus eſt* (ipſa ſcilicet die, quâ terræ mandatus eſt Hadrianus I, pridie ſive 25 Decembris defunctus) & SEQUENTI DIE *in Natali Sancti Joannis Apoſtoli... Pontifex in Sede Apoſtolica ordinatus eſt* Leo III.

17. Validius forſitan argumentum pro tuendo Eugenii Decreto videbitur illud, quod ex Gregorio IV, proximo Eugenii poſt Valentinum Succeſſore, non nemo depromere poſſit ; huic enim objectaverant Gallicani Præſules, quòd contra juramentum fidelitatis Ludovico Auguſto præſtitum ageret, cùm à filiorum, Patri rebellium, partibus ſtaret : ùt videre eſt inter Agobardi Opera in libello de Comparatione utriusque Regiminis p. m. 361. 362, & apud Harduinum T. IV. Concil. col. 1276. Aſt ut ibidem mox ſubjungitur, non modò perjurii crimen à ſe abſterſit Gregorius, ſed & illud in eosdem rejecit : *Benè autem ſubjungitis*, inquit, *memorem me eſſe debere* JURIS JURANDI, CAUSA FIDEI FACTI IMPERATORI. QUOD SI FECI, *in hoc volo vitare perjurium, ſi annuntiavero ei omnia, quæ contra unitatem & pacem Eccleſiæ & Regni committit : quod ſi non fecero, perjurus ero, ſicuti & vos* ; SI TAMEN JURAVI. *Vos tamen quia* PROCUL DUBIO JUDASTIS & *rejurâſtis, promittentes erga illum omnia fideliter vos agere, & nunc videntes illum agere contra fidem, & præcipitari in perniciem, non revocatis eum, quantum ex vobis eſt, perjuri eſtis : quia pro ejus ſalute ſecundum fidem promiſſam non laboratis.* Profectò ita ſcribere non poterat Gregorius, ſi *certò* jurâſſet : multóque minus, ſi in publica Urbis Romanæ facie (prout fictitium Eugenii Decretum imperat) & Legatorum

torum Imperialium conſpectu, qui Gregorii conſecrationi omnino interfuerant, ſimile aliquando juramentum dixiſſet, falſitatis utique & inſinceræ mentis palàm convincendus, ſi, quæ publicè promiſerat, negare poſtmodum aut in ſolam etiam dubitationem trahere præſumpſiſſet.

18. Nec denique hìc objicias Othonis I & Henrici S. Diplomata, in favorem Romanæ Eccleſiæ data: in quibus tum Conſtitutionis pactionisve Eugenianæ, tum promiſſionis à Leone Pontifice factæ indubitata mentio exprimitur. Sic enim apud *Baronium* T. X. Annal. ad an. 962. n. 7 & 8. *Gretſerum* in Comment. de Munificentia Principum in Sedem Apoſtolicam Cap. V. & lib. II. contra Replic. c. 15. *Pagium* T. IV. Crit. ad e. a. num. 3. utriusque Diplomatis & Donationis verba referuntur ac confirmantur: *Salva in omnibus poteſtate noſtra & filii noſtri poſterorúmque noſtrorum*, SECUNDUM QUOD IN PACTO & CONSTITUTIONE AC PROMISSIONIS FIRMITATE EUGENII PONTIFICIS, SUCCESSORUMQUE ILLIUS CONTINETUR; *id eſt. Ut omnis Clerus & univerſa Populi Romani nobilitas propter diverſas neceſſitates, Pontificum irrationabiles erga populum ſibi ſubjectum aſperitates retundendas, Sacramento ſe obligent, quatenus futura Pontificum electio, quantum uniuscujusque intellectus fuerit, canonicè & juſtè fiat; & ut ille, qui ad hoc Sanctum atque Apoſtolicum regimen eligitur; nemine conſentiente, conſecratus fiat Pontifex, priusquam talem in præſentia Miſſorum noſtrorum, vel filii noſtri ſeu univerſæ Generalitatis faciat promiſſionem pro omnium ſatisfactione atque futura conſervatione, qualem Domnus & venerandus ſpiritalis* PATER NOSTER LEO *ſponte feciſſe dignoſcitur.* Verùm hoc argumentum ſervire non poterit illis, quotquot iſta Diplomata pro ſuppoſititiis habent, ùt plerique Scriptores Acatholi facere aſſolent. Vid. *P. Schwarz* P. IX Colleg. Hiſt. *Gretſerus* lib. II contra Replic. c. 15. & in Apologia Baroniana cap. XX. Dein ſi quoad hanc partem, de Eugenio atque Leone, ùt genuinum agnoſcitur Diploma Othonianum & Henricianum: etiam ùt legitimum debebit admitti quoad Dominium Urbis Romanæ, quam ex ipſa Diplomatis confeſſione §. I. *in ſua poteſtate & ditione* jam prædeceſſores Romani Pontifices tenuêre; id quod tamen Scriptoribus Acatholicis & quibusdam Catholicis minùs arridebit. *Secundò*: cùm neque Eugenium, neque *Eugenii Succeſſores* (id quod tamen in Diplomate Othoniano audacter aſſeritur) ſimile juramentum in populi ac Legatorùm præſentia ante Conſecrationem præſtitiſſe ex coævis Scriptoribus conſtet: illud, quod de *Eugenio*, & *Eugenii Succeſſoribus* ex Diplomate Othoniano refertur, jure merito pro addititio intrusóque habendum; vel certè Othonis primùm ætate, poſt cen-

tum ſcilicet & triginta ſeptem ab Eugenii obitu annos, in Cæſarum fortè gratiam ea demum opinio aut fabula cuſa eſt, idémque error in Othonianum deinceps Diploma invectus. Unde haud melioris furfuris eſt pactum iſtud aut juramentum Eugenianum, Othonis forſitan ætate aut multò adhuc ſeriùs confictum, quàm Decretum illud Hadriani I, in Caroli M. favorem conceſſum & circa Henricorum tempora à Schiſmaticis fabricatum: quod dein abſque debito veritatis criterio in Gratiani collectionem immigravit, & diu fidem imperitioribus fecit. *Tertiò* ait Diploma: *qualem Domnus & venerandus Spiritalis* PATER NOSTER LEO *ſponte feciſſe dignoſcitur.* At quàm confuſa hæc loquendi ratio! quis enim ille Leo? an III, IV, V, aut VI, vel quiscunque demum alius? ſed & de his omnia conficta, neque ullo, cui fidere poſſis, documento firmanda. Et quomodo *ſponte* id fecerat Leo, ſi jurata Eugenii Romanorúmque pactio jam antè præceſſit? aut ſi *ſponte* à Leone id actum, quàm infirmo pede præſcriptum Quiritibus jusjurandum, & Compilatoris Freheriani aſſertio nititur! Num verò de ipſomet Leone VIII Diploma fors loquitur? nam hæc ipſa locutio *Domnus Venerabilis Pater noſter* de coævis atque viventibus vel certè paulò antè demortuis Pontificibus ſolet uſurpari, & ipſe pariter Benedictus Cardinalis Archidiaconus in Pſeudo-Synodo Romana, præſente Othone Magno, ita hunc Leonem VIII compellavit, ut ex Luitprando refert Baronius T. X. Annal. ad an. 964. n. 19. Quòd ſi autem Leo hìc intelligatur Octavus, nemo non inconcinnum & interpolatum Diplomatis textum palpabit; nam quis Joannem XII, cui ad an. 962 Diploma confertur, cum Leone VIII, qui anno primùm 963 in Joannis locum fuerat intruſus? quis legitimum Joannis Pontificatum, tunc ab ipſomet Cæſare agnitum, cum Anti-Papatu Leonis, de quo ne per ſomnium quidem Othonianæ Donationis tempore fuerat cogitatum, cum uno eodémque anno Diplomatéque componet? Vaniſſima itaque ſunt, ſive quæ de Pacto Eugeniano, ſive quæ de Leone per Diplomatis, interpolati videlicet, textum adducuntur.

19. Nihilominus hoc ipſo Diplomate Othoniano in rem ſuam uſus videtur recentiſſimus Compilator Freherianus: qui ſicut ex Anaſtaſio, Reginone, Lamberto, aliiſque, obſcuriſſimam ſuam appendicem conſuit, ita etiam cùm in Othonis Diplomate Eugenii pactum legiſſet, occaſionem inde captârit, ut tum ex obviis veterum juramentorum formulis, tum ex Othoniani Diplomatis verbis integrum ipſe Romanorum Pontificisque juramentum conſtrueret, & pro voce, *Leonis*, accommodatius *Eugenii* tum ſuperſtitis, & juramentum, ut fertur, præcipientis nomen ſubſtitueret. Quod negotium ubi ſua quidem opi-

nione

nione feliciter absolverat neotericus Compilator, appendicem suam etiam ipse abrupit, veluti qui ex integro sibi jam satisfeciſſet, si eo in anno jam terminaretur narratio, qui & Synchronum Auctorem apud imperitos mentiri, & tam Populum Romanum erga Cæsarem, quàm ipsos Pontifices erga Cæsarem simul populúmque Romanum humiliatos posset testari.

20. Atque hæc denique incogniti Compilatoris Appendix decantatissimum illud fragmentum est, cui veluti Palladio fulcróve firmissimo, nescio quæ, Cæsarea in Romulides & Pontificem jura, maximè verò supremum ac eminens in Ditionem Romanam Dominium Auctores non pauci hodie superstruxêre, neque ii Acatholici duntaxat, sed & Catholici, quos inter *Antonius Pagius* T. III. ad an. 823. n. 1. *Eckhartus* T. II. Comment. de Rebus Franc. Orient. p. 181. n. 191: adeò ut etiam Supplementi hujus Auctorem ipsimet Eugenio II coævum fuisse, Eckhartus l. c. p. 190 tanquam *certum* pronunciet, non alio tamen ex capite, quàm quòd Continuator jam in anno 825 narrare desierit. Quantum verò sua Eckhartum fefellerit opinio, ea satis docebunt, quæ tum de Anastasio, Reginone, Lamberto, per eundem Compilatorem exscriptis aut contractis, dum de unanimi Veterum certóque contemporaneorum Scriptorum in re gravissima silentio, hactenus sumus persecuti. Simillimum profectò huic Freheriano Supplementum compingere, ex antiquis Scriptoribus curtam magis mancámque appendicem congerere, alia item pro libitu de Seculi IX rebus licenter adjicere, in antiquiore Seculo narrationem sistere, in vetustiorem denique Codicem sive recentiore sive antiquitatis æmulo charactere inserere, etiam hodie quivis paulò versutior aut experientior possit, & tam Freherus, quàm Freheri similes potuêre.

B. Petrus Damiani. Vid. lit. D. verbò: *Damiani*; quò etiam refer, quæ apud Baronium T. X. Annal. ad an. 973. n. 4. 5. 6. de Othone M. ob incestum excommunicato, ex Petro Damiani (subdubitante tamen) referuntur, & à Baronio refelluntur. B. Petrus Damiani.

Petrus Diaconus junior, Monachus Casinensis, qui anno Christi 1121, ætatis suæ quinto, à Parentibus Divo Benedicto oblatus Sanctæ religionis habitum à Girardo Casinensi Abbate susceperat, institutores ibidem habuit eundem Girardum integro octennio (de quo testatur Chron. Casin. l. 4. c. 68) & *Petrum* similiter *Diaconum* dictum, de quo ipse Petrus junior in Opusculo de Viris Illustribus Casin. c. 39 ita scribit: *Petrus Diaconus institutor meus, declamator insignis, è Civitate Theanensi,* Petrus Diaconus.

nenſi, de qua oriundus erat, egrediens Caſinum advenit, atque ab Oderiſio (I) *Abbate Monachus factus eſt.* Ita verò ſub utriusque hujus Moderatoris diſciplina in literatura profecerat Petrus, ut cùm vigeſimum primum ætatis annum ageret, jam lucubrationibus initium fecerit, ſ. Sancti Martyris Marci Sociorúmque Paſſionem Odoriſio II, ejusdem Girardi Succeſſori, nuncupârit. *Vid. Chron. Caſin.* l. 4. c. 68. Plurimorum, quæ deinceps exaraverat aut compilaverat, Operum, Opuſculorum, Vitarum, Sermonum, Homiliarum &c. Catalogum exhibet Chronicon Caſin. l. 4. c. 68. à p. m. 698 ad 700. E quibus tria duntaxat hoc loco attingimus. *Primum* eſt: Petri Diaconi *Opuſculum de Viris Illuſtribus Caſinenſibus*, Romæ vulgatum à Joanne Baptiſta Maro, Canonico S. Angeli in Piſcina, itémque Tomo XX Bibliothecæ PP. Edit. Lugdun. inſertum. *Alterum* eſt *Chronicon Caſinenſe*, quod tribus propè libris complexus antè fuerat Leo Oſtienſis; qui ubi Operi fuit immortuus, tertium ſupplevit Petrus, ſimúlque quartum ipſe librum adjecit, qui in anno 1140 terminatur, ùt jam obſervavit Pagius T. IV Crit. ad e. a. n. 13. Philippus quidem Malabayla, Aſtenſis Civis & Ciſtercienſis Congregationis S. Bernardi olim viſitator, in Diſſertatione (quam poſtmodum S. Brunonis Signienſis Epiſcopi Operibus præfixam Venetiis an. 1651 edidit Aloyſius Squadronus) pro ſuo arbitrio commentus eſt, quartum pariter Caſinenſis Chronici librum non alium, quàm Leonem Oſtienſem, habuiſſe Auctorem, Petrum verò Diaconum Collectorem potiùs aut Digeſtorem fuiſſe, quàm Auctorem. Aſt liquidò Malabaylam erroris convincit Sollerius T. IV. Julii p. 485. n. 1. 2. & ipſe libri IV Prologus pro Petro teſtimonium dicit. Ibi enim ex editione Angeli de Nuce ita de ſe proloquitur Auctor: *Et quia Abbatum ſeries à Patris Benedicti temporibus usque ad renovationem Eccleſiæ beati Martini, à prædicto Leone fuerat exarata, nos ab ejusdem Eccleſiæ renovatione ſcribendi ſumentes initium, ea, quæ de Sanctiſſimi Deſiderii vitâ deſcripta non erant, eidem hiſtoriæ adjungere curavimus, ne ex maxima parte tertius liber detruncatus videretur.* Quare non ſolùm librum quartum, ſed & magnam libri tertii Partem compoſuit Petrus, nempe à renovatione Eccleſiæ B. Martini, ſeu à 34 capite, ubi Leo ſcribendi finem fecerat. Dolendum tamen, quòd Chronicon iſtud, ſive ùt à Leone cœptum, ſive ùt à Petro continuatum, minùs ſincerum ad nos pervenerit, nimiâ ſcilicet primorum Editorum aut tranſcriptorum licentiâ; nam & Editio Veneta, & quæ huic reſpondet, Pariſina de an. 1602, maximè verò Neapolitana Matthæi Laureti, à Leonis & Petri autographis quàm maximè diſcrepant; ùt oſtendit Angelus de Nuce, qui idcirco ad ipſius autographi aut vetuſtiorum Codicum fi-

dem

dem idem Chronicon pro viribus emendatum recudi curavit Parisiis an. 1668. Sic in editione Veneta & prima Parisina lib. IV cap. 68, ubi Petri Diaconi Scripta enumerantur, scripsisse legitur *de Electione Conradi II. Romanorum Imperatoris Epistolam* PERPULCHRAM; item: *de Tentatione CHRISTI in deserto* PERPULCHRAM *scripsit homeliam.* Magnificentior autem hic sermo videtur, quàm ut de semetipso tam gloriosè senserit aut scripserit Petrus. Dein Sollerius T. IV Jul. p. 472 n. 4. 5. 6. 8. 9. 10. seqq. in Com. præv. ad Acta S. Brunonis, Episcopi Signiensis, cùm disquireret, uter ex ambobus biographis sit præferendus; Anonymus scilicet, an Chronici Casinensis (etiam ùt à Nuceo editi) Auctores vel Interpolatores: ita statuit §. 1. num. 5. *Nihil Chronico, nihil Auctoribus ejus, ne vel apicem quidem detractum velim; ceterùm qui Acta, ab Anonymo sincerè & candidè descripta... attentè consideraverit, tantam in iis simplicitatem, integritatem & fidem in omnibus animadvertet, ut vel invitus mecum fateri cogatur, omnem ea cujuscunque invidiam superare: contra verò nonnullos errores adeò palpabiles in Chronicon irrepsisse, ut vix credibile sit, aut Leoni aut Petro excidere potuisse. Speciminis loco sint Principium & finis eorum, quæ ad S. Brunonem spectant, ubi adventus Brunonis Romam, & in Episcopum Signiensem designatio ad Urbani II tempora à Chronico referuntur, & obitus pridie Kal. Sept. in prædicto Chronico, multò meliùs ab Anonymo consignantur, in quibus fatetur Malabayla* (Chronici aliàs adversus Anonymum Brunonis biographum vindex acerrimus) *Bibliothecarium Casinensem à veritate omnino aberrâsse... quibus & alia accedunt à Chronico non satis exacta, quæ interim ab Anonymo diligenter juxtà ac fideliter enarrantur*; id quod dein reliquo §. 1. & §. 2. uberiùs declaratur.

Tertius denique, cujus hìc meminimus, Petri Diaconi liber inscribitur: *Ortus & vita Justorum Sacri Cœnobii Casinensis*: quem (ùt ait Henschenius T. VI. Maji in Comment. præv. de SS. Guinizone & Januario p. 470. n. 2. & Sollerius T. V. Julii in Com. de S. Severo Ep. Conf. p. 71. n. 5.) *exscriptum habemus ex ejus autographo MS. antiquis & difficillimis litteris Longobardicis in pergameno, qui in eo Monasterio sub arctissima custodia asservatur.* Ast, ùt mox subjungit Sollerius l. c. „ Sanè perquam „ sollicitè, nimium fortasse; nam si cetera iis paria sunt, quæ ibi si„ ve Petrus ipse, sive alius de *S. Severo* tradidit, in hac nostra Acto„ rum collectione locum haud quaquam merebuntur. Ex brevi *pe*„ *culiaris* istius *Voluminis* analysi, quanti faciendum sit, faxo, mox in„ telligas. Tota Oratio hyperbolica facies circiter decem in folio „ complectitur, cujus prologus planè luxurians omni & nulli aptari „ potest: id verissimum est, non absque *adolescentiæ venia*, quam Au„ ctor meritò flagitat, legi posse. Post varia parerga, *nunc jam*, in-

" quit, *ad Severi retexenda præconia ſtylus ſequens vertatur.* Quid verò " tanto hiatu proferat, mirare: duabus integris paginis verboſiſſimè " laudatur Publius Marcus Terentius Varro, ut *Romanorum doctiſſi-* " *mus, conſiderantiſſimus, acutiſſimus, & diligentiſſimus*, quòd alicubi ſub " nomine *Caſca* montem Caſinum appellaverit, ut ſtomachum mo- " veat puerilis loquacitas. En tandem pag. 6. *venerandi Severi Præſu-* " *lis vitam ſcribere orditur.* Ita nempe ut per quinque alias facies plu- " rimis verbis pauciſſima dicat: multum enim inde eduxeris, ſi facilè " evincas, S. Severum extitiſſe, Epiſcopum Concilio Romano ſub " Felice PP. III. interfuiſſe, obiiſſe, ſepultum eſſe Caſini, ac per va- " rias ambages cæcæ mulieri viſum reſtituiſſe. Ex uno ſpecimine di- " ſce reliqua: *Annorum autem à vivifici Verbi incarnatione quadringente-* " *mus primus circulus volvebatur, cùm Valentinianus III feliciſſimum ac ex-* " *cellentiſſimum Romani Imperii thronum ſuſcepit regendum. Hoc itaque Or-* " *bis moderante habenas, Vir Domini Severus, omnipotentis beneficio dona-* " *tus, Campaniæ, ceu topazius, morum gravitate, vitæ prærogativa, virtu-* " *tumque jubare coruſcus, eo potiſſimùm tempore Caſinenſis Eccleſiæ Pontifex* " *ſplenduit, quo æquitas ab injuſtitia, pietas ab impietate, manſuetudo à ſe-* " *veritate, Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultus ab Arianorum, Neſtorianorum* " *..... fluctuabat veſania. Hic itaque.....erat ſanctitate conſpicuus, caſtita-* " *te pudicus* &c. Pedetentim, obſecro; ita puer adhuc virum poſt ſe " relinquit; mox eodem cothurno ad cathedram promotus, *in æqui-* " *tate diſcretus, fortitudine prudens, longanimitate vigens, in adverſis pa-* " *tiens*, & quid non? Sic pueritiam, ſic Electionem, ſic Epiſcopales " virtutes pomposè magis quàm verè proſequitur: tum Neſtorii, Eu- " tychetis, & aliorum hæreſes fusè deſcribit, eo ſolùm ut inſinuet, " quod dicebam, Romam cum aliis Epiſcopis ad Concilium vocatum " fuiſſe S. Severum; quod ſi ſola horum Actorum fide ſubſtet, equi- " dem non admiſerim, quidquid Ferrarius, Ughellus, & de Nuce " ea ſola aſſertione inniti videantur. Debili profectò, ut iterum te- " petam: quid enim, quæſo, de rebus ante ſex Secula Geſtis teſta- " ri potuit Petrus Diaconus? Dum ita expilata, imò planiſſimè de- " ſtructa fuiſſent Archiva Caſinenſia, ut Epiſcopatus iſtius vix ulla ſu- " pereſſent, non dico veſtigia, ſed nec ſola memoria. " Ita Sollerjus adverſus Petri Diaconi teſtimonium, qui ex S. Severo Ep. Confeſſo- re, Caſini depoſito, mox *Caſinenſem* Epiſcopum facit, ac proinde Caſinenſem Eccleſiam jam Seculo V. Epiſcopatûs prærogativâ fulſiſſe, gratis affirmat.

Neque in remotioribus duntaxat, ſed & vicinioribus ſuo Sæculo rebus extra oleas ſaltitavit Petrus Diaconus. Unde Sollerius T. IV

Aug.

Aug. p. 485 n. 4: *Non vacat multis examinare, quæ valeat auctoritate Petrus Diaconus, quem paucis depingit Angelus de Nuce in notis ad prologum libri quarti Chronicæ*: Multa, *inquit*, scripsit, sed sine delectu, & sine crisi; vivido siquidem fuit ingenio, properantis tamen, ac subinde præcipitis interdum judicii. *Hæc dicta sunt, meo quidem judicio, quàm mitissimè; plura qui volet, Baronium adeat, apud quem Diaconus multoties vapulat, nec immeritò: certè in hac ipsa Brunonis* (Ep. Signiensis, qui an. 1123 fatis concesserat) *Vita adeò palpabiliter lapsus est, ut mirum sit, Malabæylam ejus auctoritatem Anonymo nostro* (Brunonis biographo) *præferre voluisse.* Imò Baronius T. XII ad an. 1131, n. 8. etiam *mendacii* arguit Petrum Diaconum, quòd l. 4. Chronici Casin. c. 99 scripserit, *primò*: antiquum Ecclesiasticæ investituræ jus (ab Henrico V. sub Callisto II paulò antè dimissum) ab ipsomet Innocentio II. Leodii an. 1131 Lothario II fuisse restitutum; *secundò*, eodem in loco, eodémque anno etiam Comitissæ Mathildis Allodium Lothario II ab eodem Pontifice fuisse concessum. Sufficit autem, quòd, omisso etiam *mendacii* stigmate, saltem apertissimæ *falsitatis* notam non effugerit Petrus; nam primum luculenter refellitur ex oppositis Synchronorum testimoniis, scilicet tum Ernaldi Bonæ-Vallis Abbatis in vita S. Bernardi l. 2. c. 1. tum ipsius S. Bernardi in Ep. 150 ad Innocentium II. *Vid. Acta SS.* T. IV. Aug. p. 139. n. 176. 177. in Comm. prav. ad Acta S. Bernardi: *Baronius* l. c. n. 7. Alterum verò ex ipso Concessionis Diplomate confutatur; neque enim illud Leodii, sed Romæ, neque anno 1131, sed 1133 est exaratum. *Vid. Baron.* ad an. 1133. n. 3. Nec minùs exoticum atque fingulare est illud, quòd l. 4. Chron. c. 113. 112. 109. Petrus Diaconus eos Reges ac Principes quàm liberalissimè *Imperatores* compellet: quos tamen à Pontifice nunquam coronatos compertissimum est: quales sunt Theodoricus Rex Gothorum, Carolus Martellus, ejúsque duo filii Pipinus & Carolomannus, & Pipinus filius Caroli Magni. Vid. *Gretserus* l. 2. contra Replic. c. 15. Ea præterea Acta de disputatione Cardinalium, cum hoc Petro Diacono coram Lothario Imperatore an. 1138 ad Aquas pensiles habita, quæ l. 4. Chron. Casin. c. 110 inserta vel intrusa leguntur, multiplicis falsitatis idem Eminentissimus Auctor insimulat, imò non tam à Petro, quàm *ab aliquo* alio *pro arbitrio concinnata* fuisse existimat T. XII Annal. ad an. 1138. n. 13. Unde ipsius quoque Petri Chronicon sive librum IV ab alio interpolatum conjicere licet. Denique nullam sibi fidem conciliant ea, quibus Petrus in fine libri IV cap. ult. ita fugillat Innocentium Papam ipse Schismaticus, dum ait: *Innocentius verò magnâ in filios Petri Leonis illorumque complices effusâ pecuniâ, illos ad suam partem at-*

erasit.

auxit &c. Ista inquam Schismaticus, carpendi Innocentium nullam relinquens occasionem vel argumentum. Ita Baronius ad an. 1138. n. 6.

Neque tamen idcirco Chronici hujus Auctoritas quantocius debet convelli atque proscribi, prout fecêre Franciscus Pinus & Anonymus quispiam Mediolanensis: quorum jam suprà meminimus lit. C. verbô: *Chronicon Casinense* p. 129. Chronici enim istius, sive ùt à Leone conscripti, sive ùt à Petro continuati, fidem in plerisque probatissimam esse & fatentur & sequuntur tum ipse Baronius, tum Pagius in Critica, & Hagiographi Antverpienses, aliique.

PFEFFINGERUS. PFEFFINGERUS Joannes Fridericus, Argentoratensis, Equestris Academiæ Luneburgensis Inspector, & Professor Acatholicus, nostra quam vivimus ætate *Institutiones Juris publici Romano-Germanici*, antehac à Philippo Reinhardo Vitriario JC. Lugduno-Batavo editas, ita notis Scholiisque adauxit, ut in quatuor spissæ molis Volumina sive Tomos Opus excreverit; Operi verò titulum præfixit: *Vitriarius Illustratus*. Nemo sanè erit, qui non uberrimam juris publici rerúmque Germanicarum notitiam in hoc Viro suspexerit; major tamen his lucubrationibus splendor ac fides accresceret, si non modò melior ordo (qui certè indigestus & confusaneus est) & cum ordine claritas accessisset: sed & si intra solius fori sui orbitam eruditum calamum cohibuisset, neque per effrœnem calumniandi mentiendíve libidinem perfractis honestatis & reverentiæ repagulis evagari, & heterodoxorum more ultra omnes veritatis aut verisimilitudinis limites passim in Orthodoxos, Pontifices præcipuè Romanos, debacchari maluisset. Quæpiam audaciæ hujus & falsitatis specimina ex unius Tomi I. quisquiliis hìc subjungo.

Specimen primum ex Tomi I prœmio pag. 17. 18. seq. I. Præcipua, *inquit*, neglecti studii Juris publici causa fuit jugum intolerabile, quo Pontifices Romani rationales creaturas omnes oppresserant, jam à tempore Felicis I Romanam Ecclesiam, ceterarum Matrem, errare nesciam venditando, potestatem Monarchicam per verba: *Tu es Petrus* &c. jactitando, ipsis Principibus hisce conatibus per favores exemptionum habenas laxantibus. II. Incrementa dedit à Græcis desertæ Italiæ, Damaso, Gelasio, & Symmacho, *per insignem arrogantiam atque calliditatem*, ipsis Imperatoribus jugum obtrudentibus. Accessit, quod Bonifacius IV. Phocæ beneficio Episcopi Oecumenici titulum privative obtinuerit: unde velut in somno accrevit Pontificibus affectata auctoritas, sic, ut Constantinus Papa in Philippicum, Gregorius

II.

II. in Leonem Iſauricum ſæviret, tantùm ideo, quòd imaginum cultum idololatricum diceret. III. Subin *Caroli M. ſimplicitas* Primatum Adriano Papæ addixit; fœda Patrum in Concilio Romano devotio eundem firmavit; *Ludovici Pii, Calvique ſuperſtitio* ita auxit, & Nicolaus I mollitiem Principum lambens Lotharium Regno interdicere auſus ſit. IV. Sed Papatum ad virilem ætatem perduxit *Alexandri II. & Hildebrandi temeritas* in Henricum V. per excommunicationum fulmina ſæviendo; *primamque tyrannidem in uxoratos legitimè Præſules exercendo*, Eccleſiæ flebili tumultu, & commota omni Germania, Galliaque Auctoritatem extendit Hildebrandus per Dictatus, quos ut præcepta ſtolida, adhuc hodie Gallia ridet: quantæ autem calamitates ex temerariis Papæ hujus conatibus fluxerint, tot in mundo exortæ ſeditiones, cædes, rebelliones, bella, parricidia, proſcriptiones, ſpoliata templa, violatæ aræ, dejecti Pontifices, proſtratus Laicorum Ordo manifeſtiſſimo ſunt exemplo. V. Paſchalis II. pari protervia Henrico V. Jus inveſtituræ Epiſcopalis extorſit, à quo tempore in immenſum crevit Pontificum auctoritas, qui ſub hæreſeos voce Principes Sæculi pro libitu fulminabant, terrisque exuebant. Ejusmodi molimina legimus de Alexandro III. reſpectu Friderici I. de Innocentio IV. reſpectu Othonis IV. de Honorio III. reſpectu Friderici II. de Alexandro IV. reſpectu Conradini: de Bonifacio VIII. reſpectu Friderici Pulchri: de Joanne XXII. reſpectu Ludovici Bavari: de Paulo III. reſpectu Henrici VIII. Angliæ Regis: de Benedicto XIII. reſpectu Caroli VI. Regis Galliæ: de Paulo V. reſpectu Reipublicæ Venetæ: & ſic de aliis, quæ Dupinii, Goldaſti, Molinæi, de Vineis, Leibnitii, Thuani, aliique plures referunt. VI. Acceſſit, quod Pontifices ab adulatorum turba pompoſos titulos ſibi dari expeterent: v. g. DEI ab hominibus non judicandi, Vice-DEI, Divinæ Majeſtatis, Salvatoris, Sponſi Eccleſiæ, Sancti Iſraëlis, Vicarii Chriſti, Succeſſoris Petri, Capitis Eccleſiæ, Patriarchæ Oecumenici, cui data omnis poteſtas in cœlo & in terra &c. Quibus artibus ad ſummum faſtigium aſcendit Papatus: ſiquidem Clericis ſemel ad Pontificum nutus compoſitis, Laicorum Ordinem inter & quadrupedia parum diſcriminis credebatur. Vice-Deatus, tot Synodis attributa infallibilitas, jurisdictio in omnes fideles extorta, everterunt jura omnia, Divina pariter ac humana. Regibus, ut ovibus, non niſi tremenda vox Paſtoris, perpetua bella ſpirantis, audita eſt, privatis nec muſſitare auſis: qua etiam tyrannide, craſſiſſima ignorantia, & ſuperſtitioſiſſimo obſequio ſibi devinxit omnes, iisque abuſus eſt. Legas, quæſo, Antonii de Roſellis Monarchiam, & ſtupor te opprimet &c. Horrenda ſunt, quæ Canones, &

Pontificii Doctores de ſuo Capite referunt, quaſi ſolo nomine, omnipotenti DEO inferius. VII. Interim tyrannica hæc conſcientiarum oppreſſio id effecit, ut nemo amplius Pontificis auſa impugnare, vel Principum jura aperto Marte tueri conaretur: unde præcipua ratio neglecti ſtudii quoad jus publicum. Erant quidem ſemper Principes, jurium ſuorum tenaces, & Henricus IV. &c. ex Privatis bonam cauſam defendentibus Niemo, de Vineis, Ganduno, Marſilio Patavino, Occamo, Joanne de Pariſiis, & aliis, quorum Scripta Simon Schardius, ac Goldaſtus collegit. Sed ante reformationem, Siſyphi ſemper lapis volvebatur, Papis ſemper denuo emergentibus. At exorta Evangelii luce & diſponente DEO, longe lateque per Germaniam, Galliam, Belgium, Angliam, Daniam, Sueciam, Poloniam, Hungariam, imo Aſiam, Africam, & Americam diffuſa, nova rerum facies apparuit, jugo Papali vel penitus excuſſo, vel Pontificia poteſtate ſic coarctata, ut temporalibus Principum, etiam Catholicorum, hodie parum vel nihil amplius timendum ſit: qua libertate gaudentibus ſimul ſubditis, Viri docti paulatim expergefacti, Henrico VIII. Angliæ Rege, & Statibus Imperii Proteſtantibus anteſignanis, intrepide Aulæ Romanæ uſurpationibus claſſicum cecinere: quo ſpectant Poteſtantium Scripta contra Concilium Tridentinum apud Hortlederum, Sleidanum, Paulum Sarpium &c. quo pertinent Collectores Jenenſes, Joannis Budæi jus regium contra Bellarminum, uterque Barclajus, Marcus Antonius Peregrinus, Othelius, aliique multi apud Goldaſtum, qui omnes anſam præbuere ſolidioribus ſtudiis, maxime in vera Juris publici inquirendi principia, clarius indies hactenus deducta.

Specimen ſecundum ex pag. 1386. col. 1. Vera ergo, & genuina emittendorum Decretorum Hildebrando fuit ratio, ut 1. hoc modò Imperialis Aulæ ſplendor redderetur obnubilus; 2. Papalis contra eò magnificentior inde ſurgeret; 3. Vires Auguſti inciderentur, 4. Pontificis in contrarium inſignia haberent incrementa; 5. Romana Curia per tot potentes Epiſcopos, Abbates &c. concitandæ adverſus Cæſares, Regesque pro lubitu rebellionis, media conſequeretur; 6. Poſthac Romanus Antiſtes Arbiter Synodorum, imo conſcientiarum fieret; 7. Populo perſuaderet, poteſtatem ordinandæ Sedis Romanæ perperam à Cæſaribus uſurpari, quibus ne quidem jus conſtituendi Prælati eſſet; 8. Monſtroſis Dictatibus novum accederet pondus.

Specimen tertium ex p. 1397 in Notis de Concordatis Germaniæ, ubi ita mentitur & furit. En rei ſummam, *inquit*! Erepto Imperatoribus, per transactionem Henrico-Calixtinam de an. 1122. Jure inveſtiendi

veſtiendi Præſules, per Annulum & Baculum, variis artibus conata eſt Romana curia omnem Laicis Jurisdictionem in Perſonas Eccleſiaſticas, abrogare, eosque à negotiis ſacris penitus abigere. Obſtante verò Imperatorum quorumdam fortitudine, id egit Innocentius II., circa annum 1138. ut poſthac Romani Pontifices non niſi à Clero eligerentur, Populo excluſo. Operi inſiſtens Alexander III. nova conſtitutione facultatem hanc in ſolos Cardinales transſcripſit, remoto inde vel ipſo clero reliquo. Ultra progreſſus Honorius III. pari aſtutia, eligendi Jus Præſules alios, Romani juſſa excipientes, ſolis vindicavit Canonicis, nulla Chriſtiani Populi, per tot Sæcula, Paſtores ſuos ſeligentis, habita ratione. Poſito hoc fundamento ad nutum redactis Epiſcopis, liberè petulantiæ frœnos Romani Antiſtites Imperatoribus, reliquisque Chriſtiani Orbis Regibus, injicere ſunt auſi. Quot, quæſo, non extant libelli, quibus, temerario conatu Subditos à ſubjectionis & fidei juramentis, legitimo Domino præſtitis, liberos pronuntiarunt, quoties id rei ſuæ commodum arbitrabantur? Qua nequitia non aboleverunt religioſorum Principum data Eccleſiis Privilegia? quam tyrannidem non exercuerunt in Epiſcopos, contra ipſorum machinationes, Regibus fidos? Qua, ita dictarum, Gratiarum, & Expectativarum (de quibus multa Marcus Antonius de Dominis, de Republica Eccleſiaſtica l. 9. c. 8.) uſurpatione, non conſtituerunt poſtea ipſosmet Epiſcopos, & quidem, quod magis deplorandum, Homines plerumque ignotos, humilitati faſtum, Religioni vanitatem, Sanctitati impietatem & immunditiam, charitati avaritiam, manſuetudini moroſitatem, lenitati crudelitatem, ſtudiis ignorantiam, laboribus otium &c. præferentes; Canonicis deſuper ne quidem muſſitare auſis? Queis technis loca ſacra non emunxerunt reditibus? Quo deſpectu non habuerunt Laicos univerſos? obviam quadantenus efferatæ huic dominandi libidini iturus Galliarum Rex Ludovicus Sanctus, edidit an. 1268. Menſe Martio, Pariſiis, annuente Simone Cardinali, Clementis IV. Legato, in Aula ipſius tunc degente, conſtitutionem Pragmaticæ Sanctionis.

Specimen quartum ex pag. 430 col. 1. *In quæſtione*: *Num Pontifex Romanus creandorum Regum jure gaudeat?* Ad conciliandam ſibi omnipotentiam, vindicandumque univerſi orbis Imperium, Romanos Pontifices nihil non commoviſſe dixi ſupra ad Prœm. pag. 18. *Col.* 2. Quid ergo mirum, aſtutos Præſules, ignorantiæ & beſtialis obedientiæ ſeculis, falces non ſolum in Regum meſſem miſiſſe, ſed & de Regnis & Imperiis pro lubitu diſponere fuiſſe auſos? minimum in ſpecie. Et *Fol.* 432. *col.* 1. *in fine.* In Sacro Codice ſane ejusmodi poteſtas Præſuli

Romano non datur. Nec tacito gentium conſenſu eam acquiſivit. Nec publica pacta in ejus præſidium produci valent. Quo titulo ergo eam prætendit? Exempla in contrarium, nullius ſunt roboris, vel enim turbido rerum ſtatu, vel craſſiſſimæ ignorantiæ temporibus, evenerunt, vel nuda unctione, coronatione, vel Regiæ appellationis uſurpatione nituntur. *Hæftenus Pfeffingerus* ineptè, mendaciter, atque protervè. Vid. etiam *P. Schwarz* P. 3. Colleg. Hiſt. & P. 9.

Q.

QUERCETANUS. QUERCETANUS. Vide ſuprà lit. C, verbô: DU CHESNE: p. 123. 124.

R.

RADEVICUS. RADEVICUS, Eccleſiæ Friſingenſis Canonicus, & Othonis Friſingenſis Epiſcopi, cui moriturienti interfuit, Capellanus, ad ejusdem Othonis Hiſtoriam de geſtis Friderici Barbaroſſæ duos alios libros adjecit, qui cum Othonis Editione ſolent conjungi. *Definit* autem hæc continuatio in Anno 1160.; neque *Guntherus* Poëta (Pariſienſis Cœnobii in Diœceſi Baſileenſi Monachus Ciſtercienſis) qui tam Othonis, quàm Radevici Hiſtoriæ, in ſynopſin & Poëmatis formam à ſe redactæ, *Ligurini* nomen impoſuit, decimum ſive poſtremum ſui Carminis librum ultra eundem Annum 1160. ampliùs eſt proſecutus. Nimirum tam Radevicus, quàm Guntherus, poſtquam Friderici laudes recenſuerant, eundem poſt ſui excommunicationem laudare porro noluiſſe videntur. Hoc enim anno Fridericum ab Alexandro III. excommunicatum fuiſſe, Baronius ad A. 1160. n. 31. ex ejusdem Alexandri III. Actis demonſtrat. Vid. *Pagius* T. IV. Crit. ad A. 1160. n. 6. A. 1159. n. 12. 13. 14. ubi ſimul oſtenditur, numeros quosdam chronicos in Radevici editione mendosè fuiſſe deſcriptos.

RADULPHUS. RADULPHUS DE DICETO, Londinenſis in Anglia Eccleſiæ S. Pauli Decanus. & ſub Joanne Rege Seculi XIII. Scriptor, *de Hiſtoria* (ut inquit Natalis Alexander T. VII. Hiſt. Eccl. c. IV. de Scriptoribus Sec. XIII. p. 135. n. 12.) *præclarè meritus*, *Imagines Hiſtoriarum* ab Anno 1148. ad 1200., & *Abbreviationes Chronicorum* ab initio mundi uſque ad A. 1198., aliáque complura edidit, quæ recenſet Menkenius in Lex.

Lex. Eruditorum. Extant Imagines & Abbreviationes Radulphi inter decem Scriptores Anglicos à Rogerio Twtsdeno, & Joanne Seldeno editos Londini A. 1652. Pars tamen prior *Abbreviationum*, quæ eſt ab orbe condito uſque ad S. Gregorium Magnum, in ea editione eſt prætermiſſa, eoquòd non niſi vulgaria & è trivio petita contineat, ùt *Graveſonius* inquit P. I. Hiſt. Eccl. T. IV. p. m. 243. col. 2. Plurima ex *Eadmero*, Seculi XII. Scriptore Anglo, & Cantuarienſi Monacho Benedictino (qui libros VI. *Novorum* uſque ad A. 1122. contexuit, &, Pagio teſte ad A. 1122. n. 9. *in Chronologia accuratum* ſe præſtitit) defloràſſe Radulphum obſervavit *Seldenus* in præfatione ad Eadmerum, ex Seldeno Nat. Alexander l. c.

REGINO PRUMIENSIS. Vid. lit. C. verbô: *Chronicon. Reginonis*, pag. 250. Addendum verò illud, quod Henſchenius noſter T. I. Febr. p. 226. n. 106. in vita S. Sigeberti Regis notat & probat, in primum Reginonis Chronici librum ab alio interpolatore annos & temporum notas quàm ineptiſſimè fuiſſe intruſas. REGINO.

REINECCIUS REINERUS, primò Francofordienſis ad Oderam, dein Helmſtadienſis Hiſtoriarum Profeſſor Acatholicus, vitam poſuit A. 1595., poſtquam plures inter lucubrationes eandem exegerat. Catalogum earum dedêre *Buderus* in Biblioth. Script. Germ. p. 37. 47. 57. 122. apud Struvium in Corp. Hiſt. Germ. *Menkenius* & *Iselius* in Lexicis. Huc verò maximè pertinent 1.ò *Albertus Stadienſis*, ſeparatim editus. 2.dò *Scriptores rerum Germanicarum*, ſcilicet *Witikindus*, *Ditmarus*, *Helmoldus*, *Arnoldus Lubecenſis*, *Biographus Henrici IV.* & *Hildebrandi* &c. quos uno volumine complexus Reineccius Francofordiæ ad Mœnum publicavit A. 1580. & 81. ſed ita, ut modicas aut nullas ei grates orthodoxa, imò & literata poſteritas debeat, ùt alibi jàm oſtendimus, pag. 53. in *Alberto* Stadienſi: pag. 84. in *Arnoldo* & *Helmoldo*: pag. 175., 176. in *Ditmaro*; nam aut mutilos aut corruptos Scriptores hos edidit, aut ſuis certè heterodoxîs ſcholiis vehementer fœdavit. Neque meliòris farinæ eſt *Chronicon Hieroſolymitanum* ſive *Belli Sacri Hiſtoria*, primitus quidem à contemporaneo Scriptore, *Alberto* Aquiſgranenſi Canonico atque Cuſtode, ſincerâ fide conſcripta: ſed ab eodem editore Reineccio A. 1584. peſſimè mulctata; nam non modò hæderodoxus hic declamator prolixam, verboſam, & calumniis refertam præfationem adjecit, ſed & ejusdem notæ, tanquam ἀπίστερον, omnis judicii expers *judicium* quoddam *Matthæi Dreſſeri* de ſacris expeditionibus, *hominis in iisdem caſtris, hoc eſt Lutheri vel Calvini, cum Reineccio militantis & ex cri-*

minationibus conſuti adjunxit, prout Gretſerus loquitur T. III. Operum p. 160. in Præfatione ad Librum III. de Cruce: ubi & Dreſſerum & Reineccium uno eodémque labore per totius libri III. prima ſex Capita, tanquam ineptos Criticos, maledicos Sacrarum expeditionum obtrectatores, mendaces præterea ac fabulantes Hiſtoricos, eruditè ſimul gravitérque objurgat, atque ad capitis ſeptimi calcem duo hæc Epigrammata nectit:

In Dreſſerum & Reineccium calumniatores Cruciatarum Expeditionum.

Sidera vel dudum nullis habitata colonis,
Et dudum nullas ſcribitis eſſe ſtyges:
Vel vitiis cœlum datis, & virtutibus orcum;
O furor! ùt cupias altiùs ire, nequis.
Tu Dreſſere tamen, quique illo pejor es aut par (*Reineccius*)
Ire licèt nequeas altiùs, ire cupis.
Non ſatis eſt ſacros calamis proſcindere mores,
Et laudatorum carpere ſecla Patrum:
Crux etiam, aſſertórque *Crucis* culpatur; ut unum
Atque ingens hodie ſit ſcelus, *eſſe pium.*
Aut nihil, aut reſtat, calamis ut dextera veſtris
Audeat & magno bella movere DEo.

Aliud in Reineccium.

Si toties calamos, quoties mendacia, ſumis?
Te, puto, tam citiùs ſcribere nemo ſolet.

DISSERTATIO

De Henrici ad Annonem literis, quas Reineccius vulgavit.

§. I.

QUàm imperitum Criticum, quàm parùm aut nihil Hiſtoricæ veritatis amantem ſe probaverit Reineccius, id ſatis loquitur, quod de latrocinali Henrici IV. Conciliabulo Wormatienſi obſervavit

vavit *Chriſtianus Lupus* Tomo VI. Operum p. m. 47., ubi ita inquit: " Reinerus Reineccius, qui Heinrici IV. vitam, & Bennonis Cardi- " nalis in noſtrum Gregorium (VII.) ſcommata vulgavit elapſo ſe- " culo (XVI.) addidit & datas ad Sanctum Annonem Colonienſem " Archiepiſcopum literas, quibus Pontificem Rex accuſat de variis " criminibus. Primò: *de violenta Apoſtolicæ Sedis invaſione.* Secundò: " *quòd Imperialem dignitatem ſpernat.* Tertiò, quòd *nullum ejus judicio* " *licet eſſe Sacerdotem, niſi qui hoc ab ejus faſtu emendicaverit*: hoc eſt, " niſi ab illo fuerit prævie confirmatus. Quartò, quòd *ipſum Regnô,* " *imò & vitâ ſpoliare ſtudeat & minetur.* Quintò quòd *regios nuper* " *legatos incarceraverit, carceratos nuditate, frigore, fame, ſiti, plagis* " *contriverit, ſicque demum ad exemplum per medium civitatis circumductos* " *omnibus ſpectaculum præbere juſſerit.* Sextò, omnem hanc perſecutio- " nem fundari in eo, *quia me de DEo, non de ipſo regnare velle vidit,* " *quia ipſe me Regem non conſtituit.* Et concludit: *Ne pigeat, ut in Pen-* " *tecoſten Wormatiam venias, & quid agendum ſit, doceas.*

" *n.* 2. Aſt, ùt rectè ſubjungit Lupus, certum & clarum eſt " Epiſtolam hanc eſſe fictam. Hoc enim tempore defunctum fuiſſe " Sanctum Annonem eſt ſuprà oſtenſum. Et hinc, quòd in Goſ- " larienſi Conventu (ad ipſius anni 1076. initium celebrato) Hen- " ricus Rex in locum (Annonis defuncti) Hildolphum Canonicum " Goslarienſem, animo & corpore obſcuriſſimum, regiâ violentiâ " voluerit intrudere, teſtatur Lambertus Schaffnaburgenſis, causâm- " que adjungit: *Rex recolens Annonis Archiepiſcopi conſtantiam, & in-* " *victum adverſus omnes nefarios ſuos conatus ſpiritum, conſultò talem ei* " *ſucceſſorem ordinari ſatagebat, cujus facilitate ad omnia, quæ vellet, pro* " *libitu ſuo abuti poſſet.* Abſit ergo, ut Sanctum Annonem, etiamſi " viveret, ad tale Conventiculum Rex invitâſſet. Deinde non ad " *Pentecoſten*, ſed ad *Septuageſimæ Dominicam* indictus & factus fuit iſte " Conventus: Romanam enim Synodum prævenire volebat Henri- " cus, atque ita per degradatum Pontificem non poſſe excommuni- " cari. Et quos ejus legatos *carceravit* Gregorius, aut probroſè per " urbem *circumduxit?* Nemo id ſcripſit: nec ipſe Cardinalis *Benno.* " Item uſque tunc de degradando Henrico Gregorius nec cogitârat. " Nec ſibi unquam reſervavit Provincialium ubique Epiſcoporum " præviam confirmationem. Longè poſterior eſt iſta reſervatio. " Unde igitur mendaciſſimam Epiſtolam acceperit Lutheranus Rei- " neccius, ignoro. „ Ita *Chriſt. Lupus*: idémque ante Lupum jam docuêre *Baronius* T. XI. Annalium ad A. 1076. *Gretſerus* tum lib. 2. contra Replicatorem Goldaſtum c. 19. tum in Apologia Baroniana c. 24.

c. 24. Profectò quot accuſationis capita hæ ad Annonem Henrici literæ Reineccianæ continent, tot quoque falſitates atque mendacia eædem complectuntur; unde totum Epiſtolare figmentum mox in eruditi lectoris oculos incurrat neceſſe eſt, niſi quis ipſummet Henricum Regem tam turpiter atque protervè in obviis etiam rebus mendacem ipſe multò turpiùs atque audaciùs ſibi fingere velit.

§. II.

De primo accuſationis Capite.

n. 3. ATque ut multiplex Epiſtolæ hujus commentum, quod prælaudati Auctores ſuccinctiùs attigêre, aliquantò certiùs intelligat Lector, actum haud agam, ſi paulò prolixiùs ex genuinis Hiſtoriæ fontibus ſeu teſtibus contemporaneis totum putatitiæ hujus Epiſtolæ phantaſma demonſtrem, idque ſaltem efficiam, ut telum omne imaginarium, quod inde heterodoxi Andabatæ adverſus S. Gregorium VII. depromere ſolent aut poſſunt, penitus eripiatur. Falſum itaque eſt *primò*: quòd *Apoſtolicam Sedem per vim invaſerit Gregorius;* námque oppoſitum uno ore teſtantur Scriptores Synchroni, ut *Paulus Bernriedenſis* in vita Gregorii VII., *Hugo Flaviniacenſis* in Chronico Virdunenſi, *Bertholdus Conſtantienſis* in Chronico: item eodem tempore, *nec minùs certè, ſi non certiore ſcientiâ* (ùt ait Papebrochius T. VI. Maij p. 103. col. 1.) conſcripta *Acta Pontificalia*, quæ poſtmodum *Centius* Camerarius in *Librum Cenſualem* intulit, atque idem *Papebrochius* l. c. à p. 148. inter Gregorii Biographos dedit. E quibus ſanè auctoribus compertiſſimum fit, quòd non modò *unanimi Cleri Populique electione* Pontifex ſit renunciatus Gregorius VII., ſed & invitus admodum, atque reluctans Pontificiam dignitatem admiſerit, imò ipſimet Henrico IV. ſupplicârit, ne Electioni ſuæ ſuffragaretur, ſanctè conteſtatus, ſe, niſi à Simoniaca labe Rex reſipiſceret, impune illud haud fore laturum, quamprimum in Pontificia Sede fuiſſet ſtabilitus. Verùm ſuis quemque verbis loquentem nunc audiamus.

n. 4. Ait *Hugo Flavin.* ad A. 1073.: *Obierat ipſo Anno Alexander* (II.) *& ſubſtitutus erat* UNANIMI ELECTIONE CLERI ET POPULI *Gregorius VII. Bertholdus verò Conſtant.* ad e. A. ita habet: " Romæ " Alexander Papa deceſſit: pro quo venerabilis Hildebrandus, Ro- " manæ Eccleſiæ Archidiaconus, *communi omnium conſilio* expetitur Pa- " pa conſtituendus. Quo audito *ipſe Archidiaconus ſe viribus eſſe impa-*

parem

„ *parem tanto honori, imò oneri, reputans, inducias respondendi petiit:* „ *& sic* FUGA ELAPSUS, *aliquot dies ad Vincula S. Petri occultatus* „ *latuit. Sed tandem vix inventus, & ad Apostolicam* SEDEM VI PER- „ DUCTUS, Papa centesimus quinquagesimus nonus septimo Ka- „ lendas Maij ordinatur, & Gregorius VII. appellatur. „

n. 5. *Acta Pontificalia*, quæ ante nominavimus, hisce verbis electionem describunt: *Dum Hildebrandus Archidiaconus adhuc esset in ejus* (Alexandri II.) *obsequiis*, sive exequiis *occupatus, repentè factus est in ipsa Ecclesia maximus Cleri & Populi Romani concursus, clamantium & dicentium*: HILDEBRANDUM ARCHIDIACONUM BEATUS PETRUS ELEGIT. *Quo audito idem Archidiaconus expavit, & quasi extra se raptus cucurrit ad pulpitum, cupiens populum ipsum frementem sedare,* & A SUA INTENTIONE RETRAHERE. *Sed Hugo Candidus Cardinalis, ubi* OMNIUM VOTA *in eundem Archidiaconum convenisse indubitanter cognovit, citius percucurrit ad populum, & in hunc modum alloquitur, dicens: Ecce, carissimi Fratres, scitis, & indubitanter cognoscitis, quòd à diebus B. Leonis Papæ hic Archidiaconus, tanquam Vir prudens & probatus, hanc Sacrosanctam Romanam Ecclesiam plurimùm exaltavit, & civitatem istam ab imminentibus periculis liberavit; unde quia idoneiorem ad Ecclesiæ regimen & Urbis defensionem invenire nequimus, Nos Episcopi & Cardinales in nomine Domini* UNANIMITER *ipsum nobis & vobis in Pastorem & Episcopum animarum vestrarum eligimus. Et continuò Universitate Populi & Cleri acclamante,* DOMINUM GREGORIUM PAPAM SANCTUS PETRUS ELEGIT, *indutus rubea chlamyde, sicut moris est, & Papali mitra insignitus,* INVITUS ET MOERENS *in Beati Petri cathedra fuit inthronizatus. Altera autem die apud semetipsum solicita mente pertractans, ad quàm grave periculum devenisset, æstuare cœpit & nimis dolere; sed cùm aliam excusationem de relinquendo Papatu non invenisset,* NUNTIOS AD REGEM HENRICUM CELERITER DESTINAVIT, *per quos & electionem de se factam ei aperuit, &* NE ASSENSUM PRÆBERET, IPSUM ATTENTIUS EXORAVIT; *quod si non faceret, certum sibi esset, quòd* GRAVIORES ET MANIFESTOS IPSIUS EXCESSUS IMPUNITOS NULLATENUS TOLERARET. *Rex verò, ubi electionis veritatem cognovit,* ELECTIONI EJUS ASSENSUM PRÆBUIT, *& statim Gregorium Vercellensem Episcopum, Italici Regni Cancellarium, ad Urbem transmisit, quatenus auctoritate regia electionem ipsam confirmaret, & consecrationi ejus interesse studeret. Quod sine dilatione factum est; nam & infra Octavas Pentecostes in Presbyterum est ordinatus, & in Natali Apostolorum in Romanum Pontificem consecratus.*

n. 6. *Paulus Bernriedenſis* in vita Gregorii VII. cap. 3. ipſum Decretum electionis recitat; *nunc*, inquiens, *electionis ejus, poſt mortem Alexandri Papæ, legitimum ordinem*, PROUT IPSI ELECTORES EJUS CONSCRIPSERUNT, *proponamus*. „ Regnante Domino noſtro JEſu Chriſto, Anno clementiſſimæ Incarnationis ejus MLXXIII. Indictione & Luna XI., decimo Kalendas Maij, feria ſecunda, die ſepulturæ Domini Alexandri bonæ memoriæ ſecundi Papæ. Ne Sedes Apoſtolica diu lugeat proprio deſtituta Paſtore, congregati in Baſilica B. Petri ad Vincula, *Nos* Sanctæ Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ *Cardinales*, *Clerici*, *Acolythi*, *Subdiaconi*, *Diaconi*, *Presbyteri*, *præſentibus Venerabilibus Epiſcopis*, *Abbatibus*, *Clericis & Monachis conſentientibus*: *plurimis turbis utriusque Sexûs diversique Ordinis acclamantibus*: *eligimus nobis* in Paſtorem & Summum Pontificem, Virum religioſum, geminæ ſcientiæ prudentiâ pollentem, æquitatis & juſtitiæ præſtantiſſimum amatorem, in adverſis fortem, in proſperis temperatum, & juxta Apoſtoli dictum, bonis moribus ornatum, pudicum, modeſtum, ſobrium, caſtum, hoſpitalem, domum ſuam benè regentem, in gremio hujus matris Eccleſiæ à pueritia ſatìs nobiliter educatum, & doctum, atque pro vitæ merito in Archi-Diaconatûs honorem uſque hodie ſublimatum, *Hildebrandum* videlicet Archi-Diaconum; quem amodo uſque in ſempiternum *& eſſe & dici Gregorium Papam & Apoſtolicum volumus*, *& approbamus*. Placet vobis? Placet. Vultis eum? Volumus. Laudatis eum? Laudamus. Acta Romæ X. Kalendas Maij Indictione XI. „ Vide *Papebrochium* T. VI. Maij p. 116. n. 2. Quis jam ex recenſitis hactenus teſtimoniis & vel ex ſolo Electionis Decreto non ſatìs intelligat, Electionem Gregorii fuiſſe profectò legitimam, liberrimam, unanimem, neque aut violenter aut fraudulenter in Petri cathedram involâſſe Gregorium? nam & idem *Paulus* (Vide *Papebroch.* l. c. p. 125. cap. 6. n. 52.) haud ſecus, atque *Bertholdus* & *Acta Pontificalia*, perſpicuè ſcripſit: *Gregorius*, *poſtquam voluntate Domini*, FUGIENS ET RENITENS, SUCCEDERE COACTUS EST &c.

n. 7. Addamus hiſce teſtibus ipſas Gregorii literas, de quibus Paulus Bernriedenſis l. c. apud Papebrochium p. 116. n. 21. hæc conſignata reliquit: *Ipſe quoque Gregorius de electione ſua continuò has miſit Epiſtolas. Gregorius, in Romanum Pontificem electus, Dejiderio Abbati Monaſterii S. Benedicti Montis Caſſini, Salutem in Chriſto JEſu. Dominus noſter Papa Alexander mortuus eſt: cujus mors ſuper me cecidit, & omnia viſcera mea concutiens penitus conturbavit . . . ſubitò cùm prædictus Domi-*

Dominus noſter Papa in Eccleſia Salvatoris ſepulturæ traderetur, ortus eſt magnus tumultus populi & fremitus, & in me quaſi veſani inſurrexerunt: ita, ut cum Propheta poſſim dicere: Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me; laboravi clamans & raucæ factæ ſunt fauces meæ, & timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Sed quia in lecto jacens valde fatigatus ſatis dictare nequeo, anguſtias meas enarrare ſuperſedeo. Te igitur per omnipotentem Dominum rogo, ut ſuffraganeos fratres & filios, quos in Chriſto nutris, ad exorandum DEum pro me provoces, & ex vera caritate invites: quatenus oratio, quæ me liberare debuit, ne incurrerem periculum, ſaltem tueatur in periculo poſitum &c. Data Romæ IX. Kal. Maij Indictione XI.

n. 8. Neque ab hac Gregorii Epiſtola abludit altera, quam is ipſe ad Gottifredum Seniorem ſive Barbatum, Lotharingiæ & Tusciæ Ducem, Beatricis (Bonifaci viduæ) maritum, & celebratiſſimæ Comitiſſæ Mathildis genitorem, paulò pòſt dederat, ita inter alia ſeſe explicans: *Noſtra promotio, quæ tibi ceteriſque fidelibus piam de nobis exiſtimationem & gaudium adminiſtrat, nobis interni dòloris amaritudinem & nimiæ anxietatis anguſtias generat. Videmus enim, quanta nos ſolicitudo circumſtat: ſentimus, quàm nos ſuſcepti oneris ſarcina gravat: ſub quibus dum noſtræ infirmitatis conſcientia tremit, anima noſtra in Chriſto potiùs diſſolutionis requiem, quàm in tantis periculis vitam cupit* &c. Vide *Paulum* Bernried. apud Papebrachium l. c. p. 116. n. 23. An verò hæc verba animum fortaſſe ſapiunt, qui ad ſummum Purpuratorum apicem non niſi vî & ambitione pauculos ante dies & propemodum horas graſſatus fingitur, & nihilominus audacter in Chriſto jam cupit diſſolvi?

Itaque aut ſtolidè ſimplex aut infrunitus calumniator erit exiſtimandus, quisquis probatiſſimis aliàs Scriptoribus, neque coævis duntaxat, ſed & oculatis auritisque teſtibus, in graviſſimi momenti negotio, putidæ adulationis aut inſignis mendacii crimen absque ullo vel remotiſſimæ probabilitatis indicio imponere auſit, Sanctumque Gregorium, veluti qui non per oſtium, ſed vî & artibûs in Pontificatum irrepſerit, contra limpidiſſimæ veritatis lucem mendaciſſimè criminari. Attamen

§. III.

n. 9. Unum unicum heterodoxus quispiam de grege calumniator fortaſſis obijciet, quo cauſam deſperatam ſuffulciat, & Gregorium velut perjurum Pontificatûs invaſorem ab ipſomet Henrico

agnitum, imò publicis etiam literîs declaratum fuiſſe evincat. Ait enim Paulus Bernriedenſis apud Papebrochium l. c. n. 57.: *Scripſit idem Rex Romam literas .... præcipiens Domino Papæ, ut de Sede ſurgeret, Eccleſiámque dimitteret, vocans eum perjurum*, INVASOREM, *& regiæ dignitatis diminutorem.* Dein num. 58. idem Paulus deſcribit adventum Clerici Parmenſis (ſcilicet Rolandi) ad Romanam Synodum ab Henrico legati, atque in ea palàm adverſus Gregorium præſentem ac Præſidem ita declamantis: *Dominus meus Rex ac Epiſcopi omnes Ultramontani & Italici præcipiendo mandant, ut* INVASAM *Sedem B. Petri, & Romanam Eccleſiam amodo dimittas: Non eſt enim dignum, ſine præcepto illorum & Imperiali dono tantum honorem ſcandere. Et converſus, Clero Romano dixit: Vobis dicitur, Fratres, ut ad futuram Pentecoſtes ſolennitatem Regio conſpectui vos repræſentetis, ſuſcepturi de manibus Regis Papam & Patrem, quia* HIC NON PAPA, SED LUPUS ESSE DIGNOSCITUR RAPAX. Quare ſi tam Henricus in literis, ad Pontificem datis, quàm Henrici Orator in allocutione publica, ad Romanam Synodum facta, Gregorium *invaſorem lupumque rapacem* dicere non dubitârunt, juſta inde conſecutio naſci videtur, quòd id ipſum in literis ad Annonem Henricus de Gregorio jactitare haud formidârit, proindéque, ſaltem ex objecto Pontifici violentiæ crimine, Henricianæ ad Annonem literæ ſive in falſi, ſive in ſuppoſititiæ notæ ſuſpicionem vocari minimè poſſint.

n. 10. Verùm qualicunque huic ratiunculæ atque effugio, quod prima fronte ex Paulo Bernriedenſi adverſus Gregorium poſſe ſubminiſtrari exiſtimes, vim & viam omnem ipſe Paulus præcluſit cùm de iisdem Henrici literis notanter aſſerit loco cit. *Scripſit idem Rex Romam literas*, OMNI INJURIA INHONESTAS, FALSITATEQUE REPLETAS, *præcipiens* &c. 2dò: cùm poſt enarratum Rolandi Parmenſis ad Romanam Synodum turbulentum alloquium illico ſubjecit: *Ad cujus* (Rolandi) *verba mox Joannes Portuenſis Epiſcopus, morum honeſtate & religione Vir præclarus, facto impetu ſurgens, immenſa voce clamavit. Tunc Præfectus facto impetu cum judicibus, militibus, & Romanis nobilibus*, TANTUM IMPOSTOREM *evaginatis in ipſa Eccleſia Salvatoris gladiis ante Domini Papæ præſentiam interimere voluit; & feciſſet, niſi pius Pater* (Gregorius) *toto corpore ſe ſuper eum projeciſſet, omnibus de ejus morte clamantibus* &c. Itaque *primò*: ex Henrici literis, utpote *omni injuriâ inhoneſtis & falſitate repletis*, nihil roboris accipere poteſt calumnia, quòd ipſe Gregorius ſeſe in Romanam Sedem violenter ingeſſerit: nam & fabulæ huic ipſe Paulus reclamat, cùm haſce literas *injuriæ & falſitatis* accuſat, genuinum

verò

verò electionis ordinem multò aliter descripsit, ùt suprà num. 6. intelleximus. *Secundò*: multò minus subsidii ad calumniam conferet Rolandi Oratio, quem ùt publicum *impostorem*, sive mendacii atque convicii atrocissimi reum, Synodus quidem vinculis, Romana verò Nobilitas etiam morte dignissimum proclamavit. Esto igitur, quòd ex hoc uno forsitan capite (scilicet ex affictis Gregorio violenti Pontificatûs initiis) Henrici ad Annonem literæ spurii cujusdam partûs & incertæ originis convinci haud possint: hoc tamen loco ostendisse sufficiet, quàm intemperantis aut nullius Criticæ, imò nullius etiam verecundiæ Virum se prodiderit Reineccius, cùm inter Germaniæ Scriptores, à se publicatos (ad dealbandum videlicet Henricum & denigrandam Gregorii famam) etiam scripto huic mendacissimo, sive tenebris dignissimo Epistolio suum tribuere locum, & velut in stercore succum Lectori propinare non erubuit.

n. 11. Quanquam si etiam Annonem prætensæ hujus Epistolæ, quo data dicitur, tempori (de quo postea) adhuc superstitem fuisse fingamus, difficulter sanè lectori minùs credulo poterit persuaderi, quòd apud Annonem Henricus de arrepto per vim Pontificatu Gregorium insimulare præsumpserit. Neque enim ignorare poterat Henricus, neque ignoraverat Anno, quàm canonico ritu (ùt ex omnibus Scriptoribus contemporaneis liquet) invitus quantumvis atque renitens, Rege etiam consentiente, & approbante, Gregorius fuerit electus. Integrum quoque triennium, ab anno scilicet 1073. usque ad A. 1076. sive usque ad ipsam Wormatiensis Conciliabuli rebellem periodum, jam abierat, quô per universum orbem Catholicum nemo Christianorum Principum & nec ipse Henricus super electione & Pontificatu Gregorii quidquam molestiæ aut dubii injecisse legitut. Denique repetitæ illæ Henrici ad Gregorium, Gregorii ad Henricum legationes, quas per istud triennium intercessisse Paulus Bernriedensis exactè commemorat, quid aliud docuêre, quàm Gregorium ab ipsomet Henrico Rege, ùtùt jam malè morato & deteriora secuto, tanquam legitimum Petri successorem Christique Vicarium fuisse agnitum & salutatum? Summo itaque ludibrio ac prope risui atque contemptui apud Annonem (cujus pro Pontificiæ Sedis auctoritate legibúsque constantiam, teste Lamberto Schaffnaburgensi, sibi perspectissimam Rex habuerat) sese exposuisset Henricus, si citra omnem veri speciem post pacifici ubique triennii spatium tandem arrogantissimum invasi Pontificatûs flagitium in Gregorium temerè contorquere apud Annonem, strenuissimum Gregorii vindicem, sustinuisset. Sed neque ante *ipsum* seditiosissima

Wormatienſis Pſeudo-Synodi tempus (quo certè jam obiêrat Anno Colonienſis) hanc occupati Pontificatûs ſtropham in Gregorium fuiſſe conſarcinatam, ex ullo ejus ævi Scriptore authentico conſtat. Quare vel ex primo accuſationis capite Henriciana ad Annonem Epiſtola non immeritò ſuſpecta ſpuriáque videbitur.

§. IV.

De Secundo accuſationis capite.

n. 12. SEd & falſum eſt *alterum*, quòd *Imperialem dignitatem ſpreverit* Gregorius: ideóque jam *ſecundò* mendax ab Epiſtolæ conſarcinatore Henricus inducitur. Inprimis enim quomodo de ſpreta per Gregorium *Imperiali dignitate* Henricus apud Annonem conqueſtus fingitur, qui in eum uſque diem nullibi ſe *Imperatorem*, dignitatem verò ſuam non *Imperialem*, ſed *regiam* vocitavit? Ipſe certè Henricus in literis, quas è Wormatienſi Conventiculo Romam dederat, Gregorium *regiæ dignitatis* diminutorem, Henrici verò legatus Rolandus in ſuo ad Romanos ſermone ſemel iterúmque Henricum ſolo *Regis* nomine compellavit. Aſt ne de hac vocula (quæ fortè non magis de *perſonæ* Imperatoriæ, quàm de perenni *ipſius Imperii* dignitate poteſt intelligi) pluribus incaſſum videar altercari: ſatis percipi nequit, quomodo regiam dignitatem contempſerit Gregorius, aut contemptam Gregorio apud Annonem exprobraverit Henricus. An forſitan, quòd Regis injuſſu ad Eccleſiæ clavum manus admoverit Gregorius? At repugnant Acta Pontificalia, & ipſe Gregorius Vercellenſis, Henrici legatus, regio juſſu & nomine Electionem probavit, eodémque præſente Gregorius Pontificiæ inaugurationis ſolemnia celebravit. Vid. ſuprà §. 2. *n.* 5. An verò, quòd in corripiendis Henrici exceſſibus ipſe modum exceſſerit Gregorius? Aſt hic ante reliquos ipſum audiri Gregorium oportebit, qui in literis ad Gottifredum Lotharingiæ & Tuſciæ Ducem (Vid. ſuprà num. 8.) ita pergit: „ De Rege verò mentem noſtram & de„ ſiderium plenè cognoſcere potes; quòd quantum in Domino ſa„ pimus, *neminem de ejus præſenti ac futura gloria aut ſolicitiorem, aut* „ *copioſiori deſiderio* NOBIS *præferri credimus.* Eſt etiam hæc voluntas „ noſtra, ùt primùm oblata nobis opportunitate, per nuntios no„ ſtros ſuper his, quæ ad profectum Eccleſiæ & *honorem regiæ digni„ tatis ſuæ* pertinere arbitramur, paterna eum dilectione & admo„ nitione conveniamus. Quòd ſi nos audiêrit; *non aliter de ejus,*

„ *quàm*

" *quàm de noſtra ſalute gaudebimus*: quam tunc certiſſimè ſibi lucrari " poterit, ſi in tenenda juſtitia noſtris monitis & conſiliis acquie- " verit. „Sin verò, quod non optamus, nobis odium pro dilectio- " ne, Omnipotenti autem DEo pro tanto honore ſibi collato, diſ- " ſimulando juſtitiam ejus, contemptum non ex æquo reddiderit: " interminatio, quâ dicitur, *Maledictus homo, qui prohibet gladium* " *ſuum à ſanguine* (Jerem. 40. v. 10.) ſuper nos, DEo providente " non veniet. Neque enim liberum nobis eſt, alicujus perſonali " gratia legem DEI poſtponere, aut à tramite rectitudinis pro hu- " mano favore recedere, dicente Apoſtolo: *Si hominibus placere vel-* " *lem, ſervus DEI non eſſem.* „

n. 13. Hiſce Gregorii literis & paternæ in Regem propenſioni nunc ipſam, quâ per totum triennium longanimis Pontifex uſus eſt, rerum ſeriem ex Paulo Bernriedenſi ſubijciamus, ut quivis animi ſanioris lector inde cognoſcere poſſit, quàm nulla ſpretæ diminutæve per Gregorium dignitatis regiæ mica, quàm nulla pro Henricianæ ad Annonem Epiſtolæ ſinceritate veriſimilitudo valeat extundi ac extorqueri. Ita igitur Paulus rem omnem breviter quidem, at dilucidè ſatis perſequitur: *Gregorius, poſtquam Domini voluntate fugiens & renitens ſuccedere coactus eſt, ut decebat, paternâ illum* (Regem) *viſitabat commonitione, orans & poſtulans, ut pro amore omnium Regis, etiam pro ſui ſtatûs ſalute, pro animæ ſuæ remedio, ab Actis, quibus oportebat tantum ſanctæ Eccleſiæ filium & membrum abſtinere, pedem retraheret. . . . Ad hoc Rex ipſe parumper commotus literas ſupplices* (vid. Baron. ad A. 1073. n. 49.) *& magis ut poſtea claruit, ſubdolas, emendationem promittentes miſit. Allatis itaque literis, tota Eccleſia lætata eſt, ſperans Sacerdotium & Regnum Dei gratiâ coadunandum, ad purgandum omne, quod in ipſa ſparſim incumbebat ſordidum. Tunc communi conſilio definitum eſt*, ut pro tanta cauſa, támque Deo digna ratione, Agnes mater ejus Auguſta unà cum venerabilibus Epiſcopis, Oſtienſi videlicet & Prænestino è latere Domini Papæ miſſis, Regem cum Apoſtolicis literis adiret, *ut tanta promiſſione percognita, certum finem malæ rei hactenus commiſſæ imponere vellet.* Quam Rex ipſe cum memoratis Apoſtolicis Nunciis honorificè ſuſcepit, *reversúſque ad cor, ut juſtum fuit, in omnibus Deo & S. Petro ſatisfecit. Quidquid etiam Legati ſibi ſuperpoſuerunt, humillima mente portare promiſit in manibus eorum: de cetero ſe cuſtodire, omnésque ſimoniacos malóſque conſiliarios & excommunicatos à ſe procul repellere, & Dei Eccleſiam, ſecundum canonicam inſtitutionem per conſilium Papæ ordinandam componendámque dimittere. His aliísque cauſis determinatis ad Apoſtolicum reverſi ſunt.* Ita Paulus num. 52. apud Papebroch l. c. p. 125. numero verò 53 ſic pergit:

" Rex

" Rex quoque reverſus eſt ad eadem volutabra, quibus involvi
" conſuêrat : credens nimirum magis ſuæ blandienti voluntati malis-
" que conſiliariis, quàm ſanæ religioni. Ad quod corrigendum *Mater*
" *ejus Auguſta* ITERUM *à Sede Romana miſſa eſt* : cum quo, tempore
" aliquo converſata, Sanctæ Matris Eccleſiæ erga illum affectum om-
" nem aperuit. . . . Moram autem faciente Regina, *ſuas* ITERUM
" *literas Papa miſit*, ut inſtaret verbo & liberationi ejus : ipſúmque ro-
" gavit, ut quemadmodum in literis ſibi olim miſſis (Eſt hæc Epiſto-
" la 85. lib. 1.) continebatur, Legatorúmque in manibus promiſſio
" & fides data oſtenderat, ſic ſe cuſtodiret : & maximè à Simoniaca
" hæreſi, quâ inſudabat, ſpiritum ſuum cohiberet : excommunicatos
" conſiliarios, quos pro ſalute ſua regníque ſtatu Apoſtolica Sedes &
" Synodus juſtè damnaverat, procul abjiceret, ne in eandem male-
" dictionem incideret. Regina Romam revertens, filium ad Dei ju-
" ſtitiam, & honorem inclinatum fore aſſeruit ; *cui non multò poſt vacil-*
" *lanti blandientes* & IDONEÆ LITERÆ *bis miſſæ ſunt* (ſunt hæ XXX.
& XXXI lib. II.)

Tum verò ſubjungit Paulus num. 54. p. 126. apud Papebr. " Illo
" quidem tempore Saxones, quoniam videbant ab eo ſe nimiùm cru-
" deliter tractari, unanimiter conſpiraverunt, ut pro Rege illum am-
" pliùs non haberent. Tunc coactus ſupplices ad Apoſtolicùm lite-
" ras direxit, orans, ut ſuis orationibus commendatum ſuſciperet ;
" quatenus de tam horrendo pavidóque judicio, jam imminenti, ſuis
" meritis Excelſi Regis dexteræ eriperet : iterum iterúmque promit-
" tens, nil unquam amplius de Eccleſiis Dei facere, quod ſancti Ca-
" nones reprehendere poſſent. *Cujus precibus motus Papæ, eisdem Sa-*
" *xonibus literas* & *nuntios miſit*, & circa ejusdem Regis radices fodiens,
" prædicationis ſuæ cophinos miſit, expectans, ſcilicet, ut groſſos ex
" ficu colligere poſſet. . . . Monuit equidem Regem, interim ſe ab
" armis ſuſpenderet, donec è Saxonum partibus nuntios haberet : Rex
" verò non acquieſcens literis & commonitionibus Patris, terras Saxo-
" niæ intravit ; ubi ex utraque parte, hominum peccatis exigentibus,
" multus humanus ſanguis effuſus eſt. Regis tamen in manibus, ju-
" ſto Dei judiciô, victoriâ datâ, pro qua ſub manibus Domini humi-
" liari debuit, tanquam ignitus & ſpiritu elationis inflatus, contra ipſum
" intumuit. Nam *cuncta, quæ pridem per Matrem, per Epiſcopos, per Cle-*
" *ricos, per communes nuntios* & *privatos, antea promiſerat, poſtmodum,*
" *quia ſecurus, in irritum duxit. Siquidem Eccleſias, quas in manibus*
" *Domini Papæ corrigendas ſub juramento poſuerat, non ſolùm non dimiſit,*
" *verùm*

" *verùm etiam contra Decretales Patrum inſtitutiones, quibusdam adulteris*
" *& Simoniacis ſub inveſtitura contradidit.* . . .

" His autem (ùt inquit Paulus l. c. p. 127. n. 55.) ad Apoſto-
" licam Sedem perlatis, Papa Gregorius non modicum conturba-
" tus eſt. Cœpit interea agitari multis ſolicitudinibus: quoniam
" cuncta, quæ ad pacem provenire ſperaverat, verti in contraria
" perſpiciebat. Tandem cauſas aliquas, ſibi per quosdam legatos
" ſecretè miſſas, quibusdam perſonis honeſtisque Viris patefecit,
" ut perpenderent, quid ſuper his ſtatuendum foret. Tantis ita-
" que promiſſionibus, imò ſimulationibus inſpectis, omnes mirari
" cœperunt. Verùm *ne Romana Sedes videretur aliquid injuſtè ſeu præ-*
" *cipitanter agere, definitum eſt, ut eidem Regi* ACRIORES LITERÆ *ſcri-*
" *berentur; in quibus plenè cognoſceret, nullo timore amoréve juſtitiam di-*
" *mitttere poſſe Romanum Paſtorem.* SCRIPSIT *autem ad Beatricem, ejus-*
" *que filiam Mathildem, quæ tunc temporis Italiam totam præ ceteris guber-*
" *nabat,* AD EUNDEM REGEM (Vid. Ep. 15. lib. 3.) *ad invaſorem*
" *Mediolanenſem, ad ſuffraganeos omnes.*

n. 14. *Acriores* porro hæ *litere* (de quibus hìc Paulus) eæ haud dubiè fuêre, quas Pontificii Oratores Regi tum tradidêre, cùm is ſub ipſa anni 1076. exordia (quem ejus ætatis Scriptores Germani à Nativitate Domini numerare conſueverant) Goslarienſem in Saxonia conventum celebrarèt. De qua legatione ita *Bertholdus* Conſtantienſis ad A. 1076.: *Cùm Rex jam dudum* SÆPE *à Papa præmonitus, ſe corrigere nollet, & Papa in admonendo nihil proficeret, ad ultimum mandavit ei, quòd in Romana Synodo proxima eum excommunicaturus eſſet, niſi reſipiſceret;* QUÆ LEGATIO IN OCTAVA NATIVITATIS DOMINI AD REGEM PERVENIT. Lambertus verò Schaffnaburgenſis, poſtquam de Goslarienſi Conventu ad Anni 1076. initium quædam præmiſerat, Regi per legatos Romanos (aut per literas potiùs à legatis illuc delatas) injunctum fuiſſe ſignificat: *ut* FERIA SECUNDA SECUNDÆ HEBDOMADÆ IN QUADRAGESIMA AD SYNODUM ROMÆ *occurreret, de criminibus, quæ obijcerentur, cauſam dicturus; alioquin ſciret, abſque omni procraſtinatione eodem die de corpore Eccleſiæ Sanctæ Apoſtolicò anathemate abſcindendum eſſe.*

n. 15. Quid autem ad iſta Henricus? Hic ut fulminis Pontificii minas fulmine regio eluderet, Synodum Romanam Pſeudo-Synodò Wormatienſi prævertit, & non modò ipſe à Pontifice palàm deſcivit, ſed & alios deſciſcere juſſit. *Unde* (poſt auditam ſcilicet legationem, ùt teſtatur Bertoldus) *Rex in* SEPTUAGESIMA *apud* WORMATIAM *colloquiò facto, & alio in Lombardia apud* PLACENTIAM, *omnes, quos po-*

tuit, obedientiam prædicto Papæ exhibendam abjurare fecit: & MISSA LEGATIONE *ad* ROMANAM SYNODUM, *quæ in proxima* QUADRAGESIMA *celebrata eſt, ipſum Apoſtolicum ab Apoſtolica Sede contumaciter juſſit deſcendere.* Quod ipſum aliquantò prolixiùs deſcribunt *Paulus* Bernriedenſis (num. 9. ſuprà cit.) *Acta Pontificialia* (de quibus num. 3. & 5.) p. 149. n. 5. apud Papebrochium l. cit. aliíque ſcriptores ſynchroni.

n. 16. Hìc gradum jam ſiſtat Lector, & pauliſper recogitet, num *regiam* dignitatem *Gregorius*, an *Pontificiam* conculcârit *Henricus*. Quot legationes ad Regem ille non deſtinavit, ut ad ſaniora tandem reverteretur? *bis* Pontificio hortatu easdem obiît ipſa Mater Auguſta & Imperatrix Agnes; obierunt illam primi ordinis Epiſcopi ac Cardinales, Oſtienſis ac Prænestinus; Rex ipſe has legationes, teſte Paulo, *honorificè* ſuſcepiſſe eſt viſus. Quot porro literas, hortationes & monita, non præmiſerat Pontifex, ut meliora Regi conſilia inſtillaret? Semel iterúmque ac tertiò, quartò & quintò, vel ampliùs, etiam *blandientis* in modum (vid. ſuprà num. 13.) ad eundem Gregorius ſcripſit. Teſtantur id *Paulus* Bernried. num. cit. *Bertoldus* Conſtant. n. 14. *Lambertus* Schaffnaburgenſis aliíque; teſtantur id *literæ*, quarum apographa hodiedum in Pontificiarum Epiſtolarum voluminibus extant; teſtatur id ipſum excommunicationis, tandem ſubſecutæ, Decretum, quod tum apud Paulum Bernriedenſem, tum in Tomis Conciliorum, & Actis Sanctorum &c. exactè refertur. Quot præterea Epiſcopos, aut Nobiles laicos, tanquam fornicarios aut ſimoniacos, vel horum certè fautores, non modò Gregorius, ſed & Romana Synodus jam publicè excommunicârant? Aſt à Rege, quantumvis non minùs aut etiam magìs ceteris reo, eouſque manus ſuas abſtinuit Roma: hunc diris necdum devoverat Pontifex: integri triennii moram *acrior* quædam Epiſtola & vel ſola anathematis *comminatio* traxit. Hæccine verò ſint argumenta regiæ dignitatis, à Gregorio ſpretæ? his fidem jam habeat Anno? hîs Annoni Henricus imponat?

n. 17. Sed nempe (obmurmurabit nonnemo) ipſiſſima illa *Acrior*, ac veluti decretoria Epiſtola, quæ *Regi* ſive *coronato Capiti* non modò fulmen Romanum intentare, ſed & potentiſſimum hunc Principem ad cauſam ſuam coram Synodo dicendam Romam uſque evocare eſt auſa, lapis ille offenſionis & petra ſcandali fuit, ad quam alliſus Regis animus non conturbari, non offendi non potuit, ſpretúmque à Gregorio Summi Principis honorem in ſe non agnoſcere ac interpretari. Verùm pro ſimpliculis, pro Pſeudo-Catholicis aut pſeudo-politicis terriculamentum eſſe poterit iſthæc objectio, non argumentum pro intelligentibus & orthodoxis. An enim eo ex capite, quòd regalem

per-

perſonam Henricus tunc gereret, Eccleſiæ filius eſſe jam deſiit? an ligandi ſolvendíque poteſtatem, ſive Eccleſiæ claves ad unius gregariæ fortunæ homunculos reſtrinxit Servator, cùm easdem Petro Petríque Succeſſoribus tradidiſſet? Quis ad id uſque temporis tam peſtiferum dogma ſive in Oriente ſive in Occidente uſpiam ſomniavit, aut in Catholicum orbem invexit? Num reſtrictæ hujuscemodi poteſtatis ſacræ portentum objectaverat Theodoſius, cùm Cæſarem hunc potentiſſimum (multò utique Henrico Rege potentiorem ac celebratiorem) innocuo Theſſalonicenſium ſanguine cruentatum, non ſolùm à Myſteriis Divinis, ſed & ab Eccleſiæ aditu S. Ambroſius (non Summi Pontificis, ſed ſolius Epiſcopi munere fulgens) intrepidè prohibuiſſet? Quis ſummi in omnes Eccleſiaſtici imperii dubium obmoverat S. Gregorio II. cùm Leonem Iſauricum: quis ceteris Pontificibus Romanis, cùm & alios Cæſares, Reges, ac Principes, ob gravia nimirum delicta, & palmarem Eccleſiæ contemptum, à reliquo fidelium corpore reſcidiſſent? Num fortè minùs peccaverat Henricus, atque peccârant alii? imò multò etiam magìs, ſi univerſos ſcriptores ſynchronos conſulueris. Et quod aliud tandem in promptu remedium Gregorio fuit, quàm ut poſt fruſtrata omnia, Paſtor ovem, Pater filium, Henricum Pontifex, ad Sacrorum Præſulum cœtum ſive ad Synodum Romanam coràm evocaret, & niſi ſeriò reſipiſceret, aut cauſam ſuam (Eccleſiæ jusibus hactenus tam perniciosam) ibi dicere vellet, etiam proximi *anathematis minas* denuntiaret? Actum hactenus literîs, actum eſt legationibûs; at nec firmum quidpiam evicêre literæ: neque multiplex profecit legatio. Faſſus identidem ſe reum Henricus, emendationem promiſit; promiſſis non ſtetit, vota fefellit, pacem turbavit, jura pervertit, totóque triennio Pontificem unà Eccleſiámque delusit. Quare cùm eminus apud abſentem Henricum nihil per literas obtinuiſſet Gregorius, cominus utique agendum fuerat cum præſente, & illuc proficiſcendum filio, quò Pater præſcripſerat. Quod niſi faceret filius, aut ipſius interea à malo recederet, anathematis adjectæ ſunt minæ, haud utique adijciendæ, niſi per mitiora remedia, toties jam incaſſum tentata, ſpes omnes in herba jam fuiſſent ſucciſæ, & ſementis optima, à Pontifice jacta, ſupra petram cecidiſſet.

n. 18. Jam verò ſi quis Sancti *Annonis* (jurium Pontificiorum non periti magìs quàm tenacis) *conſtantiam, atque invictum adverſus omnes nefarios Henrici conatus ſpiritum* (vide ſuprà num. 2.) ritè expenderit, quis adeò ad credendum ſit præceps, quòd de ſpreta per Gregorium dignitate regia Henricus, Annonem adverſarium ſuum edo-

cere voluerit, à quo calumniæ ſuæ non tam aſſenſum, quàm confutationem ſibi poterat polliceri? iſta ſanè qui temerè credit, non modò mendacem ſed & ſimplicem atque improvidum in Henrico Principem fingit. Nihilominus ſi etiam liberaliùs permittamus, quòd ſimilia ad Annonem perſcripſerit Henricus: minimè tamen hæc criminatio, quia oppidò mendax & falſa, Gregorii VII. integritati fuliginis quidquam aſperget (falſitas enim veritati obeſſe haud poteſt) id quod tamen unicè heterodoxi cum Reineccio Editores & nugacium hujusmodi foliorum nundinatores intendere ſolent.

§. V.

De Tertio accuſationis capite.

§. 19. NEque melioris notæ eſt accuſatio tertia: *quod nullum Gregorii judicio liceat eſſe Sacerdotem niſi qui hoc ab ejus faſtu emendicaverit.* Ita ſcilicet de *faſtu* hìc arguitur *Gregorius*: cujus omnigena virtus, etiam teſtante Cœlo, non modò Annoni & Scriptoribus coætaneis, ſed & univerſo Catholico Gregi fuit compertiſſima! Arguitur ab *Henrico*, qui niſi ipſus arrgantiæ morbô laborâſſet, tamdiu certè contra ſtimulum non calcitrâſſet, neque Eccleſiæ & Pontificis monita toties deluſiſſet! Arguitur apud *Annonem*, à quo non *modò* humillimi Pontificis defenſionem ſuſcipiendam, ſed & faſtûs patentiſſimi culpam in proprium potiùs regale caput retorquendam Henricus jure potuit vereri! Atque *eam ob cauſam* de faſtu arguitur: quæ ſicut ipſa veritatis umbram non habet, ita ſimul omnem faſtûs objecti aut objiciendi ſuſpicionem ansámque diſpellit. Hiſtoriæ námque Eccleſiaſticæ monumenta certos eſſe nos jubent, quòd Provincialium *ubique* Epiſcoporum confirmationem prævium neque Gregorius VII. neque ceteri eorum temporum Pontifices ſibi reſervârint: multóque poſterioris ævi reſervationem hanc eſſe, eruditiſſimus Chriſtianus Lupus jam obſervavit *loc. cit.* Vid. ſuprà *n.* 2. Quòd ſi verò de Eccleſiis quibusdam Italiæ Germaniæque ſit ſermo atque in his neo-Antiſtitum confirmandorum jus ſibi vindicârit Gregorius, iſtud profectò à Pontifice fieri non ſolùm potuit, ſed & decuit ac debuit. Quot enim profligatiſſimæ vitæ aut Simoniacæ mentis manûsque homunciones, non ùt Aarones à DEO vocati, ſed vel aſſentatione aulica, & quà Regis, quà Principum Procerúmve laicorum potentiâ freti, vel quod turpius, auró, muneribus, & artibus Simoniacis fulti, ad pedum, ad infulas, ad nobiliſſimas Eccleſias non tam aſcenderunt, quàm evolârunt? Omnium

ſanè

ſanè Scriptorum coævorum volumina querelis his ſcatent, & Hiadem ferme hìc ſcribere poſſis, ſi ſingula fas eſſet perſequi. Huic itaque nodo quem cuneum, graſſanti peſti quod pharmacum aliud adinvenire Gregorius potuit, niſi ut per haſce Eccleſias recentium Antiſtitum creationem ſuarum quoque curarum partem non ultimam faceret, eorúmque electionem, ſive ab Eccleſiaſticis ſive à laicis factam, ſuo priùs tribunali Examinique ſubijceret, quàm electi inaugurari, & regimen ſacrum capeſſere poſſent? Solâ etenim hâc viâ, ex canonum præſcripto, violentia laica poterat corrigi, reprimi fraudes, arceri Simonia, emendari defectus, indigni repelli, digni confirmari. Quos Pontificis fines, palàm omnibus notos & Canonibus ſacris conformes, cùm probè noverit Anno: quàm illætabile ab hoc Antiſtite reſponſum ſibi debuerat augurari Henricus, ſi ob Epiſcopalium alicubi Electionum diſquiſitionem, recens Apoſtolicæ Sedi reſervatam, mox in Pontificis faſtum apud Annonem invehi lubuiſſet?

§. VI.

De quarto & quinto accuſationis capite.

2. 20. MUltò autem luculentiora adulterinæ manûs indicia ſe produnt, cùm in Henricianis ad Annonem literis Gregorius à Rege incuſatus prætenditur: *primò*, quòd *Regnô* ipſum, imò & *vitâ* ſpoliare ſtudeat atque minetur. *Secundò*: quòd *regios* nuper *legatos incarceraverit, carceratos nuditate, frigore, fame, ſiti, plagis contriverit, ſicque demum ad exemplum per medium civitatis circumductos omnibus ſpectaculum præbere juſſerit.* Enimverò quisquis ejus ætatis Hiſtoricos, ipſas Gregorii Epiſtolas atque legationes, *acriores* denique & comminatorias Pontificis literas (quæ Wormatienſe Conciliabulum proximè præceſsêre) conſideratiùs evolverit, plusquam duplicatum & triplicatum accuſationis mendacium non palpare non poteſt. Intra ſolas *anathematis minas* res hactenus ſtetit: non de *Regno*, minùs de *vita* Regis, verbuli quidquam Gregorio eousque exciderat: & nec ipſe perſonatus Pſeudo-Cardinalis Benno, juratiſſimus aliàs Gregorii hoſtis, tam atrocem huic Pontifici impoſturam affinxit. Et certè ſicut ipſa facinoris ſive necis in Regem meditatæ immanitas à reliquis Gregorii factis & moribus tota quanta abhorret: ita vel ſola hujus calumniæ fabulam, & Epiſtolæ, recentiùs omnino fabricatæ, natales abunde oſtendit; niſi quis Henricum ex meris

calumniis & mendaciis compactum Principem ipſe per ſummam imprudentiam vel impudentiam nobis obtrudere auſit.

n. 21. Audiatur hic *primò* Bertoldus Conſtantienſis, qui ad ineuntem Annum 1076. (octiduo antè, quàm Gregorii legati Goslariam ad Regem perveniſſent) Romæ geſta ita deſcribit: *Cincius quidam, Romanus civis, Gregorium Papam, die Nativitatis Domini Miſſarum Solemnia celebrantem comprehendit, quem ita comprehenſum quidam ex militibus ejusdem Cincii occidere deſtinavit; ſed cùm gladium ſupra caput ejus vibraret, nimio terrore correptus corruit, nec inceptum ictum explere potuit. Cincius autem Papam in turrim ſuam captum deduxit: quæ poſtea ſtatim à Romanis penitus dilapidatur, & Papa prudenter eripitur,* QUI ET SUO CAPTORI VIX A ROMANIS VITAM IMPETRAVIT. Eadem narrat *Lambertus* Schaffnaburgenſis. *Secundò*, de ipſius Henrici Legatis, ac præcipuè Rolando, qui è Wormatienſi Conciliabulo Romam miſſus impotenter admodum & impudenter in Synodo Romana declamaverat (Vid. ſuprà n. 9. & 10.) hæc memorat *Paulus* Bernriedenſis ad A. 1076. *Præfectus facto impetu, cum judicibus, militibus & Romanis nobilibus, tantum impoſtorem evaginatis in ipſa Eccleſia Salvatoris gladiis, ante Domini præſentiam interimere voluit, & feciſſet,* NISI PIUS PATER TOTO CORPORE SE SUPER EUM PROJECISSET, *omnibus de ejus morte clamantibus* &c. Acta quoque *Pontificalia* (*n.* 3. & 5. relata) idem ferme teſtantur: *Quibus* (Rolandi) *blaſphemiis auditis contra eundem Pontificis conviciatorem tota Synodus ita vehementer exarſit, quòd* NISI PIA MANSUETUDO BEATI PAPÆ GREGORII SE OBJECISSET, *ipſum fideles Eccleſiæ cum lapidibus trucidâſſent.* Conſonat *Bertoldus* Conſtantienſis, qui poſt verba, num. 15. ſuperiùs jam recitata, quamprimùm ſubjungit: *Sed miſſi ejus turpiſſimè in Synodo tractati, vix à Romanis,* ADJUVANTE PAPA, *evaſerunt.* Quòd ſi verò tanta in ſacrilegum & rebellem proditorem Cincium, tanta in tumultuantes Henrici legatos, Gregorii humanitas, manſuetudo atque benignitas fuit, ut cædis, jam à Romanis in eosdem decretæ, ſupplicium ipſe ab eorundem cervicibus averteret, & proprii etiam ſui corporis objectu periturum jamjam Rolandum defenderet: quis veroſimile putet, in ipſius Regis caput & vitam ferales à Gregorio inſidias fuiſſe ſtructas, ſimiléve flagitium ab Henrico (quem utique tam inſolita ſimúlque vulgatiſſima Gregorii manſuetudo latere non potuit) per enormen calumniam Gregorio apud Annonem fuiſſe aſperſum? Apage igitur literas haſce Henricianas, non in Regis, ſed recentioris calumniatoris cerebro natas!

n. 22. Nam & ipſa *temporis ratio* Epiſtolaribus hiſce commentis repugnat, totámque Epiſtolam non ex Henrici, ſed neoterici imperitique cujusdam veteratoris calamo fluxiſſe teſtatur. Dari hæc ad Annonem *Epiſtola* debuit *ante* conventiculum Wormatienſe; ad iſtud enim (utpote poſtea cogendum) primùm invitatur hìc Anno. Contrà verò *legati* regii (quos à Romanis *turpiſſimè habitos* & parùm à nece abfuiſſe, Scriptores affirmant) primùm *poſt* vel *è* Conventiculo Wormatienſi ad Romanam Synodum ſeſe contulerant. Convenerat Pſeudo-Synodus Wormatienſis Dominicâ *Septuageſimæ*, Romana Synodus Dominica ſecundâ *Quadrageſimæ*; atque in hac demum (neque enim ante id temporis legatos regios mali quidpiam à Romanis fuiſſe perpeſſos, ex ullo uſpiam Scriptore vel tenuiſſimè conſtat) cum Rolando, Rolandíque ſociis aſperiùs actum. Quonam igitur pactô Henricus ad Annonem jam de iis ſcripſiſſe fingitur, quæ *poſtea primùm* contigerant, & de quibus, Epiſtolæ tempore, nulla Romanis, nulla Gregorio ſuſpicio & metus adhuc poterat ſuboriri? Quomodo etiam circa hæc poſteriùs geſta tam craſsè mendax proponitur Henricus, ut, quæ à Romanis adverſus Legatos commiſſa ſparguntur, ipſe Gregorio imputet, quem ſuo etiam cum periculo legatis fuiſſe patrocinatum Rex neſcire haud potuit? Quanquam & ea ipſa, quæ Oratoribus regiis Romæ eveniſſe jactantur (vide ſuprà num. 20.) ultra verum exaggerari, non immeritò poteſt conjectari; hanc enim Pſeudo-Epiſtolam ſi exceperis, nihil de nuditate, frigore, fame, ſiti, publicáque per Civitatem probroſa deductione, apud probatos coætaneos Scriptores reperies.

§. VII.

De Sexto accuſationis Capite.

n. 23. AIt præterea pſeudo-plaſtes: omnem hanc, quam à Gregorio pateretur, perſecutionem fundari in eo, *quia me de DEO, non de ipſo regnare velle vidit, quia ipſe me Regem non conſtituit.* Scilicet hæc *perſecutio* ad ea ſe refert, quæ paulò antè tum de Regni vitæque inſidiis, tum de legatorum regalium fatis, adverſus Gregorium fuêre præmiſſa. Quæ tamen ſingula cùm ſint falſiſſima atque ſuppôſta, etiam præſens hæc accuſatio ruit. Dein ſi quas ante Wormatienſis Synodi tempora à Gregorio Pontifice perſecutiones Rex fuiſſet expertus (id quod falſum) frivolum tamen atque ineptiſſimum hujus perſecutionis prætextum Rex apud Annonem allegâſſet.

Quam-

Quamvis enim ſolâ Germanorum electione liberrimè, & DEI, non Gregorii gratiâ, jam ante hujus Pontificatum regnare cœperit Henricus, neque id ipſe Gregorius potuerit aut voluerit diffiteri: oportebat tamen vel maximè, ut Rex Chriſtianiſſimus non modò DEI gratiâ, ſed & ſecundum DEum ſive ſecundum DEI & Eccleſiæ leges juſti Principis munus impleret; neque enim Populus & Eccleſia propter Principem, ſed Princeps propter Populum & Eccleſiam. Itaque vel *benè* imperitavit Henricus, vel *malè*? ſi *benè*: nulla certè Henrico ſive à Pontifice ſive à Germanis timenda fuerat perſecutio. Si *malè* (id quod non ſolus Pontifex & Eccleſia DEI, ſed & magna Germaniæ pars, ac præcipuè Saxonia, altùm ingemuêre) neceſſarium omnino fuerat, ut pro DEI & Eccleſiæ ſuæ vindiciis excubaret ſummus Eccleſiæ Rector Chriſtíque Vicarius, & Chriſtianum Principem, utpote Eccleſiæ filium, primò monitis, tum verò minîs ad rectiora compelleret: quandoquidem & ipſi Germaniæ Principes idem in eodem Henrico, ùt Principe laico, fecêre, cùm in rebus paritèr politicis à recti norma deflecteret. Meriſſimum itaque fucum Annoni feciſſet Henricus, ſi perſecutionis (quæ tamen nulla hactenus fuerat) cauſam non aliam attuliſſet, quàm quòd ipſe, nulli mortalium obnoxius, ſolius DEI, non Gregorii gratiâ aut beneficiô, ſuis faſcibus uti decreverit, Pontifex verò id ipſum æquo animo concoquere haud poſſit, utpote qui etiam Reges, quos ipſe nunquam conſtituit, ſuo potiùs ex nutu arbitióque Papali pendentes unicè habere deſideret. Quàm enim obvia, quàm expedita ad umbratilem hunc prætextum fuiſſet Annonis reſponſio! à Pontifice nimirum neutiquam in Regis Regníque jura politica involari, neque Regem, ùt Vaſallum, à ſumma Sede haberi: Sed degenerem filium ab Eccleſia Matre, nunc precibus & monitis, nunc etiam minis, duntaxat urgeri, ut qui DEI gratiâ vellet regnare, etiam ſecundum DEI & Matris ſuæ Eccleſiæ honorem deinceps regnaret; quòd ſi ſecus is faceret, & DEI atque Eccleſiæ jura porro infringere pergeret, aliud ſanè Pontificem haud poſſe, quàm ut ubi temporalia deſunt, ſpiritualibus armis & Apoſtoliço mucrone adverſus Eccleſiaſticorum jurium invaſorem contumacémque filium ſtrenuè poſthac decertaret. Ita certè reſpondere poterat, ita reſpondiſſet, ita demum reſponſurus ab ipſomet Henrico facilè prævideri potuit ac debuit Anno, cujus indolem ac ſpiritum, Gregorio ſimilem, apprimè Rex calluit. Unde non niſi nugas & fumos vendidit Epiſtolæ figulus, cùm eandem ex meris commentis compegit, & plusquam luteum omníque teſta

teſta fragiliorem perſecutionis quà exantlatæ quà illatæ prætextum Henrico Gregorióque affinxit.

§. VIII.

De poſtremo Epiſtolæ argumento.

§. 24. AST nunc tandem cauſæ præſentis jugulum petitur, unicóque impulſu tota mendaciorum ſtrues collabitur, neque jam hujus ad Annonem controverſæ Epiſtolæ auctor eſſe Henricus, ſed multò alius recentioris furni impoſtor detegitur. Nam ita invitâſſe Annonem Rex fingitur: *ne pigeat, ut in* PENTECOSTEN WORMATIAM *venias, & quid agendum ſit, doceas.* Sic nempe mortuum vivus alloquitur, & miraculô fuerat opus, ut invitanti morem gerere poſſet Sanctus Antiſtes: ſcilicet ut à mortuis reſurgeret Anno, qui jam antea fatis conceſſerat, quàm hæc à Rege fieri invitatio poſſet. Wormatienſis enim Synedrii conflandi conſilium non priùs captaverat Henricus, quàm legati Pontificii cum acrioribus literis adveniſſent (vid. ſuprà num. 14. & 15.) id quod factum ab his *Anno* 1076. jam inchoato, *in ipſa Dominicæ Nativitatis Octava.* At verò S. Anno currente adhuc *anni* 1075. periodo diem ſuum jam obiêrat, ſcilicet *II. Nonas Decembres*, ùt indubitatum hoc faciunt ſcriptores contemporanei Bertoldus Conſtantienſis & Lambertus Schaffnaburgenſis. Prior ad Annum 1075 ita ſcribit: *Anno* (ſic enim legendum; non *Aimo*, prout in hodiernis Editionibus ſive per typothetæ ſive per tranſcriptoris oſcitantiam legitur) *venerabilis Colonienſis Archiepiſcopus miræ ſanctitatis requievit in pace II Nonas Decembris: cui Hiltolfus impar genere & moribus ſucceſſit.* Alter ſive Lambertus ſic habet: *Annum hunc (1075.) multis cladibus inſignem, potiſſimum lugubrem fecit obitus Annonis Colonienſis Archiepiſcopi, qui poſt longam ægrotationem . . . II Nonas Decembris beato fine perfunctus ad Angelos ex hominibus, ad immortalia ex mortalibus transmigravit.* Itaque hunc ſanctum Antiſtitem Rex invitare non poterat, quia jam demortuum: neque invitare ad eam Synodum, quam tunc necdum Rex indixerat, imò de qua fortè ante poſtremum Oratorum Pontificiorum adventum ne quidem ſomniaverat. Quid? quòd primùm ad *Pentecoſten* ſe *Wormatiæ* ſiſtere & *quid agendum* foret, ibidem *docere*, in dicta Epiſtola Sanctus Præſul à Rege jubetur? Certiſſimum verò eſt (vid. ſuprà num. 14. & 15.) PRIMO ex *Bertholdo*, quòd *Wormatienſe Colloquium* Rex inſtituerit in *Septuageſima*, SECUNDO ex *Lamberto Schaffnaburgenſi*, quòd Romana Synodus, ad quam Pontifex ipſius Regis præſentiam pro cau-

ſa ſua dicenda poſtulaverat, indicta fuerit in *Secundam Quadrageſimæ hebdomadam*. Certum denique TERTIO, tam ex Lamberto quàm ex Bertholdo, quòd Rex, hac ipſa evocatione ſua miniſque Pontificiis irritatus, tam Romanam Synodum quàm imminentem ſibi cataſtrophen prævenire voluerit, neque in ventura primùm *Pentecoſtalia*, utpote Romanâ Synodo non parùm poſteriora, ſed in ipſam *Septuageſimæ* Dominicam (quâ reapſe Henrici aſſeclæ poſtmodum convenerant) Conciliabulum ſuum Wormatienſe jam primitus indixerit. Quòd ſi verò res ita ſe habuit (uti dubitari non poteſt) hujus profectò Epiſtolæ, in qua præpoſterum huic Conciliabulo tempus præfigitur, diverſum longè ab Henrico Rege architectum fuiſſe, ſatis in propatulo erit.

§. IX.

Veroſimilior de Epiſtolæ hujus origine conjectura.

n. 25. ET quoniam ex iis, quæ hucusque adduximus, lectori obſcurum eſſe jam nequit totius Epiſtolæ hujus figmentum & ſuppoſititia manus: quospiam ſaltem fontes, ex quibus ea derivata videtur, pro coronide hìc indicâſſe non incongruum erit. Meminit PAULUS Bernriedenſis in vita Gregorii VII. *primò*: quòd *Henricus* in literis ſuis, *Romam* datis S. Gregorium *invaſorem*, & *regiæ dignitatis diminutorem* per calumniam compellârit: *Secundò*: quòd etiam Henrici Orator (*Rolandus*) in ipſa Synodo Romana eundem Pontificem ob *invaſam* B. Petri Sedem fuerit conviciatus. *Tertiò*: quòd Rolandus congregatos ibidem Italiæ Præſules ad futuram *Pentecoſtes* ſolennitatem, pro inſtituenda ſcilicet novi Pontificis creatione, coram Henrico Rege juſſerit comparere. *Quartò*: quòd hic ipſe Rolandus à Romanis fuerit *captus*, ac propemodum *interemptus*: niſi Pontifex obſtitiſſet: quod etiam teſtantur *Bertoldus* Conſtantienſis & *Acta Pontificalia*. Vid. ſuprà n. 21. *Quintò*: quòd etiam *Regnò* denique Henricum exuerit Gregorius: quanquam hoc ſeriùs, ſeu poſt Wormatienſe Conciliabulum contigiſſe, diſertè is exprimat. *Sextò*: quòd varia *contra Simoniacos & intruſos Præſules* Decreta ediderit Gregorius, quibûs illi exauctorabantur, & novi ſubſtituebantur. Plura de legatis regiis, velut à Gregorio VII. inhumaniter habitis, mentitur *Anna Comnena* in Poëmate Græco, *Alexias* dicto. De *vitæ* verò periculis (quæ per Gregorium VII. Henricus incurrerit) ſolus mentionem ingerit mendaciſſimus Pſeudo-Cardinalis Benno, ùt videre eſt in interpolato Chronico Conradi Uſpergenſis ad A. 1079.

n. 26. Ex

n. 26. Ex his itaque Scriptorum teſtimoniis (in quibus partim facta adverſus Gregorium convitia, partim ſincera ejusdem Gregorii geſta, Synodus item Romana, & Conciliabulum Wormatienſe ſparſim attinguntur) anſam captâſſe videtur deceptor quidam anonymus atque recentior, ut integram quandam Epiſtolam ſub Henrici ad Annonem nomine fabricaret, & totam criminum, quorum reus fuerit Gregorius, ſtruem velut in compendio coràm exhiberet. Qua tamen in re duo maximè peccavit vulpio, quorum unô ſuam inſcitiam, alterô ſuam malitiam odiúmque detexit. Nam non modò adverſus Chronologiam inſigniter impegit, cùm Annonis & Conciliabuli tempora imperitiſſimè confunderet atque procraſtinaret: ſed & ea crimina in Gregorium finxit ac conſtipavit, quæ ab hoc Sancto Pontifice longè fuêre remotiſſima; quod utrumque præſenti Diſſertatione ſatis enucleavimus. Quanquàm quid mirum, quòd hanc Epiſtolam inter commenta referimus? quando & ceteræ, quæ apud Reineccium & Urſtiſium poſt Henrici ad Annonem literas ſubjici ſolent, ejusdem Regis Epiſtolæ, ad varios inſcriptæ, non minori ſuppoſititia labe ſunt contaminatæ. Talis v. g. eſt Epiſtola Henrici, quæ ad Regem *Celtarum*, abſque ulla alia nomenclatione, inſcribitur. Quis enim ea ætate Regem *Francorum* (hunc enim denotari volunt) Regem *Celtarum* unquam compellavit? Talis eſt Epiſtola triplex, ad Henricum filium, ad Archi-Epiſcopos & Principes Saxoniæ, ad Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Duces, Comites ceterósque Regni Germanici Principes: ita enim hìc loquitur Henricus, quaſi illum inter, & Summum Pontificem Paſchalem, ſummum neceſſitudinis & pacis vinculum jam interceſſiſſet. De quo tamen Scriptores ſynchroni adeò nihil teſtantur, ut etiam anathema in Regem ab eadem Pontifice renovatum affirment, reſciſſum verò illud poſthac fuiſſe nullibi prodant. Omitto cetera, quæ in Epiſtolis hiſce abundant, impoſturarum indicia: ne in novæ diſceptationis argumentum hìc ingredi, atque ultra limites fortaſſe progredi cogatur oratio.

DE ROSIERES Franciſcus, nobilis Barro-Ducæus & Archi-Diaconus Tullenſis, ob *Lotharingiæ Ducum Stemmata* (quibus A. 1580. typum Pariſienſem commaculavit) ſive ob impoſturas in hac compilatione commiſſas famigeratiſſimus, apud omnes Eruditos Genealogos hodiedum graviſſimè vapulat, quorum judicia hìc ſubjungo. *Auctorem fabuloſum* eumdem compellat *Henſchenius* T. II. Junii p. 127. n. 3. in Comment. præv. ad vitam S. Clodulphi, cui ſolus Roſierius tam matrimonium quàm novem ex eo liberos affinxit; etſi neutrius aſſerti tam in Clodulphi vita quàm apud antiquos domeſticós-

DE ROSIERES.

que Scriptores ulla mentio fiat. Scriptorem *mendacem* Roſierium vocat *Habnius* Acatholicus in Hiſt. Imp. P. II. p. 228. col. 2. *Beſchius* noſter ob ſuppoſititia quædam de S. Arnulpho Epiſcopo Metenſi Diplomata eundem explodit T. IV. Julii p. 230. n. 34. *Nicolaus Zylleſius* in libro pro Defenſione Abbatiæ Imperialis S. Maximini non modò illud S. Sigeberti Auſtraſiorum Regis Diploma, pro Trevirenſi Eccleſia datum Aquisgrani Idibus Maij Anno DCLIII, ſed & plurima alia Diplomata à Roſierio turpiter fuiſſe conficta, neque Aquisgranenſis illius Diplomatis autographum ſive originale proferri poſſe pronuntiat. *Ipſum etiam Roſieres manifeſtis criminibus convictum, fraudulenter & malitiosè plurima à ſe excogitata fuiſſe confeſſum eſſe coram Henrico III. Francorum Rege XXVI. Aprilis A.* 1583. *tradit* (*Edicto de hac ejus confeſſione adſcripto*) *Ludovicus Chanterellus Faber ante ſuas Conſiderationes Genealogicas Domûs Lotharingicæ*: & ex Chanterello Henſchenius T. I. Febr. p. 233. n. 14. in Comm. præv. ad vitam S. Sigeberti Regis. Similiter Pagius T. IV. Crit. ad A. 1070. n. 7. & 16. ait, *pleraque Diplomata à Roſierio prolata, vel fictitia vel interpolata eſſe; nullâmque eis fidem habendam: falſitatis etiam fuiſſe convictum*; unde *ſi hominem noviſſet* (Baronius, qui Roſierium aliquoties in genealogicis exſcripſit) *ejus commenta fuiſſet aſpernatus.* In eandem ſententiam ſcribit *Gundlingius* in Hiſt. Imp. p. 278. 279. §. 190. & p. 645. §. 13. Guiſianæ nimirum, quæ adverſus Henricum III. Galliarum Regem conſpiraverat, Factionis Principibus, è Lotharingico Ducum Sanguine natis, adhæſerat Roſierius, utpote & ipſe Lotharingus ſeu Barro-Ducæus. Opus itaque Stemmatologicum in Guiſiorum gratiam ferruminavit, ut horum cum Merovingicis Regibus nexum, proindéque præ Valeſiis Principibus potiora Guiſiorum ad Sceptrum Gallicum jura, palàm evinceret. Quod cùm authenticis documentis corroborare haud poſſet, non modicam ementitorum Diplomatum farraginem è ſuo cerebro protulit, orbíque erudito obtruſit. Aſt brevi à ſagacioribus ſuum impoſturæ glaucoma detractum, ipsúsque in ferali pegmate, ùt Gundlingius ait, ſuas fraudes & fabulas Roſierius publicè condemnavit.

ROBERTUS. ROBERTUS de Monte. Vid. lit. M. verbô: de *Monte*. pag. 283.

ROSWITA. ROSWITA, ſive HROSWITHA, aliàs *Roswid* (formato vel ab equis paſcendis vel à rubro albóque coloribus nomine) vixit in Gandersheim enſi, Ducatûs nunc Brunſvicenſis, apud Saxones monaſterio, quod Anno DCCCXLII. Ludolphus Saxoniæ Dux condidit, Altfridus Hildeshemienſis Epiſcopus locupletavit. Et quia Othonis I. Imperatoris geſta juſſu Othonis II. ſcripſerat Roswita, non modò latino carmine pollens, ſed etiam græcè docta: ideo Trithemius in Chro-

Chronico Hirſaugienſi eam retulit ad Annum DCCCCLXXX., poſt quem Secundus Otho adhuc triennium vixit, & regnare cœpit Otho III. Ita *Papebrochius* T. V. Junii p. 205. n. 4. in Comment. præv. ad Acta S. Pelagii M. Cordubenſis, Anno 925. pro Fide perempti: quæ Roswita Poëtria heroico metro conſcripſit. Nos (inquit ibidem Papebrochius n. 5.) ùt accepimus, ita damus ex editione Poëmatum ejus, Norimbergæ procurata Anno MDCI. (ſcribi rectiùs debuerat Anno MDI.) per Conradum Celte, primum in Germania laureatum Poëtam; qui tamen libraria menda, in talibus frequentia, non omnia correxit, ſed multa nobis per conjecturam emendanda reliquit, uti ex margine apparebit, indiciis exerrantis Scriptionis antiquæ onuſto; hoc enim ad fidelitatem pertinere putamus. Ipſum dein Poëma Roswitæ de S. Pelagio exhibet Papebrochius à p. 209. ad 213. Eadem Roswitæ (quæ à Budero in Bibl. Script. Germ. apud Struvium in Corp. Hiſt. Germ. p. 126. etiam *Helena à Roſſow* dicitur) Poëmata, ùt *Panegyricum de Geſtis Othonum*, *Martyrium S. Pelagii*, *Narrationem de Fundatione & Primordiis Cœnobii Gandersheimienſis* &c. recenſet Trithemius, ex Trithemio Reuberus in Tomo Script. Germ. ſub initium Operis. Singula uno volumine complexus eſt & primus juris publicis fecit Norimbergæ A. 1501. *Conradus Celte Protucius*, cujus meminit *Papebrochius* l. c. & *Heuſchenius* T. I. Febr. p. 482. n. 9. in Actis S. Sigeberti Regis. Maximè verò inter hæc Poëmata celebratur ab Hiſtoricis Panegyricus de geſtis Othonis M. hexametro carmine conſcriptus, quem poſt Celtem recudit *Reuberus* Tomo cit. Francofordiæ A. 1584. *Meibomius* T. I. Script. Germ. Helmſtadii A. 1688. cum Notis: Henricus Leonardus *Schurzfleiſchius* Wittenbergæ A. 1707. unà cum peculiari eruditáque præfatione. Poëma de Fundatione Cœnobii Gandersheimienſis inſeruit Leibnitius Tomo II. Script. Brunſvic.

Nimirum antiquioribus Seculis, ùt VI. VIII. IX. X. XI. XII. in conſuetudinem propè abiit, ut illuſtrioris ordinis fœmellæ, non minùs ac maſculi, liberalibus diſciplinis, & vario eruditionis genere, maximè autem latini ſermonis uſu, ritè imbuerentur, atque ita imbutæ, propriis poſtmodum lucubratiunculis horarum intervalla diſtinguere poſſent. Sic, ut paucas è pluribus memorem, Seculo VI. Acta S. Radegundis Reginæ latinè edidit Baudonivia, Sanctimonialis Pictavienſis, ejusdem Reginæ coæva ac familiaris diſcipula, ùt legitur in Actis SS. T. III. Aug. p. 48. n. 10. & à p. 74. &c. Vitam breviorem S. Wunibaldi Abbatis ipſa S. Walburgis, demortui Soror: prolixiorem verò ejusdem Wunibaldi, uti & Hodœpo-

dœporicon S. Wilibaldi concinnavit horum conſanguinea Sanctimonialis Heidenhemienſis, ſub finem Sæculi VIII. aut initium Noni, ùt habetur T. II. Julij in Comm. præv. ad Acta S. Wilibaldi. Eodem Seculo VIII. SS. Herlindis & Relindis VV. locò operis manualis, ex regula præſcripti, quatuor Evangelia, Pſalterium, Divinásque Scripturas deſcripſiſſe narrantur T. III. Martii p. 388. n. 12. Similiter de Sancta Hildegarde, Seculi XII. Abbatiſſa Bingenſi in Germania, habemus compertum, quòd præter innumeras propè Epiſtolas, quas ad omnis Ordinis ſexúsque perſonas latinè dederat, etiam S. Ruperti Ducis & Berthæ Matris (Vid. T. III. Maij ad diem XV.) uti & S. Diſibodi Epiſcopi (Vid. T. II. Julij) Vitas latinè elucubrârit. Confer. etiam T. V. Sept. ubi vita & Scripta S. Hildegardis. De Carolo M. ita ſcribit Eginhardus: *liberos ſuos ita cenſuit inſtituendos, ut tam filii, quàm* FILIÆ *primò* LIBERALIBUS STUDIIS, *quibus & ipſe operam dabat*, ERUDIRENTUR. Neque dubitandum, quin & Gerberga Abbatiſſa Gandershemienſis, cui Roswita Poëma ſuum latinum nuncupaverat, ejusdem idiomatis uſum cognitum ſibi habuerit atque familiarem.

DE RUPE. De RUPE. vid. lit. A. verbô: ALANUS. Illud verò addendum, quòd perſonatus Alanus (ſub cujus ſcilicet nomine pia in ſpeciem opuſcula emiſſa fuêre) revelationes ſuas, viſiones, & narrationes *Hiſtoricas*, ſeu veriùs fabulamenta indubitata, etiam juramentô ſæpiùs confirmare ſit auſus, haud ſecus, atque ſi apertæ falſitati juramentum unquam poſſet patrocinari. Vid. *Cuperus* noſter T. I. Aug in Comment. præv. ad Acta S. Dominici à p. 365. n. 45. ad n. 52. item p. 505. n. 753 & 755. Unde cùm tot manifeſta juratáque figmenta cum vera genuini Alani (qui *Beati* titulô à ſuis exornatur) ſanctitate, doctrina, prudentiaque rite conciliari haud poſſint (vid. *Cuperus* l. c. p. 367. n. 51. & p. 366. n. 48.) inde profectò conſequitur, quòd talis Alanus, qualis vulgò circumfertur, opuſculorum ſcilicet paſſim circumvolitantium Author, nunquam vixerit aut ſcripſerit, ideóque Pſeudo-Alanus probè diſtinguendus ſit à vero ſive à Beato Alano; de quo quidem aliquantò magis conſtare videtur, quòd vixerit (vid. *Cuperus* l. c. p. 364. n. 36. p. 366. n. 48.) non item, quòd ſcripſerit. Eſto enim, quòd etiam veriorem Alanum neque ùt *Sanctum*, neque ùt *Beatum* hactenus Eccleſia agnoverit (vid. *Cuperus* p. 366. n. 47. 48.) eum tamen inter vivos aliquando fuiſſe, Scriptores Dominicani affirmant, quos inter Joannes Rechacus, qui in præfatione ad Alani vitam Tomo II Operis Gallici de ſanctis Ordinis Prædicatorum (vid. *Cuperus* l. c. p. 367. n. 51.) Alanum non modò pientiſſimum, ſed & *doctiſſimum Theologum* fuiſſe contendit.

tendit. Atquî in talem tantúmque Virum, qualis à ſuis Alanus deſcribitur, jurata toties commenta nullatenus cadere poſſunt, niſi pugnantia ſimul admittere, ſummámque laudem cum ſumma ſive imperitia ſive fraudulentia conjungere velis.

RÜXNER Georgius (cui Struvius in libello *de doctis impoſtoribus* ſuum pariter locum non immeritò tribuit) ut Hiſtoriam Genealogicam ſive Illuſtrium Familiarum origines & antiquitatem illuſtraret, ex veteri quopiam M S. Germanico, Magdeburgi reperto, ſibíque, quòd id lectu & intellectu difficilius eſſet, non niſi per interpretem quempiam conſiliarium Palatinum elucidato, librum integrum conflare eſt auſus, quem & Francofordiæ Anno 1576 in lucem protulit ſub hoc titulo: *Tournier-Buch vom Anfang, Urſachen, Herkommen deren Tournier des Heil. Röm. Reichs.* Sed quàm tenuis, imò nulla Rüxneriani libri ſit fides, quámque venalem calamum habuerit homo parùm germanus, complures eruditi jam obſervârunt, ùt *Struvius* in libello de doctis impoſtoribus: *Iſelinus* in Lexico Baſileenſi, verbô: *Tournier*: *Gundlingius* in Hiſt. Imp. p. m. 308. §. 95. in geſtis Henrici Aucupis: *Goëbelius* T. I. Operum Conringii p. 445. lit. *b*. *Bergerus* in animadverſionibus ad Cocceii Jurisprudentiam publicam p. 171. 172. ad caput XII. §. 2. & 3. item p. 476. 477. ad Caput XXXIII §. 15. 16. maximè verò *Pfeffingerus* in Vitriario Illuſtrato T. I p. 490. 491. Et ante hos omnes *Brunnerus* noſter in Annalibus Boicis P. II. Lib. II. §. 9. p. m. 425. 426. 427. ubi poſt refutatas equeſtrium ludorum libri ineptias tandem ſubjungit: *Illius ingentis apparatûs, tam ſpecioſæ pompæ, evocatæ ad ſpectaculum totius Germanicæ nobilitatis, tot theatralium legum nullum uſquàm apparet veſtigium. Quid? quòd certum eſt, familias, quæ in illud album relatæ ſunt, plerasque pòſt natas, aut non magìs notas tunc fuiſſe, quàm Evandri majores; ut ridiculè proinde faciant, qui argumenta nobilitatis ſuæ ex putidis his chartis colligunt, avorúmque coronas & bravia numerant, quæ illis tunc ſanè nullus agonotheta dedit, ſed recentiorum ſcriptorum aſſentatio liberali mendacio congeſſit.* Nimirùm, ùt ait *Bergerus* l. c. p. 477. *is ſeculi mos eſt, ut nil conſiſtere poſſe putent, niſi quod aut à Caroli M. aut Henrici I. & Othonum ævo* (imò & ab Equo Trojano) *repetatur; ubi non genuinos Scriptores conſulunt, ſed compilationes quasdam, quarum auctor & alia ignorantur. Ac ea ſemper hominum malitia fuit, ut plures fabulas excogitârint, decipiendi alios gratiâ, quæ dein veritate ſubniti fuerunt exiſtimatæ.* Profectò ad Genealogicæ rei Hiſtoriam ſoli ſcriptores ſynchroni, Diplomata authentica, tabularia incorrupta, idonei temporum ac locorum characteres, ipſa denique ſtyli ratio, in conſilium ſunt accerſenda; ſecus qui fecerit, fallat aut fallatur oportet.

SAGIT-

S.

SAGITTARIUS Caſparus, Hiſtorices in Academia Jenenſi profeſſor Acatholicus, poſt plurima, quæ Menkenius & Iſelinus in Lexicis enumerant, ſcripta hiſtorica à ſe publicata, obiit Anno 1694. Ex iis unicam duntaxat lucubrationem hìc nomino, ſcilicet *Hiſtoriam S. Norberti, Archiepiſcopi Magdeburgenſis*, quam Anno 1683 in eadem Academia Jenenſi Sagittarius Præſes publico Examini ſeu Diſputationi ſubjecit, majore forſitan ſpectantium plauſu, quàm Operis merito. Quàm enim temerè in hac hiſtoria ſua venerandæ antiquitatis & nominis Scriptores deſeruerit atque reſpuerit: quàm frivolè ipſe novitios junioréſve teſtes præ coævis ſibi duces ſelegerit: quàm denique audacter, & ſine judicio atque rubore, non pauca, quantumvis ſynchronorum oculatorúmve Virorum teſtimoniis munitiſſima, ipſe pro fabulis exſibilârit atque expunxerit, non modò affatim explicat, ſed & hunc erraticum in hiſtoria Argum de præpoſtera ſua criticandi licentia doctè perſpicuéque coarguit *Janningus* noſter in Actis SS. T. VI. Junii à p. 34. ad p. 37. in ſupplemento ad Acta S. Norberti.

SARPI. SARPI Paulus, Scriptor Venetus atque *Schiſmaticus* (prout à Spondano vocatur T. III Contin. Annal. Baron. ad A. 1545. n. 12.) fictitium *Petri Soavis Polani* nomen aſſumpſit, & ſub hoc nominis tegumento Concilii Tridentini Acta congeſſit, quæ ſuperiore ſeculo Londini in Anglia Italicè fuêre vulgata per infelicem illum Marcum Antonium de Dominis, ex Archiepiſcopo Spalatenſi in Dalmatia factum Apoſtatam in Anglia, rursúmque ex ſimulato pœnitente ac Romam reduce poſt palinodiam relapſum in hæreſin & in perfidia mortuum, ac poſt mortem publicè combuſtum. Eadem verò Acta ibidem, ſive in Anglia, etiam latinitate poſthæc fuêre donata atque typis excuſa; ut ex his intelligas, quæ fides iisdem Actis habenda ſit, quæ ab iſtiusmodi hominibus in lucem prodiêrint. Vid. *Spondanus* l. c. qui n. 13. hæc ſubdit: *Quæ toto primo libro ſuo Polanus habet de rebus ad celebrationem Concilii præparatoriis, itineribus, legationibus, conſiliis, ea de cauſa habitis: excepit is maximam partem ex SLEIDANO* (hæretico *Sacramentario*, prout à Spondano compellatur n. 12.) *atque eadem, quâ ille mente, ſed longè rectiori & ad pietatem præferendam cautiori: quemadmodum & in ſequentibus præſtitit, quoad Sleidanus ſuos produxit Commentarios. Deinceps verò PAULUM VERGERIUM habuit; qui poſtquam à fide apoſtatavit, ſingula Concilii geſta aucupans, ea concionum ſuarum ſubjectum faciebat, Epiſcoporum & Theologorum inter ſe de rebus propoſitis contentiones diligenter colligens; ut erant plures*

Tri-

Tridenti, qui in iis divulgandis delectabantur: eásque ille, quantum poterat, non ſolùm verbis, ſed etiam litteris ad alios miniſtros Proteſtantes ſcriptis, libellisque typis editis promulgabat, Actis Concilii omnibus detrahens; quamvis & alia quoque Polanus, quæ ab aliis ſive typis excuſa, ſive calamo exarata monumenta emanâſſent in publicum, etiámque ſchedas ſcriptorum à Prælatis ac ceteris, qui Concilio interfuiſſent, nec non Epiſtolas inde exaratas ab iis, qui res tractâſſent, diligenti ad hæc adipiſcenda adhibitâ operâ, ſe vidiſſe jactet: quarum & nos bonam partem volutâſſe profiteri poſſimus. Hucuſque Spondanus, qui dein ad A. 1546. n. 3. Polani calumniam in Archiepiſcopos Armacanum & Upſalenſem, tanquam Epiſcopos *partatiles*, jactam atque ex Sleidani lib. 17. depromptam refutat.

Hanc porro Sarpii Pſeudo-Hiſtoriam ex inſtituto oppugnârunt, & plurimorum, quà errorum, quà mendaciorum & putidiſſimarum cavillationum convicerunt tam *Sforti⁊ Pallavicinus* in veriore Hiſtoria Concilii Trid. quàm *Scipio Henricus* in Cenſura Theologica & Hiſtorica adverſus Soavis Polani Pſeudo-Hiſtoriam, edita Dilingæ A. 1654. in qua demonſtratur, quòd tota Soavis Hiſtoria continuum propè mendacium ſit aut Hiſtoricum aut Theologicum. Item vid. *Nat. Alex.* T. VIII Hiſt. Eccl. per totam Diſſertationem XII. de Concilio Tridentino; *P. Schwarz* P. III Colleg. Hiſtor. Unde aut extremæ pariter maledicentiæ, aut ſummæ in Theologicis hiſtoricisque inſcitiæ & cœcitatis, imò utriusque hujus vitii aſpergine largiter inquinatum ſe prodidit Conringius, dum Tomo II Operum p. 272. Pallavicini laborem etiam *ſtultitiæ* arguere, Tomo verò VI. p. 609 complura aut pleraque Sarpii errata nonniſi inter minutias & leviſſimi momenti ſphalmata connumerare non formidavit. Ita ſcilicet lippientibus heterodoxis trabs, etiam procera, levis feſtuca videtur.

SAXO GRAMMATICUS, ex Sialandia oriundus, & Roſchildenſis in Dania Eccleſiæ Præpoſitus, in gratiam Abſalonis Archiepiſcopi Lundenſis, ſtudiorum ſuorum impulſoris, Hiſtoriam Danicam ſcripſit, quam in XVI. libros diſtinctam ad ſua tempora perduxit, & in homagio, Canuto VI Daniæ Regi à Bugislavo Pomeraniæ Duce præſtito, abſolvit. Edita illa eſt Francofordiæ Anno 1576, notîs verò illuſtratam & vindiciis auctam Soræ recudit *Stephanius* Hiſtoriographus Anno 1644. Nec enim defuêre, qui Saxonis Hiſtoriam ob non pauca immiſta fabuloſa modico admodum loco habendam ſtatuerent; unde pro Saxone Stephanius ſcripſit. Etiam *Heuſchenius* noſter T. I. Febr. p. 398. §. VII n. 31. in Com. præv. ad Acta S. Anſcharii, eam Saxonis lucubrationem ob redundantium fabularum copiam non immeritò à Gerardo Voſſio l. 2. de Hiſtoricis latinis c. 55. perſtringi exiſtimavit.

SAXO GRAMMATICUS.

Eaſdem in Saxone fabulas jam antea reprehenderat *Scaliger* lib. de Emendatione temporum. Attamen tantus fabulator hic Saxo non eſt, quantus nonnullis videtur, ùt ex ipſius Voſſii loco cit advertit *Natalis Alex.* T. VII Hiſt. Eccl. Cap. IV de Scriptoribus Seculi XIII p. 134. col. 2.

Et Joannes quidem *Magnus*, Archiepiſcopus Upſalenſis, Olai Magni Germanus & in Archiepiſcopatu Prædeceſſor (qui juxta Bollandum T. I. Januarii p. 392. n. 12. diem extremum clauſit Romæ A. 1544.) in ſua Hiſtoria Gothorum Sueonúmque varios Saxonis lapſus hiſtoricos notat atque refutat. Sic *primò* lib. 4. c. 27 refellit ridiculam Saxonis aſſertionem, quâ Frothoni, Daniæ Regi, centum ſeptuaginta Reges fuiſſe ſubjectos, ejusdemque Frothonis imperium à Ruſsia uſque ad utramque Rheni fluminis ripam extenſum fuiſſe commemorat. *Secundò*: eundem Saxonem tum in ſupputatione Chronica circa Longobardiæ Reges vehementiſſimè lapſum, tum & mutilas tradidiſſe hiſtorias, unà cum Alberto Kranzio idem Magnus queritur & probat lib. 8. C. 18. 19. 20. & 27. nam locò triginta duorum Regum, qui Longobardis ab eorum ex Scandiana Inſula exitu uſque ad poſtremum Regem Deſiderium per 400. & ampliùs annos præfuiſſe noſcuntur, ipſe Saxo per tot ſecula tres ſolummodò Reges, Biornem, Haraldum, & Gormonem aſſignat. *Tertiò*: etiam impoſturæ & apertæ falſitatis adverſus Sueones arguitur Saxo à Joanne lib. XVII c. 1. quòd ille in ſua Hiſtoria Danica ſcripſerit, ad expiandam Refonis (vulpecula dicti) necem, ingentem auri mulctam Sueonibus à Danis fuiſſe impoſitam, & ſub id ipſum temporis (ſeu Caroli M. ætate) Sueciam à Danis omnino fuiſſe ſubactam.

Neutiquam tamen hæc Eruditorum judicia obfuêre, quin & ab *Olao Magno*, Upſalenſi pariter Archi-Præſule, & Joannis Magni fratre ac ſucceſſore (in *Hiſt. de Gentium Septentrionalium variis conditionibus ſtatibúsque &c.* lib. 2. c. 24. p. m. 74. & lib. 7. c. 21. p. m. 235.) *Saxo Grammaticus*, *Danorum inſignis hiſtoricus*, item: *Danorum egregius Scriptor*: & à *Pagio* T. IV. Criticæ ad A. 1186. n. 15. *Saxo optimus Hiſtoricus*: *Opus* verò illius *nobiliſſimum* ſit compellatum. Imò ipſe quoque Joannes Magnus, ùtùt aliàs Saxoni contrarius, perinde tamen, atque Kranzius & poſtea Meurſius, in rebus merè Danicis Saxonem paſſim ſequitur, & inſuper *à docto diſertóque ingenio* eundem dilaudat, quô plura carmina patria in latinum convertit eloquium. Et ſanè non ſola Saxonis ſoluta dictio *terſa & elegans eſt*, ùt ait Natalis Alex, l. c. ſed & illuſtrem Poetam, atque tum priſcis tum recentioribus parem fuiſſe Saxonem, ea carmina probant, quæ per Hiſtoriæ ſuæ decurſum, ve-

luti

luti condimenti locò, inſperſit, & quorum aliqua idem Joannes Magnus l. 2. c. 21. p. m. 105. de duobus Athletis Danicis, Hialtho atque Biarcho, libro verò V. c. 9. 10. 11. 12. à p. m. 204. ad 211. de geſtis Starchateri, celeberrimi inter Suecos Pugilis atque Gigantis, in ſuam quoque Hiſtoriam Gothicam transferre non dubitavit.

Neque, ſi unius dictionis hiſtoricæ ſtylum atque nitorem conſideres, à vero aberravit Eraſmi Roterodami cenſura, quam ille in ſuo Dialogo Ciceroniano de hoc *Saxone* tulit, Editor verò Francofordienſis etiam Saxonis Editioni præfixit. *In Daniam*, inquit Eraſmus, *navigare malo, quæ nobis dedit Saxonem Grammaticum, qui ſuæ gentis hiſtoriam ſplendidè magnificéque contexuit. Probo vividum & ardens ingenium, orationem nunquam remiſſam aut dormitantem: tum miram verborum copiam, ſententias crebras, & figurarum admirabilem varietatem: ut ſatis admirari non queam, unde illa ætate homini Dano tanta vis eloquendi.* Idem Eraſmi judicium probat *Graveſonius* P. I. Hiſt. Eccl. T. IV. Colloq. V. p. m. 244. His addi merentur, quæ *Sollerius* noſter T. III Julii p. 124. in Comment. præv. ad Acta S. Canuti R. & M. §. 3. n. 31. de Saxonis Hiſtoria hiſce verbis pronuntiavit: *Sanè præſtantiſſima ſunt, quæ Saxo, literatiſſimus ſui temporis hiſtoricus, verè, graviter, & nitidè de Sancto Rege Canuto tradidit libro XI. ex quo ſua acceperunt, qui deinde ſecuti ſunt rerum Danicarum & Suecicarum Scriptores, quos inter etiam Joannes Magnus paucis multa contrahit lib. 18. cap. 12. & 13. Fugio hic referre, quàm varia fuerint de Saxone iſto Grammatico judicia, ad rem noſtram nil facientia: id certiſſimum eſt, eam à nemine ei laudem præripi, quòd ſtylo eleganti, florido, & terſo* AD SECULI SUI MIRACULUM *hiſtoriam contexuerit, eruditiſſimis quibusque id teſtantibus apud Stephanium, qui ipſam recognovit, notis illuſtravit & edidit* (Soræ) *Anno* 1644., *in Prolegomenis à cap. 16. p. 24. Saxo-maſtiges ibidem operosè & egregiè refellens. Quæ de priſcis Daniæ Regibus & Populis collegit, hic expendenda non ſunt; in iis certè, quæ ejus ætati propinqua fuerunt, nemo tanti Scriptoris fidem in dubium revocaverit. Vixit autem & floruit Seculo XII., mortuus veroſimiliter Anno* 1202. *aut* 1204., *ut vide apud laudatum Stephanium cap. 15. Fuiſſe Roſchildenſem Canonicum & Præpoſitum, ibidémque ſepultum, indubitata eſt omnium ſententia.* Rectè tamen, non modò Pagius l. ſuprà cit. ſed & idem Sollerius p. 125. §. IV. n. 36. obſervârunt, *dolendum inprimis, Saxonem Grammaticum, Scriptorem altàs optimum ac diligentiſſimum, minorem quàm par erat deſignandorum temporum rationem habuiſſe, ut difficillimum ſit, annorum ſeriem* (etiam in rebus, ævo ſuo vicinioribus, ùt in hiſtoria S. Canuti) *ex ipſo diſtinguere.* Vid. etiam *Spondanus* ad A. 1201. n. 4.

SCHARDIUS. SCHARDIUS Simon, patriâ Saxo, Ducis primùm Bipontini Conſiliarius, dein Cameræ Spirenſis Aſſeſſor, varia Opera partim ipſe conſcripſit, partim aliunde collegit, collectáque cum ſcholiis ſuis publicavit. Inter hæc ſunt 1. ò *Lexicon Juridicum.* 2. *Scriptores Veteres Rerum German*: editi *Francofordiæ* A. 1566. ſcilicet, *Joannes Turpinus* (vel potiùs Pſeudo-Turpinus fabulator) de geſtis Caroli M.: *Chronica Reginonis*, *Sigeberti*, & *Roberti de Monte*: *Hiſtoria Lamberti Schaffnaburgenſis.* 3. Opus Hiſtoricum in IV. Tomos diviſum, & primò excuſum *Baſileæ* A. 1574. recuſum *Gieſſæ* Haſſorum A. 1673. Complectitur illud tum de antiquioris tum de junioris hodiernæque Germaniæ rebus Scriptores recentiores. 4. *Hiſtoria Theodorici Niemi de Schiſmate*, quarto inſuper libro ſub ejusdem Niemi Schemate per Schardium aucta: *Baſileæ* A. 1566. 5. Liber ſat amplus in Folio, *de Jurisdictione*, *Auctoritate*, & *præeminentia Imperiali* & *poteſtate Eccleſiaſtica*, ex variis (inter quos etiam is ipſe prætenſus Niemus *de Privilegiis* & *Juribus Imperii circa inveſtituras Epiſcopatuum* & *Abbatiarum à Papis reſtituta Imperatoribus Romanis*) Scriptoribus conflatus: *Baſileæ* A. 1566. 6. *Epiſtolæ Petri de Vineis*, per eundem Schardium productæ, Baſileæ A. 1566. 7. *Hypomnema de Fide*, *obſervantia ac benevolentia Pontificum Romanorum erga Imp. Germanicos*: Baſileæ eodem anno &c.

Quantum verò, quámque Calvinianum in Romanos Pontifices odium in hiſce lucubrationibus & collectionibus ſuis præſetulerit Schardius, tam in Reginonis Chronico, quàm in Niemi maximè Hiſtoria alibi jam declaravimus. Et vel ſolæ Præfationes aut Epiſtolæ nuncupatoriæ (quas vulgò jactitatis Niemi Operibus: libro Joannis Marii: Volumini de Jurisdictione & Authoritate Imperii: Epiſtolis Petri de Vineis: ironico denique hypomnemati de Fide & benevolentia Pontificum Romanorum: pro heterodoxa ſua facundia ſolertiſſimè præfigere Schardius non prætermiſit) de peſtilente adverſus Pontifices œſtro, ſcribentíſque furore, luce clarius teſtimonium ferunt. Ipſum verò Hypomnema quid juxta Gretſerum aliud eſt quàm *mendaciorum ſentina*, utpote in quo *fabulæ Mileſiæ*: *fabula*, *quâ non fabuloſior in toto AEſopo*: *commentum impudens*, *in Schardii* & *Balæi cerebro effictum*, *tanquam duorum Notariorum in Curia impudentiæ* & *mendaciloquentiæ immatriculatorum.* Neque hujuſcemodi dicta temerè effutiit Gretſerus, ſed veriſſima demonſtravit in iis, quæ de Pontificum adverſus Fridericum I. & II. inſidiis aut cum Iconii Soldano atque Manfredo in eorundem Cæſarum necem colluſione Schardianum Hypom-

pomnema mentitur atque calumniatur. Vid. *Oretf.* in *Baſilico Doro* ſive *Commentario exegetico* Cap. V. T. VII. Operum p. 40. 41.

Accedit, quòd in toto hoc Hypomnemate (quod à Caroli M. temporibus uſque ad Maximilianum II. deducitur) nullos alios ſuarum aſſertionum aut figmentorum teſtes adducere ſoleat Schardius, quàm Schiſmaticos, hetetodoxos, de hæreſi ſuſpectos, adulteratos, aut herî natos Scriptores; quales ſunt incognitus & effrontiſſimus *Benno* Pſeudo-Cardinalis: depravatus *Conradus* Urſpergenſis: perſonatus aut interpolatus *Theodoricus Niemus*: corrupti poſt ſua fata *Nauclerus* & *Cuſpinianus*: audax *Platina*: fabulator *Aventinus*: recentiores *Pandulphus Collenutius* & *Hulderieus Mutius*: *Vita Friderici II.* germanicè conſuta: mendaciorum Pater *Sleidanus*: fictitius *Eleutheroſtomus*, ſive Germanus quispiam Poëta tenebrio: *Illyrici Catalogus Teſtium Veritatis*, aut verius *Feritatis* &c. Unde Schardius vel enormem in antiquis, contemporaneis, probatioribúsque Scriptoribus inſcitiam, vel inveteratum malignantis animi calamique rancorem erudito Lectori apertiſſimum fecit. Ipſe demum Hypomnematis Epilogus, quô Maximiliani II. geſta clauduntur, Schardium plusquàm ferino in Pontificem fellis tumentem, furiásque latrantem teſtatur: prout legentibus indubium fiet.

Quid jam dicam de ferociſſima illa impudentiſſimáque Appendice, quam eidem Hypomnemati ſuo (ovum ſcilicet ovo, ſimillimum) Schardius mox annexuit, ſub hoc titulo: *Teſtimonia ex Variis Auctoribus collecta, Romam* (non veterem modò & Ethnicam, ſed & recentiorem, ſeu Chriſti Sacris jam initiatam) *Babylonem eſſe* (magnam nempe illam Meretricem Apocalypticam) *ejúsque Epiſcopum jure Anti-Chriſtum dici?* Tacebo jam reliqua, quæ hìc Schardius ridenda potiùs miſerandáve quàm confutanda garrulitate in ſuæ magis ineptiæ quàm Pontificis opprobrium congeſſit. Unum unicum S. Birgittæ (quam jam Anno Chriſti 518. obiiſſe, imperitiſſimus hic Pſeudo-Criticus ſcribit, etſi Anno primùm 1373. ad ſuperos illa migrârit) teſtimonium hìc in medium profero: unde Schardius Andabata Anti-Chriſtum ex Romano Pontifice ſe extundere poſſe ſomniaverat.

Legitur enim lib. 1. Revelationum c. 41. de Romano Epiſcopo: *Tu pejor es Lucifero &c. Tu es injuſtior Pilato &c. Tu es immitior Juda &c. Tu es abominabilior Judæis &c.* Aſt *primò*: quisquis ſani capitis totam revelationis ſeriem atque contextum pervolverit, mox agnoſcet, non de Pontificibus univerſim (id quod heterodoxus calumniator intendit) ſed de Pontifice *particulari*: non de dignitate & au-

ctoritate Pontificis, ſed de *moribus perſonæ*: non de errore dogmatis & fidei, ſed de *errore converſationis* hìc agi. Additur enim: *per mala opera tua*: per *malum exemplum tuum*: *per turpe lucrum tuum*: *per malitiam tuam . . . Secundò*: Unde Pontificem laceſſit Schardius inde ſe ipſum jugulat. Nam in ejusdem revelationis initio ita Chriſtus eloquitur: *Nunc ergò conqueror ſuper Te Caput Eccleſiæ* MEÆ, *qui ſedes in Sede* MEA: *quam Petro* & SUCCESSORIBUS EJUS *tradidi, ad ſedendum in ea* TRIPLICI DIGNITATE ET AUCTORITATE. *Primò: ut poteſtatem haberent ligandi animas & ſolvendi à peccato. Secundò: ut aperirent Cœlum pœnitentibus. Tertio: ut clauderent Cœlum maledictis & condemnatis. Sed Tu, qui deberes ſolvere animas & ad me præſentare: tu verè es animarum interfector;* ſcilicet, ùt poſtea ſubjicitur & explicatur, *per malum exemplum tuum, per mala opera tua*, utique perſonalia. Numquid autem Pontifex Romanus, tanquam Succeſſor Petri, tanquam Caput Eccleſiæ Chriſti, ſedens in Sede Chriſti, triplici dignitate auctoritatéque (heterodoxis adeò inviſa) ornatus, hiſce verbis exprimitur? num forſan & Anti-Chriſtus, *Succeſſor Petri, Succeſſor in Sede ſua, Caput Eccleſiæ ſuæ*, Animarum denique Rector triplici ligandi ſolvendíque poteſtate inſtructus, ab ipſomet Chriſto unquam dicetur & agnoſcetur? Nemo ſanè, niſi demens aut blasphemus, *ita* inſeptiet. Ut quid ergo in Pontificem quà Pontificem ita Schardius grunnit, & dum per Birgittæ revelationes latus Pontificium petit, ipſus ſeſe maximè lædit, & cum Titio ſuum ſibi jecur arrodit? *Tertiò*: ſi laudatæ revelationes, heterodoxis aliàs exoſæ, quidpiam apud Schardium & Schardii ſimiles adverſùs Catholicos valent: quid nî & illa poterat legi, quâ lib. 3. c. 27. à Deipara dicitur: *inter iſtos duos, Petrum ſcilicet & Cœleſtinum* (V) *non omnes fuerunt boni, ſicut nec omnes mali.* Et: à tempore Petri usque ad Bonifacium VIII. ex Civitate Romana *innumerabiles animæ aſcenderunt in cœlum. Adhuc tamen Roma non eſt ſine amicis DEI.* Et tamen juxta Schardium & Schardii complices Roma, & Eccleſia Romana, Babylon eſt, meretrix illa magna, quisque verò Pontifex malus, quia quilibet Anti-Chriſtus!

Dein quid ad exſufflandam Schardii proterviam ac ſycophantiam luculentius eſſe poterit, quàm illa Divini Servatoris allocutio, quæ ibidem refertur lib. 7. c. 19. p. m. 558. Edit. Antverp. atque ita habet? *Iſta ſuprà dicta verba* (de æterni ſupplicii minis) *loquor ego ad illos Chriſtianos Latinos obedientiæ Romanæ Eccleſiæ ſubjectos, qui mihi in Baptiſmo rectam fidem Romanam Catholicam devoverunt; & per opera mihi contraria à me totaliter receſſerunt. Græci autem, qui ſciunt, quòd omnes Chriſtianos tenere oportet unam tantùm fidem Chriſtianam Catholicam, & nul-*

ta-

tantummodo ſubeſſe Eccleſiæ, ſcilicet Romanæ, unímque ſolum Vicarium meum generalem in mundo, videlicet Romanum ſummum Pontificem, ſupra ſe ſpiritualem habere Paſtorem, & tamen nolunt ſe eidem Eccleſiæ Romanæ & Vicario meo ſpiritualiter ſubijcere, & humiliter ſubjugare propter eorum pertinacem ſuperbiam, & propter cupiditatem vel propter carnis petulantiam, ſive propter aliquod aliud, quod ad mundum pertinet, indigni ſunt poſt mortem veniam à me, & miſericordiam obtinere . . . . Sciant etiam Græci, quòd eorum imperium & regna, ſive dominia, nunquam ſtabunt ſecura, neque in pace tranquilla, ſed inimicis ſuis ſemper ſubjecti erunt, à quibus ſemper ſuſtinebunt graviſſima damna & miſerias diuturnas, donec ipſi cum vera humilitate & charitate, Eccleſiæ & Fidei Romanæ ſe devotè ſubjecerint, ejusdem Eccleſiæ ſacris Conſtitutionibus & ritibus ſe totaliter conformando. An adhuc Roma Babylon meretricia, Eccleſia verò idololatrica, Pontifex Anti-Chriſtus? Scilicet Meretrici idololatricæ, ſcilicet Anti-Chriſto parendum Chriſtus hìc imperavit! Papæ! Quàm multò rectiùs egiſſet Schardius, ſi ſub Græcorum ſchemate ſuos quoque Calvinicolas aut Heroës Proteſtanticos vivîs ſanè coloribus depictos hìc cognoviſſet! Sed nempe odit lucem, qui amat tenebras; maluítque Schardius pro eo, ut ſuos ſuorúmque commilitonum palparet errores, hypomnematis appendicem alio quopiam prophetico, ſi ſuperis placet, apologo & Epilogo exornare, jactitato ſcilicet vaticinio Joannis de *Rupeſciſſa*: quô Pontifex ſummíque Eccleſiæ Principes vellicantur. Aſt de his Pſeudo-Prophetæ Phantaſmatis & fatis præter alios lege ſis *Nat. Alex.* T. VII. Hiſt. Eccl. p. 54. col. 2. de Pontificatu Innoc. VI.

Itaque paucîs: Totum Hypomnema Schardianum aliud non eſt, quàm meriſſimum inſcitiæ ſeu veræ ſeu affectatæ compendium, & inſanientis animi ſputamentum. Quanquam & iſta ſimeta ſuos adhuc habent adoratores; illos videlicet, qui & ipſi ſua thura Deæ Calumniæ litant, atque in Romam Romanúmque Pontificem multò crebriùs ſua fulmina vibrant, quàm in Tarpejas Jupiter Arces.

SCHOTTUS Andreas, Scriptor nuperus, Gedani ſive Dantiſci A. 1738. opuſculum protulit, *Pruſſia Chriſtiana* dictum: in quo vitam S. Adalberti, Epiſcopi Pragenſis, copioſis quidem annotationibus auxit, at non modò Baptiſmum S. Stephani Regis, ſed & prædicationem apud Hungaros obitam, S. Adalberto (veluti qui nunquam Hungariam viderit) audacter abjudicavit. Verùm leviuſculis Annotatoris hujus conjecturis abunde ſatisfecit & omne imaginarium robur ademit Stiltingus T. I. Sept. in Comm. præv. ad Acta S. Stephani p. 485. §. XI. à n. 117. ad n. 122., & à p. 489. per totum §. XIII. SCHOTTUS

SCHWARTZ

SCHWARTZ

SCHWARTZ Godofredus, recentiſſimus Author heterodoxus, Anno 1740. Hallæ Saxonicæ lucubratiunculam edidit, cum hac inſcriptione: *Initia Religionis Chriſtianæ inter Hungaros, Eccleſiæ Orientali aſſerta.* Nimirum hic Scriptor (ùt ait Stiltingus T. I. Sept. l. c. p. 456. n. 1.) cùm gloriam converſæ Hungariæ Latinis ereptam vellet, omnem movit lapidem, ut veriſimile faceret, Hungaros primò ad fidem adductos eſſe à Græcis; cúmque vita S. Stephani Regis cum illo aſſerto cohærere non poſſet, omnem auctoritatem prædictæ vitæ ablatam voluit. Aſt triumphum ſanè ante victoriam cecinit infelix criticus, cùm ſuæ potiùs arrogantiæ, quàm legitimis argumentis confiſus, non ſolùm Chartuitium ſed & alios purioris notæ ſcriptores frivolè reſpuit, & pro ſuo potiùs (quod admodum tenue) judicio lubitúque, quàm ex debito rationum examine, non pauca in chartam conjecit. Veriſſimè de illo idem Stiltingus l. c. p. 461. n. 21. „ Laudandum ſanè eſſet ſcriptoris inſtitutum, ſi ſolo „ veri ſtudio duceretur Schwartzius: ſi modeſtè alios corrigere niteretur, & ſua ſolidè probare. Imò meâ quidem ſententiâ, Opuſculum ejus utiliſſimum eſſet, ſi tot veritates è tenebris eruiſſet, quot errores illi immiſcuit: nam difficulter pagellas aliquot reperire in toto Opuſculo poſſum, quæ erroribus careant, aut certè ineptis ratiociniis. Verùm nec ſtudium veritatis, nec *modeſtiam* ullam in toto Opuſculo invenio, nec novæ veritatis quidquam erutum, ſed multa temerè aſſerta, nihil ſolidè probatum, niſi pauca quædam ex aliis ſcriptoribus deſumpta. Ejusdem Schwartzii *petulantem acerbitatem* perſtringit Stiltingus p. 458. n. 9. nam Schwartzius, *ut bile ſaltem ſuppleret, quod rationibus deerat, vix idonea reperit verba, quibus ſuum in hanc vitam* (S. Stephani, à Carthuitio ſcriptam) *odium ſatis declararet; etſi hæc ſcribendi methodus paſſim improbetur hoc tempore.* Rurſus pag. 457. n. 3. juxta Stiltingum, *rationes ſuas expoſuit Schwartzius ſtylo longè acerbiori, quàm ſolidiori, pluráque peccat contra rectam rationem in oppugnando Chartuitio, quàm hic videatur peccâſſe in ſcribenda vita. Vidit ille hallucinationes, monſtra, abſurda, ubi nihil hallucinationis, nihil monſtri, nihil abſurdi.* Et pag. 472. n. 63. *nulli viro cordato placebit, quòd Schwartzius non hìc modò, ſed ubique in opuſculo ſuo, ſcriptores ſibi faventes ſupra meritum attollat, adverſantes verò infra meritum deprimat.*

Plura de hoc Schwartzio apùd Stiltingum occurrunt §. x. à p. 483., ubi de gemina viſione, S. Stephani Parentibus facta, fit mentio. Ob has enim viſiones *Scriptores Catholicos* (qui easdem ùt genuinas admisêre) *maledica dicacitate carpit* Schwartzius, *& multa temerè*

merè effutit, licèt nullum habeat fundamentum, niſi craſſo errore nixum. Unde illum *non modò inauditæ arrogantiæ ſed & ſtolidæ temeritatis reum* agit Stiltingus; nam *ne curam quidem habuit* Vir heterodoxus, *ut cautè calumniaretur.* Vid. pag. 485. n. 114.

Alias Schwartzii objectiunculas futiliſſimas & ratiocinationes miſerrimas (quibûs Hungarici Regni coronam non à Romano Pontifice, ſed à Græcorum Imperatore fuiſſe collatam, ipſum verò Regnum nullatenus Divo Petro à Rege Stephano fuiſſe oblatum contendit) ita copiosè, eruditè, ſolidéque refellit Stiltingus l. c. §. XX. XXI. XXII. XXIII. à pag. 507. ad 521., ut inepta, temeraria, imò & *monſtroſa* (vid. n. 256.) Schwartzii effata quivis eruditus non exſibilare non poſſit.

SGUROPULUS Sylveſter, Scriptor Græculus ſeu verus ſeu fictus, Concilii Florentini Hiſtoriam conſcribillavit (ſi Editoribus Batavis Anglísque fidendum) quæ Anno 1660. Hagæ Comitum in Hollandia è typis heterodoxis primùm emerſit, atque ita inſcribitur: *Vera Hiſtoria Unionis non veræ inter Græcos & Latinos: ſive Concilii Florentini exactiſſima narratio, Græcè ſcripta per Sylveſtrum Sguropulum, Magnum Eccleſiarcham, atque unum è quinque crucigeris & intimis conſiliariis Patriarchæ CPolitani, qui Concilio interfuit. Tranſtulit in ſermonem latinum, notásque ad calcem libri adjecit Sereniſſimi invictiſſimique Caroli II. Magnæ Britanniæ & Hiberniæ Regis &c. Sacellanus domeſticus, ſeu Ordinarius, Robertus Creigthon. &c.* Sed quæ fides (inquit *Labbeus* T. XIII. Concil. col. 1280., & ex Labbeo *Harduinus* T. IX. Concil. col. 1079. 1080. item *Cuperus* T. I. Aug. in Hiſt. Chronolog. Patriarch. CP. p. 187. n. 1124. 1125. 1126.) huic inſcriptioni habenda ſit, quámque titulus hic magnificè mentiatur, cùm alia multa declarant, tum illius Operis Auctor atque interpres. Quis enim ille ſit *verè Sylveſter ac barbarus Sguropulus*, ſi temporum teſtem hiſtoriam, ſi coætaneos poſteriorésque Scriptores interroges, homo nihili, ignotus, ignobilis, qui unus ſibi teſtimonium dixit, illúdque mendaciſſimum: neglectus hactenus ab eruditis, ſchiſmaticus, hæreticus, ac nationis ſuæ, quæ Catholicam Fidem cum Imperatore, Patriarcha, Epiſcopis ac Principibus, doctiſſimísque Viris ſuſceperat, hoſtis infenſiſſimus, illico deprehendetur. Neque alia ejusdem debet eſſe apud cordatos homines ratio, quàm Arrii aut Philoſtorgii de Nicæno, Neſtorii de Epheſino, Eutychetis aut Dioſcori de Chalcedonenſi, Hieronymi Pragenſis de Conſtantienſi, Albigenſium de Lateranenſibus Conciliis diſſerentium. Quis enim ignorare poteſt, quid in Judices, quid in adverſarios, quid in ipſos quoque interdum Patronos,

SGUROPULUS.

advocatósque ſuos deblaterent, quæ crimina obijciant, quas calumnias texant, qui causâ ceciderunt rei? Tales plerique Græculi, qui Marco Epheſino Antiſtiti ac ſimilis farinæ contumacibus ſchiſmaticis, quàm apertiſſimæ veritati ac Catholicæ fidei adhærere maluerunt. . . Ad interpretem Creigthonum venio, cujus effrenis in Eccleſiam Catholicam, ex qua cum Majoribus ſuis deſertor profugit, atque efferata rabies ex hoc ipſo titulo libri, quem falsò dicit, è veritatem amantium manibus nunquam deponendum, ex dedicatione, præfatione, ac notis manifeſtiſſimè eluceſcit, quas ſpurciſſimis in Romanos Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, ceteróſque Clericos ac laicos, qui interfuerunt quíque ſecuti ſunt, calumniis uſque ad nauſeam tœdiúmque lectorum referſit. Quódque mirêre magis, ipſam quoque verſionem ab hac hæretica lue in Papam efferveſcente noluit eſſe immunem. *Hucuſque Labbeus*: qui dein verſionis Creigthonianæ perfidiam uno alteróve exemplo, breviter quidem, at indubitanter, l. c. demonſtrat; id quod uberiùs tum Leo Allatius in celeberrimis ſuis adverſus Creigthoni Prolegomena exercitationibus, in forma quarta Romæ editis, tum alii poſtmodum præſtitêre.

Enimverò (ùt rectè arguit *Cuperus* l. c. p. 185. n. 1115.) quæ fides adhibenda eſt perfido huic Sguropulo, qui in Hiſtoria ſua *Sect.* x. cap. VII. fatetur, ſe Florentiæ contra apertum conſcientiæ ſuæ dictamen Unioni ſubſcripſiſſe? quis eruditus credat Scriptori ſchiſmatico, qui ne quidem apud incautos & ſimplices fidem meretur? Certè Caſimirus Oudinus, efferatus fidei Catholicæ apoſtata, & teſtis in hac re minimè ſuſpectus, in Commentario de Scriptoribus Eccleſ. Tomo III. col. 2418. de illo ſic pronunciat: *Hic abunde ſuam teſtatur ab Eccleſia Latina averſionem in Hiſtoria Concilii Florentini, qui ſi tantiſper ab ira temperáſſet, Hiſtoriam ſuam apud incautos ac ſimpliciter ambulantes longè majori fide dignam effeciſſet.* Ita ex Oudino Cuperus: qui tam Sguropuli quàm Creigthoni calumnias quasdam atque mendacia refutat p. 185. n. 1115. p. 187. parergo x. p. 190. n. 1143. & à n. 1145. ad n. 1150. Eſto, quòd eundem Sguropulum, ſaltem in ſupputationibus chronicis (quæ ſcilicet ſchiſmati ſuo obeſſe nil poterant) tanquam idoneum teſtem aliquoties ipſe Cuperus admittat, v. g. n. 1114. 1139. 1142. Tam Sguropuli hiſtoria mendax, quàm ſpurca Creigthoni verſio inter claſſis nefariæ ſcripta ſcriptoréſque fuêre rejectæ ex Decreto Congr. Ind. ſub die XIV. April. 1682. *Vid. noviſſ. Index expurg.* p. m. 91. 399. 429.

SIGEBERTUS. SIGEBERTUS. Vid. lit. C. verbô: *Chronicon. Sigeberti.* p. 154.

SIGE-

SIGONIUS Carolus, Mutinensis, à scriptionum (quas Lexicographi Menkenius, Ielinus, aliique enumerant, & tum Grævius & Gronovius in Thesauro Antiquitatum Græcarum & Romanarum, tum Muratorius inter Scriptores Italicos, recentiori prelo rursum ornârunt) copiâ, eruditione, varietatéque notissimus, & de Antiquitate Historica non parùm meritus, vitæ curriculum explevit A. 1585. Ad rerum præcipuè Germanicarum notitiam duplex Sigonii lucubratio facit. I. *Historia de Regno Italiæ*, quæ libros XX. conficit. Horum priores quindecim sive ab A. 570. ad 1200. prodiêre tam Basileæ quàm Francofordiæ A. 1575. Quinque verò reliqui, sive qui ab A. 1200. ad 1286. continuantur, lucem accepêre Venetiis & Francofordiæ A. 1591. Omnes demum XX. libros uno eodémque volumine dedit typographia Hanovienſis A. 1613. II. *Historia de Imperio Occidentali*, quæ similiter XX. libris absolvitur, edita Bononiæ A. 1578. Basileæ A. 1579. Francofordiæ A. 1593. Non pauca tamen in his Sigonii Operibus criticus Lector offendet, in quibus accuratiorem rerum temporúmque notitiam jure desideret, prout sæpenumero tam ex Pagii Critica, quàm ex Antverpiensibus SSorum Actis constabit. Unde Pagius T. IV. Crit. ad A. 1085. n. 5. ait, *Sigonium multa de suo dicere solitum, & cum magna cautela legendum.* SIGONIUS.

SLEIDANUS Joannes, natione Germanus, à natali Eiffliæ oppido *Sleida* sic dictus, homo monoculus, natalibus spurius, religione apostata, Calvinistarum Livius & Historicus elegans: sed & in elegantiis mendax, Historiæ & veritatis corruptor, animam mendacissimam exhalavit A. 1556. Argentorati; qua in urbe antehac vulgaverat tum *Philippi Cominæi libros V. de Bello Neapolitano*, ex Gallico in idioma latinum à se translatos, tum proprium suum *Commentarium de Statu Religionis & Reipublicæ Germanorum sub Carolo V. Cæsare*, in XXVI. libros partitum. Qui tamen Commentarius cùm apud peritiores non paucos de multiplicis falsitatis & deceptionis vitio jure postularetur, eundem Sleidanus cum prævia Apologia Argentorati recudit A. 1555. Alius postmodum in hunc ipsum Commentarium Tabulas Chronologicas edidit, quæ post Sleidani obitum typis ibidem fuêre mandatæ A. 1557. Non vacat hìc enumerare laudes, quas in Sleidanum suum congerere assolent Acatholici, quæque legi possunt apud P. Schwartz Parte III. Colleg. Hist. p. 227. 228. Ipsa certè mendacia laudat aut imperitiam prodit, Sleidanum qui laudat. *Quàm enim mendax sit Sleidanus, quàm vanus, quàm projectè impudens in iis depravandis, quæ totus mundus aliter, ac ipse narrat, gesta esse novit, non fugit illos, qui Sleidani Commentarios commentis plenos lectitarunt; nec fu-* SLEIDANUS.

git Carolum V. Imp. qui cùm Sleidani Commentarios vel legeret, vel legi audiret, hunc plauſum dabat: MENTITUR NEBULO, MENTITUR NEBULO. Ita *Gretſerus* T. x. Operum in Apologia adverſus Miſenum Lib. 2. C. 5. p. 115. ubi ſimul copiosè atque ex ipſis legibus publicis oſtendit, quàm nulla Acatholicis tribuenda ſit fides, cùm vel contra Sedem Apoſtolicam in genere, vel contra peculiarem quendam Pontificem ſcribunt. *Joannes Baptiſta Gallus* IC. Cap. 2. in Annotationibus ad Thuani Hiſtoriam hæc de Sleidano inſeruit: *Joannes Sleidanus, Calviniſta, mendaciorum loquaciſſimus, Hiſtoriam ſcripſit Thuanicæ ſimillimum. Quin etiam cùm Cominæi Hiſtoriam donaret Latinitate, ea plagiarius impudens ſubtraxit omnia, quæ Catholicam pietatem ſapiebant. Et tamen Thuanus aut imprudens (quod vix credo) aut adfavens improbitati hominis eum vocat* diligentiſſimum rerum Gallicarum obſervatorem: & *negat à Catholica religione fuiſſe alienum, quem alieniſſimum fuiſſe omnes ſciunt; niſi fortè Catholicæ nomine Calviniſticam intelligit Thuanus.* Porro undecim falſitatum millia in Sleidani Commentariis detexiſſe ſcribitur Bartholomæus Latomus; quo quidem de numero etſi diſceptare hìc nolim, quàm plurimis tamen quà fraudibus, quà mendaciis & calumniis eam Hiſtoriam eſſe refertam, omnino exploratiſſimum eſt. Legatur è Gallis *Fontanus*, ex Germanis *Surius*, quorum alter in Commentario brevi rerum in orbe geſtarum *ab A.* 1500. ad A. 1574. veteratorias Sleidani artes & fabulamenta multoties coràm expoſuit, tantò utique fide dignior præ recentioribus Sleidani Patronis, quantò notior Surio fuit Sleidanus, quia contemporaneus. Addatur *P. Schwartz* l. c. à p. 209. ad p. 246 *Spondanus* T. III. Annal. ad A. 1517. n. 6. A. 1535. n. 11. A. 1537. n. 8 11. 14. A. 1541. n. 1. A. 1542. n. 4. A. 1543. n. 5. A. 1545. n. 7. A. 1546. n. 3 A. 1549. n. 12. A. 1552. n. 5. A. 1553. n. 9. 13. A. 1556. n. 8. *Poſſevinus* in Biblioth. Selecta de ratione Studiorum L. xvi. Cap. vi. p m. 404. *Pallavicinus* in Hiſt. Conc. Trid. T. I. in Apparatu prævio Cap. iv. n. 1. & 2. Denique *impudentiſſimis hæreticorum libris in ſua conſarcinanda hiſtoria uſum fuiſſe Sleidanum* ait *Raynaldus* T. XXI. Annalium ad A. 1549. n. 23. Quare jam de ſui temporis Catholicis *Surius* l. c. ad A. 1517. p. m. 90. non immeritò hiſce verbis conqueſtus legitur: *Mirum certè eſt, plerosque etiam Catholicos uſque adeo* SLEIDANI LECTIONE *delectari; ſed quia volumus paſſim omnia ſuſpectæ fidei hominum Scripta legere, & videmur nobis ea eſſe judicii acrimoniâ & maturitate, ut facilè de quibuslibet ſtatuere poſſimus, falſáque à veris internoſcere: ideo tam multi adeò leviter & pueriliter in fœdos errores prolabimur, quorum meritò pudere poſſit non modò graves Viros, ſed etiam*

decre-

decrepitas anus & deliros ſenes. Et tamen interim videmur nobis in luce Evangelii verſari, plus videre, quàm viderint Majores noſtri, à quorum nos gravitate, integritate, prudentia, conſtantia, longiſſimè diſtamus, & plerumque temulentæ mulierculæ & ex infima plebis fœce ſtolidiſſimi ac ſtupidiſſimi blatherones Scripturas divinas egregiè crepitant, eas ſe quovis Theologo rectiùs intelligere procaciter jactitant &c Rejectus eſt Sleidanus unà cum libris ſuis inter primæ Claſſis heterodoxos Auctores. *Vid. noviſſ. Ind. Rom.* p. 218. verbô: *Joannes Sleidanus.*

SOCRATES, patriâ CPolitanus (ùt ipſe de ſe fatetur L. V. c. 24.) & Helladii Ammoniique Grammaticorum Gentilium ea in Urbe auditor (*Vid.* Lib. V. c. 16.) cauſas aliquamdiu ibidem actitavit, indéque *Scholaſtici*, id eſt, Cauſidici nomen obtinuit; ſed abjectâ tandem Cauſidicinâ ad proſequendam Euſebii Cæſareenſis Hiſtoriam Eccleſiaſticam animum calamúmque convertit. Suam itaque Hiſtoriam orſus eſt ab Anno, quô Conſtantinus M. Imperator eſt renuntiatus, eámque per VII libros perduxit uſque ad A. 439., quô Theodoſius junior decimum ſeptimum Conſulatum cum Feſto geſſit. Etſi verò Socrates Euſebii Hiſtoriam continuârit, ejus tamen numerandi methodum, ſive æram Abrahamiticam, à die prima Octobris incipientem, imitatus non eſt, ſed pro epocha potiùs Olympiadum annos ſibi ſelegit, eósque à Kalendis Septembribus duxit. Hujus porro Hiſtoriæ, quam Græcè Socrates ſcripſit & in Thalaſſii, Cæſareenſis apud Cappadoces Epiſcopi, ordinatione per Proclum CPolitanum facta finiit, quatuor extant verſiones latinæ. *Prima, Epiphanii Scholaſtici*, qui Caſſiodori hortatu eum laborem in ſe ſuſceperat, teſte ipſomet Caſſiodoro in ſua ad *Tripartitam* Hiſtoriam Præfatione, ubi ait: *Hanc Hiſtoriam Eccleſiaſticam à tribus Græcis Auctoribus mirabiliter conſtat eſſe conſcriptam, uno ſcilicet Theodoreto Venerabili Epiſcopo, & duobus diſertiſſimis Viris Sozomeno* & SOCRATE, *quos* NOS *per* EPIPHANIUM *Scholaſticum* LATINO *condientes eloquiô* &c. Et in *Inſtitut. divin. lect.* c. 17. ait idem Caſſiodorus: *Poſt Euſebii veram hiſtoriam apud Græcos Socrates, Sozomenus, & Theodoretus ſequentia conſcripſerunt: quos à Viro Epiphanio diſertiſſimo in uno corpore, DEO auxiliante, transferri curavi: ne inſultet habere ſe facunda Græcia neceſſarium, quod nobis judicet eſſe ſubtractum. Secunda*: Wolffgangi *Muſculi*, Monachi Apoſtatæ, & in Helvetia tandem apud Bernates Profeſſoris Theologi, ſed heterodoxi. *Tertia*: Joannis *Chriſtophorſoni*, Angli, Epiſcopi Ciceſtrenſis. *Quarta*: Henrici *Valeſii*, Scriptoris Gallici. Prodiit Muſculi verſio A. 1559. Sed de illa Eduardus Godſalvus Anglus in Præfatione ad Chriſtophorſonianam ita pronuntiavit: *Hic*

(Muſculus) *ſatis correctis, ut credibile eſt, exemplaribus deſtitutus, innumeris locis turpiſſimè labitur. Eſt porro adeò obſcurus, ut interpres egeat interprete: adeò ſalebroſus, ut lector identidem inhæreat: adeò lacunoſus, ut Authores ipſi Græci, hiſtoriæ ſuæ ſententias non fuiſſe expletas, graviter conquerantur. Et quod caput eſt, ſtudio partium ductus, alienum ſenſum longéque à Græca veritate abhorrentem, & conſultò & ſæpenumero affingit, ut corrupiſſe potiùs, quàm convertiſſe, meritò exiſtimari debeat.* Idem cum Godſalvo de Muſculo affirmat Suffridus Petrus in Præfatione ad Chriſtophorſoni verſionem, Coloniæ editam A. 1580. Saltem idiomatis græci imperitiam, indéque ortam non uno in loco contextûs hiſtorici depravationem in Muſculo reprehendit Poſſevinus in Apparatu, verbô: *Socrates*: idque uno alteróve ineptæ verſionis ſpecimine teſtatiſſimum facit. Quare utiliſſimam non literariæ modò, ſed & orthodoxæ Reipublicæ operam præſtitit Chriſtophorſonus, cùm poſthabitô *Muſculô* (qui Euſebium, Socratem, Sozomenum, & Evagrium &c. latinè reddiderat, Theodoretum verò, utpote jam antea à Joachimo Camerario A. 1536 Latinitate donatum, intactum relinquens, eidem prædictorum Auctorum Latino Volumini inſeruerat) repudiatô etiam *Epiphaniô Scholaſticô* (qui juxta Suffridum Petrum in Præfatione nuncupatoria ad Senatum Colonienſem, Chriſtophorſonianæ verſioni & Editioni Colonienſi *præmiſſa, nec Græcæ nec Latinæ linguæ ſatis peritus indoctiſſima translatione ſua propoſitos authores iſtos non converterit, ſed planè perverterit*) novam penitus, quæ & fidelior, & diſertior eſſet, eorundem verſionem fuiſſet aggreſſus. Aſt morte prævento opus integrum ad calcem uſque perſequi haud licuit. Unde poſtremum ſive quartum Euſebii de Vita Conſtantini librum, cujus verſio poſt Chriſtophorſoni mortem aliò diſtracta fuerat, tranſtulit Nicolaus Carrus: tres verò ultimos Sozomeni libros, qui pariter adhuc vertendi ſupererant, latinè expoſuit idem Suffridus Petrus. Exactior hæc Chriſtophorſoni verſio primò publicam lucem vidit Lovanii A. 1570. in forma octava, eodémque anno Coloniæ Agrippinæ in folio. Recudit verò illam, ſimúlque utiliſſimis adnotationibus aut caſtigationibus, in priori Editione neglectis, illuſtravit Suffridus Petrus, Levardienſis Friſius, Coloniæ A. 1580. Hanc A. 1612. ſubſecuta eſt Editio Colonienſis Tertia, ubi præter ea, quæ jam antè adjecerat Suffridus, etiam ſtudiô & operâ Severini Binii Colonienſis Canonici & SS. Theol. Doctoris acceſsêre explicationes eorum locorum, quibus ejus temporis Novatores ad hæreſes ſuas confirmandas abutebantur. Quoniam verò Chriſtophorſoni ſola latina verſio abſque textu Græco

co hactenus prodiêrat, eodem adhuc anno 1612. (quo Chriſtophorſoni labor Coloniæ Agrippinæ jam tertiùm ſub prælo ſudaverat) Coloniæ Allobrogum iidem Autores Græci Græco-latinè ex Chriſtophorſoni interpretatione ſunt publicati. Poſtremam denique eorum, quos ſuprà nominavimus, Scriptorum Græcorum Editionem Græco-latinam unà cum novis Adnotationibus, ſuperiore ſeculo in Galliis adornavit *Henricus Valeſius*: quæ Academicis typis iterata fuit Cantabrigiæ A. 1720. Notandum tamen, quòd in Editionem, quæ A. 1612. apud utramque Coloniam curata fuerat, error ſanè non levis irrepſerit; nam in Socratis Hiſtoria ex editione Agrippinenſi l. 7. cap. ultimo legitur, quòd hæc Hiſtoria *deſinat* in anno ſecundo *ducenteſimæ vigeſimæ octavæ* Olympiadis: in editione verò Allobrogenſi exprimitur annus ſecundus *ducenteſimæ vigeſimæ* Olympiadis. Quod utrumque cohærere nullatenus poteſt cum eo, quod Socrates l. 1. c. 1. ſcripſit, ſe ſcilicet Hiſtoriam ſuam *ordiri* ab *anno primo ducenteſimæ ſeptuageſimæ primæ Olympiadis, quo Conſtantinus M. Imperator eſt renunciatus.* Multò proin emendatiùs hunc Socratis locum (niſi forſitan ipſi potiùs tranſcriptores calculum erroneum ad Socratis Hiſtoriam jam antiquitus adjecerint) in Caſſiodori Hiſtoria Tripartita, Baſileæ A. 1523. & 28. edita, expreſſit Beatus Rhenanus Seleſtadienſis, cùm Socratis Hiſtoriæ finem in anno ſecundo *trecenteſimæ quintæ Olympiadis* fixit. Quanquam nec iſte calculus undequaque videri poteſt exactus, niſi quòd *trecenteſima* Olympias certò debeat legi. Quota verò ultra trecenteſimam tunc cucurrerit, ex ea maximè quæſtione dependet, quandonam imperare cœperit Conſtantinus M. (inde enim Hiſtoriam Socrates auſpicatur) & quandonam Theodoſius Junior Conſulatum XVII. geſſerit; hìc námque narrationem Socrates finit.

Ait verò de Socrate *Photius* in Bibliotheca Cod. 28. p. m. 9. edit. Auguſtanæ: *Stylus illi non admodum ſplendidus, ſed nec in dogmatibus valde accuratus eſt.* Baronius in Præfatione Annal. Eccl. ad Lectorem: *Claudicat æquè veritas in Socrate, Sectæ Novatianorum addicto, & Sozomeno eadem tincto fuligine.* Profectò dubitari haud poteſt, quin erratis non paucis, nævis atque mendaciis inquinata ſit Socratis Hiſtoria, ſive dein per unius Socratis perverſitatem aut credulitatem, ſive per interpolantium ac tranſcribentium malitiam hæc inquinamenta evenerint. Sic I. refert Socrates Lib. I. cap. XI. quòd S. Paphnutius averterit Concilii Nicæni Patres à continentiæ lege, Sacerdotibus atque Diaconis imponenda. Quæ quidem narratio etſi pariter apud *Sozomenum*, *Gelaſium* Cyzicenum, *Nicephorum* & in Tripartita *Caſſiodori* Hiſtoria extet, atque ùt genuina ſincerá-

ſinceráque admittatur à *Natali Alex.* in Hiſt. Eccl. T. IV. Diſſert. XIX. ad Sec. IV. *Chriſt. Lupo* T. I. Operum in Scholio ad Canonem 3. Nicænum: & T. III. in Schol. ad Canonem 13. Concil. Trull. *Schelſtratio* in Actis Orient. Eccleſiæ P, II. p. m. 846. *Petro de Marca* L. I. de Concord. Sacerdot. & Imper. C. 8. §. 4. *Graveſonio* in Hiſt. Eccl. P. I. Tomo I. Colloq. III. p. m. 132. Edit. Venet. atque ab heterodoxo *Baſnagio* in Annalibus Politico-Eccleſ. ad A. 325. n. 30. aliisque &c. illam tamen merè fictitiam eſſe, & vel Socratem deceptorem, vel ipſummet ab alio impoſtore (Auxanone) fuiſſe deceptum, vel denique in Socratis & Sozomeni Hiſtoriam paulò ſeriùs ab incognito Novatiano balatrone & tranſcriptore illud figmentum fuiſſe intruſum, argumentîs firmiſſimîs probat *Stiltingus* noſter T. III. Sept. tum à p. 784. §. 4. de S. Paphnutio, tum in ejusdem Tomi Diſſertatione Præliminari p. 13. §. 8. Stiltingo conſentiunt *Baronius* ad A. 58. §. 21. & ad A. 325. §. 148. *Bellarminus* lib. de Concil. c. 18. & lib. 1. de Clericis c. 20. *Henricus Valeſius* in Annot. ad cit. cap. 11. lib. 1. Socratis: *Cabaſſutius* in Notit. Concil. cap. 16. ad Nicænum Canonem 3. p. 76. *Thomaſinus* de Vet. & nova Diſciplin. Eccleſ. P. I. Lib. 2. Cap. 40. §. 15. p. 421. & Cap. 60. §. 17. p. 422. *Sandinus* in Diſput. Hiſt. de Hiſtoria S. Paphnutii &c. II. narrat Socrates L. IV. c. 26. quòd Valentinianus Imp. duas ſimul uxores, Severam atque Juſtinam, habuerit, imò etiam legem de duarum ſimul uxorum ducendarum, ſive de ſimultaneæ Bigamiæ permiſſu tulerit. Aſt craſſiſſimum iſthoc ſive ipſius Socratis, ſive aliorum gerronum anile figmentum, à Socrate temerè creditum, ita evertit *Baronius* T. IV. ad A. 370. à n. 124. ad n. 129., ut nec minimæ veriſimilitudinis micam in ea narratiuncula deprehendere fas ſit, & mendaciſſimum illud commentum quivis lector non ſubodorari non poſſit. III. in Novatianorum favorem fabulam de Nectario Ep. CPolitano recenſet L. V. c. 10. quam *Baronius* ad A. 383. n. 19. *Cuperus* T. I Aug. in Hiſt. Chronolog. Patriarch. CP. p. 28. à n. 138. ad n. 141. validè conterunt. IV. falſiſſimum planè ſcripſit L. V. c. 9. quòd idem Nectarius Ep. CP. unicuique permiſerit, ut pro arbitrio & pro animi ſui ſententia ad Sacramentorum communionem accederet, nec peccata ſua Sacerdoti enunciaret. Aſt privatam & publicam tam in Orientali quàm Occidentali Eccleſia pœnitentiam etiam poſthæc perſeverâſſe, innumeris demonſtrari poteſt exemplis. Hìc ſatìs erit attigiſſe Statutum Synodi Trullanæ ſeu Quiniſextæ can. 87. *Qui reliquerit legitimam uxorem* &c. Pœnitentiam publicam hìc adulteris decernit Græca Eccleſia, ac proinde tribus poſt Nectarium Seculis adhùc perſtitit,

metia

etiam in Oriente, ejusmodi pœnitentia; ſed rarior fuit ac mitior, nec niſi notiſſimis criminibus impoſita ab Epiſcopo: ſícque rediît ad primævam inſtitutionem. Non mirum autem vel inauditum, rem notiſſimam adulterâſſe Socratem, hominem Novatianum; hæreticorum enim illud eſt ingenium ratióque ſcribendi, ut vel omiſſionibus vel falſis additionibus, vel interpretationibus quidlibet trahant in ſui erroris patrocinium, quemadmodum quotidianâ conſtat experientiâ. Clerici & Baſnagii Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſunt ejusmodi depravationis evidens demonſtratio. Conſtat autem de hæreticis Novatianis, quòd pœnitentiam, quam injungebant, nunquam relaxârint, ſed gravium criminum reos ſuæ conſcientiæ divinóque judicio reſervârint. Hinc ut *omnes* Eccleſias ad *Novatianorum* ſententiam transiîſſe innueret Socrates, illud de Nectarii lege vel conniventia figmentum adjecit. Ita *Du-Meſnilius* T. II. de Doctr. & Diſcipl. Eccl. L. XVII. n. 14 p. 137. Add. *Baronius* T. I. Annal. ad A. 56. à n. 26. ad 40. *Cuperus* T. I. Aug. in Hiſt. Chronol. p. 29. n. 143. V. Erroris convincitur Socrates, dum Lib. V. c. 20. ait, non niſi Eunomianos hæreticos à Theodoſio fuiſſe exagitatos: reliquis autem, ùt Arianis & Novatianis, conventus agere fuiſſe permiſſum. Hoc enim tum aliis Theodoſii legibus, tum lib. XX. de hæreticis C. Theodoſ. manifeſtè refellitur, utpote quam contra omnes hæreticos Theodoſius tulit. Vid. *Baron.* T. IV. Annal. ad A. 388. n. 56. ad n. 61. & ad A. 391. n. 15. VI. Quàm vehementer circa ritus Eccleſiaſticos lapſus ſit Socrates, inter alia prodidit lib. V. c. 20. & 21. Nam *primò* falſa aſſumptione affirmat, licuiſſe cuilibet abſque veritatis Catholicæ diſpendio, quâ die vellet, paſcha peragere. Hoc ſcilicet ille, ut ex eo Novatianos ſuos Epiſcopos, unius occaſione Sabbatii in tranſverſum actos, excuſaret. *Vid. Baron.* T. I. Annal. ad A. 58. n. 82. & T. IV. ad A. 391, n. 19. *Secundò* ſubdit, licere cuique, ritus ſuos peculiares ſibi vendicare: dúmque diverſarum Eccleſiarum ritus commemorat, magnopere impingit, ita ſcribens: *Qui ſunt Romæ*, TRES *ſeptimanas ante Paſcha*, SABBATHO *& Dominico exceptis, ſimul jejunant.* Sed craſſam hanc hallucinationem luculenta demonſtratione proſtravit *Baronius* T. I. Annal. ad A. 57. n. 198. & n. 204. *Pagius* T. I. Crit. ad A. 55. n. 9. Dein quid eſt illud, quod ait Socrates l. V. c. 21. *In Theſſalia aliam conſuetudinem invaluiſſe novi, ut ibi, qui Clericus ſit, ſi cum uxore (quam, cùm eſſet laicus, ducebat) poſtquam Clericus factus ſit, dormiêrit, Clericatu abdicatus ſit: id adeò cùm omnes illuſtres* PRESBYTERI *in Oriente, &* EPISCOPI *etiam, modò ipſi voluerint*, NULLA LEGE COACTI *ab uxoribus abſtineant; nam non pauci illorum, dum Epiſcopa-*

tum gerunt, etiam liberos ex uxore legitima procreant? An non his contraria prorſus ſcribebat hoc tempore S. *Hieronymus* adverſus *Jovinianum?* Diaconos ſcilicet, & Univerſum Chorum Sacerdotalem nec miniſtrare nec offerre hoſtias DEO potuiſſe, qui ſervirent operi conjugali; nam & ipſius Joviniani aſſertione confirmat, eſſe non potuiſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat: alioqui ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur. Quem quidem morem tam in Occidentali quàm in Orientali Eccleſia viguiſſe, ſatis eſt manifeſtum. *Vid. Baron.* T. IV. Annal. ad A. 391. n. 19. T. III. ad A. 325. à n. 148. ad 152. & ad A. 314. n. 88. T. I. ad A. 58. à. n. 17. ad n. 27. *Stilting.* T. III. Sept in actis S. Paphnutii à p. 784. §. 4. & in ejuſdem Tomi Diſſertatione præliminari de S. Gregorio Nazianzeno. *Suyskentius* T. IV. Sept in Actis S. Cypriani p. 245. n. 335. & 337., ubi falſitatis convincitur Pearſonius, dicens, matrimonii uſum permiſſum fuiſſe Presbyteris tempore Cypriani. *Sardinus* in *Diſput.* hiſtorica XIII. edit. Herbipol. &c. VII. Etſi Socrates in libri VI. Prœmio, in quo de S. Chryſoſtomo agit, diſertè moneat, ſe ibidem ſcripturum res ſua ætate geſtas, viſásque à ſe, vel auditas ex iis, qui viderant: ex tota tamen illius hiſtoria liquet, quòd exiguam Socrates curam habuerit ad verum indagandum, & adverſus S. Chryſoſtomum variis in locis iniquior Cenſor atque calumniator extiterit, ùt rectè obſervavit *Tillemontius* in Chryſoſtomo Art. 1. & ex eo *Stiltingus* T. IV. Sept. p. 405. n. 23. in Actis S. Chryſoſtomi. Quare (ùt idem Stiltingus l. mox cit. monet:) dicenti Socrati non ſtatim credendum, ſed potius examinandum, an Socratis aſſerta cum *Palladio* (Scriptore gravi & Synchrono) congruant: an cum ipſa veriſimilitudine non pugnent: an calumniis inimicorum S. Chryſoſtomi aures non præbuerit nimis faciles: & demum, an vera videantur ſingula, aut certè probabilia, quæ de geſtis hujus Sancti more ſuo ſcriptis mandavit. Certè lib. VI. c. 22. ubi Siſinnium Novatianorum Epiſcopum variis laudibus extollit, déque geſtis inter illum & S. Chryſoſtomum ſermonem inſtituit Socrates, etiam figmenta quædam ſuæ relationi immiſcet, támque inconcinnum (quod haud dubiè ab aliquo Novatiano ſibi relatum acceperit) támque à Sancti moribus abhorrens reſponſum Chryſoſtomo affingit, ut ne vel umbram quidem veriſimilitudinis habeat. Vid. *Stiltingus* l. c. p. 522. n. 600. Eodem lib. VI. cap. 25. dum mortem Chryſoſtomi refert, ineptiſſimum Novatianorum contra pœnitentium abſolutionem argumentum adoptans Socrates hiſce verbis Chryſoſtomum carpit: *Vir ut antea dixi, propter abſtinentiæ ſtudium iracundiæ magis indulgens quàm verecundiæ:*

&

& qui ob ſingularem ſanctimoniam immodica oris libertate perpetuò uſus eſt. Porro mirari non immeritò ſubit, cur cum tanto ſtudio flagraret temperantiæ, eam tamen contemnendam eſſe in concionibus ſuis docuerit. Nam cùm à Synodo Epiſcoporum ſemel duntaxat iis, qui poſt baptiſmum peccaſſent, conceſſa fuiſſet pœnitentia, ipſe pronuntiare non dubitavit: licet millies pœnitentiam egeris, accede. *Ob quam doctrinam tum à familiaribus ſuis reprehenſus eſt, tum etiam à Siſinnio Novatianorum Epiſcopo, qui librum quoque adverſus hoc dictum conſcripſit, & ob id ipſum graviter exagitavit.* Sic nempe Socrates, Novatianorum Patronus, aut ipſe Novatianus, Chryſoſtomi ſententiam perperam interpretatur, & Siſinnio Novatianorum Antiſtiti palam adverſus Chryſoſtomum favet: imò etiam Novatianorum argumento mox utitur, qui jactitabant, remiſſione peccatorum per pœnitentiam, quodammodo veniam peccatoribus ad peccandum concedi, viámque ad nova ſcelera ſterni. Aſt nugæ hæ ſunt hæreticorum, ab omni recta ratione alieniſſimæ. Quis enim ſapiens dicat, ſacerdotem, qui peccatori ſeriò pœnitenti abſolutionem impertit, permittere ipſi, ut peccata repetat, præſertim cùm abſolutionem non impertiatur, niſi ſeriò proponenti peccata nunquam repetere? Quin potius ſacerdos pœnitenti dicit cum Chriſto Joan. 5. v. 14. *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quòd ſi in aliqua Synodo (ut Socrates vult) decretum fuerit, ut lapſis ſemel tantùm pœnitentia concederetur, ſtatutum illud fuit de pœnitentia *ſolenni*, quæ ob graviſſima crimina tum ſolebat imponi, quæque non iterabatur: non verò de pœnitentia *vulgari*, de qua loquitur Chryſoſtomus. Vid. *Stiltingus* T. IV. Sept. p. 522, n. 600. 602. p. 523. à n. 607. ad 611. p. 524. 525. à n. 612. ad n. 619. *Suyskenus* T. IV. Sept. p. 169. à n. 178. ad n. 183. in Actis S. Cornelii. *Baronius* T. I. Annal. ad A. 56. n. 26. 27. Veriſſimè proin de Socrate *Tillemontius* T. VI. Impp. in Theodoſio II. Art. 37. *Videtur non ſatis diſcreviſſe ſcripta & Perſonas, quibus fidem habere debebat, eáque de cauſa tot errores hiſtoriæ ſuæ immiſcuiſſe.* Et Art, 38. *Non videtur etiam ſatis cognoviſſe conſuetudines & doctrinam Eccleſiæ: quod fortaſſe tolerabile erat in laico, niſi toties voluiſſet loqui de rebus iſtis, ſibi non ſatis cognitis, & quidem de iis ſubinde loqui, ut cenſor & Judex. Hac de cauſa Photius aſſerit, eum non eſſe accuratum in dogmatis.* Eadem ex Tillemontio repetit *Stiltingus* T. III. Sept. in Actis S. Paphnutii §. IV. Denique VIII. S. Proclum Ep. CP. *turpiſſimæ indifferentiæ ac criminoſæ ignaviæ* arguit Socrates Lib. VII. C. 41. Aſt mendaciſſimam hanc criminationem ex ipſis Procli geſtis diluit *Cuperus* T. I. Aug. in Hiſt. Chronolog. Patriarch. CP. p. 41. n. 208. 209. 210. 211. Plura de Socratis erratis vide

apud *Baronium* T. I. III. IV. V. Annal. verbô: *Socrates*: item apud *Poſſevinum* in Apparatu. Etſi verò & Caſſiodorus non pauca Socratis (uti & Sozomeni) errata in ſuam pariter Hiſtoriam Tripartitam tranſtulerit, nihil tamen authoritatis inde Socrati accedere poteſt. Neque enim in Hiſtoria hac compilanda aliud Caſſiodori conſilium fuit, quàm *de ſingulis Dictatoribus deflorata colligere, & cum Authoris ſui nomine in ordinem collocare*, ùt in ejusdem Hiſtoriæ Præfatione ipſemet monet.

Ceterùm Novatianus num fuerit Socrates, an Novatianis ſolummodo faverit, Eruditi inter ſe diſcrepant. Et faviſſe quidem Novatianis, conſentiunt omnes; imò ipſa Socratis Hiſtoria legentibus indubitatum id facit. Fuiſſe verò Novatianum, negat *Valeſius*, qui in præfatione ante Græco-Latina amborum (Socratis & Sozomeni) Opera orthodoxam horum Auctorum religionem tuetur, nihilque in Socratis Hiſtoria reperiſſe ſe ait, quod Novatianum illum extitiſſe convincat. Favere quidem eum plerumque Novatianis, ùt cùm *Novatianum* illius ſectæ Auctorem inter Martyres numerat; cùm Novatianos arctiſſimâ benevolentiâ conjunctos fuiſſe Catholicis dicit, & unà cum illis in Eccleſia Deum orâſſe. Verùm aliud eſt, favere Novatianis: aliud, eſſe Novatianum. Socrates, homo paulò ſeverior, illorum diſciplinam atque abſtinentiam probabat: ſed Eccleſiam perpetuò appellat ſimpliciter & abſolutè *Eccleſiam Catholicorum*, opponens eam Eccleſiis aliarum Sectarum, de quibus agit in libro VI. cap. 19. & ſeq. Arianorum ſcilicet, Novatianorum & Eunomianorum. Ita *Valeſius* & cum eô *Pagius* T. II. Crit. ad A. 439. n. 9. Diſſentiunt ab his *Baronius* T. I. Annal. ad A. 56. n. 24. 26. 27. T. IV. ad A. 391. n. 19. T. V. ad A. 415. n. 40. *Nicephorus Calliſtus* lib. VI. Hiſt. Eccleſ. c. 37. & lib. IX. cap. 13. *Dumeſnilius* T. II. de Doctrina & Diſcipl. Eccl. L. XVII. n. 14. p. 337. *Stiltingus* T. IV. Sept. p. 522. n. 598. n. 601. imò ipſe *Valeſius* priſtinam ſuam opinionem deſeruiſſe videtur, cùm in Annotatis pag. 82. ad Socratis librum VI. caput 25. (quem locum ſuperius jam exſcripſimus) ita commentatur: *Ex hoc loco certius, quàm ex ullo alio colligi poteſt, Socratem Novatianum fuiſſe; nam & Chryſoſtomi ſententiam perperam interpretatur, & Siſinnio Novatiane Partis Epiſcopo palàm favet adverſus Joannem Chryſoſtomum.* Quam Valeſii obſervationem jam antea ſuam fecerat *Baronius* T. I. ad A. 56. n. 26. & 27.: & poſtea *Stiltingus* Tomo cit. n. 601. Et ſanè quisnam verè Orthodoxus ea ſcribere poterat, quæ Socrates ſcripſit aut finxit? ùt cùm Novatianum ſectæ illius auctorem inter Martyres collocat: cùm Pauli Novatiani precibûs mi-

ra-

raculum quoddam CPoli fuiſſe patratum enarrat: cùm ſingula, Novatianam ſectam ſpectantia, diligentia incredibili perſequitur: cùm Siſinnii Novatiani Orationem commendat, habitam adverſus Chryſoſtomi dictum: *Etiam ſi millies pœnitentiam egeris, accede:* cùm Chryſoſtomum, Novatianis adeò infenſum atque inviſum, multoties audaciſſimè & mendaciſſimè carpit: cùm denique Novatianos Catholicis conjunctiſſimos fuiſſe falſiſſimè jactat. Hæc certè omnia ſcripturire nemo facilè ſuſtinuerit, niſi qui Novatianus ſimul ipſemet eſſet. Neque refert, quòd Eccleſiam, à Novatianis &c. alienam, *Catholicam* nuncupârit Socrates, eámque à Sectis ceteris per peculiarem hujuſmodi nomenclationem diſtinxerit: nam & olim & hodiedum tam Novatores antiqui quàm recentiores Eccleſiam Romanam, ſui temporis ſectariis oppoſitam, antonomaſtica (quia ubique receptiſſima) appellatione *Catholicam* vocitârunt & vocitant: quin idcirco ipſimet pro Catholicis poſſint aut velint haberi. Unde nec in Socratem *Catholici* elogium cadere poterit, quòd Eccleſiam, à novitiis ſectis diſſentientem, rotundo *Catholicæ* nomine compellârit. Quin tantum abeſt, ut orthodoxis accenſendus ſit Socrates: ut etiam Baronius T. V. Annal. ad A. 402. n. 17. 18. illum non modò Novatianum, ſed & Origeniſtam fuiſſe concludat ex iis, quæ is Libro VI. cap. XII. de S. Methodio ſcripſit. Supponit enim Methodio *Dialogum* quempiam, ſive Apologiam, *Zenonem* dictum, in qua palinodiam cecinerit Methodius, & Origenem, quem antea vituperârit, ſummis poſtea laudibus celebrârit. Aſt caſſas nuces à Socrate hìc venditari, & tam palinodiam iſtam, quàm Apologiam Methodii ad putida commenta pertinere, præclarè demonſtrat Baronius l. c. Præterea ad A. 400. à n. 52. ad n. 72. probat *Baronius*, quòd commentitia Origeniſtarum ſcripta & contumelioſas adverſus Theophilum Alexandrinum narratiunculas Socrates (uti & Sozomenus) in hiſtoria ſua ùt genuinas admiſerit: etſi pluribus ex argumentis aperta narrationis falſitas, calumniæ, atque mendacia poſſint oſtendi atque refelli. Unde & *Sollerius* T. V. Junii in Hiſt. Chronolog. Patriarch. Alexandr. p. 52. n. 268. ex Socratis (& Sozomeni) de Theophilo narrationibus infert, *in aperto eſſe, quòd Socrates (& Sozomenus) Origeni & Origeniſtis Monachis palam patrocinentur.*

Addendum tamen hoc loco erit, quod Baronius T. V. Annal. ad A. 439. n. 39. ait: *licèt Novatiani eſſent* (Socrates & Sozomenus) *& in iis, quæ ad ipſorum dogmata ſpectant, privato ſtudio plura mentiti eſſe reperiantur, dum præſertim falſa miracula ſuis tribuunt Novatianis: tamen majoris fidei apud Gelaſium Romanum Pontificem hos fuiſſe, quàm Euſe-*

bium Cæsareensem, inde possumus existimare, quod Eusebii Historiam reiicit inter apocrypha, Socratis verò & Sozomeni nequaquam. Imò pleraque apud Socratem (si Novatianorum aut Origenistarum res demas) veritatis habere suffragium, vel inde coniicies, quòd eadem apud scriptores Criticos, uti & Baronium, tanquam vera aut probabilia multoties adducantur & admittantur.

SOZOMENUS. SOZOMENUS Hermias, Patriâ Salaminius, & Socrati contemporaneus scriptor, in forensibus causis CPoli diu versatus atque ob istud perinde, ac Socrates, *Scholasticus* dictus, Ecclesiasticam pariter Historiam in novem libros divisam conscripsit, quam Theodosio Juniori nuncupavit, & à tertio Crispi & Constantini Cæsarum Consulatu usque ad XVII. ejusdem Theodosii Consulatum est prosecutus, prout in Epistola dedicatoria ipse testatur. Ea tamen, quæ hodie extat, Sozomeni Historia manca omnino & mutila est; desinit enim in morte Constantii Imp. & inventione Reliquiarum S. Zachariæ Prophetæ: etsi penultimo capite sive XVI diserte narrationem de Protomartyris Stephani inventione se pariter facturum promittat; imò in totius operis præfatione sive Epistola nuncupatoria Historiam suam usque ad XVII Theodosii Consulatum à se fuisse productam luculenter affirmet. Anni proinde propè viginti in ea desiderantur, qui sive temporum sive veterum graphiorum & librariorum injuriâ vel incuriâ excidêre. Eadem de diversis Sozomeni Editionibus huc referenda, quæ suprà in Socrate diximus.

Photius in Biblioth. p. m. 9. hæc solummodo de Sozomeni historia notat: *Est Socrate in Stylo præstantior; à quo etiam in narrationibus quibusdam dissentit.* Gregorius M. Libro VI Registri Epistolarum Epist. 31. Edit. Antverp. de Anno 1615. ita ad Eulogium, Alexandrinum Præsulem, scribit: *ipsam quoque SOZOMENI historiam Sedes Apostolica recipere recusat: quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsvestia nimium laudat, & usque ad diem obitus sui magnum Doctorem fuisse perhibet. Restat ergo, ut si quis illam historiam recipit, Synodo piæ memoriæ Justiniani temporibus de tribus Capitulis factæ contradicat. Qui ergo huic contraria dicere non volet, illam historiam necesse est, ut repellat.* Sed (ut inquit *Baronius* T. V. Annal. ad A. 439. n. 40.) quo sensu accipienda ista sint, nemo non videt, qui rem, de qua agitur, probè consideraverit; nimirum non recipi ab Ecclesia Romana Sozomenum Theodori Mopsvesteni laudatorem: quem qui recipiat, Quintæ Synodo, in qua ille damnatur, refragari se sentiat. In reliquis autem, quæ vera dixit, quomodo potuit ab Ecclesia Romana non recipi? Etenim Anastasius Bibliothecarius de eadem Sozomeni Histo-

ſtoria hæc habet in præfatione Miſcellæ: *Verùm quia quoſdam horum mentitos in quibusdam fuiſſe, & quædam prætermiſiſſe probatur (quemadmodum & Sanctus Papa Gregorius de Sozomeno apertiſſimè ſcribit) obſecro, mendacia eorum veris approbationibus arguas, & quæ omiſerunt, nihilominus ſuppleas.* Vides igitur, clariſſimum eruditione Virum Anaſtaſium non proiicere Sozomenum, ſed purgari ea & augeri deſiderare: quæ ipſa, ùt ſæpe vidiſti Lector, nos pro viribus præſtare conati ſumus. Sed alibi in Notis ad Romanum Martyrologium (23. Decemb.) redarguimus Melchiorem Canum, qui L. II. loc. Theol c. 6. Magnum Gregorium audacter nimis hiſtoriarum ignorantiæ ſugillavit, dum quæ apud Theodoretum de laude Theodori Mopsveſteni reperiuntur, Sozomeno Gregorium tribuiſſe rem ignorans ipſe putavit. Non attendit Cenſor iſte, deſiderari duos Sozomeni libros, in quibus de Theodoro illo tractabatur Hiſtoria. *Hæc Baronius;* qui tamen memoriâ lapſus videtur, cùm *duos* Sozomeni *libros* hodie deſiderari hic aſſerit: nec enim plures, quàm novem Hiſtoriæ ſuæ libros à ſe concinnatos fuiſſe Sozomenus ipſe in Præfatione fatetur. Atqui hi extant, quamvis non integri: proindéque non duos libros, ſed plura Libri noni capita intercidiſſe fuerat ſcribendum, & in his ea ipſa, in quibus Theodori Mopſveſteni laudes fuiſſe contentas Gregorius Magnus affirmat. Verùm eam Baronii adverſus Canum reſponſionem non probat *Valeſius*, aiens, etiam Gregorii M. ætate integriores non fuiſſe Sozomeni Codices, quàm nunc ſint; cùm & Caſſiodori temporibus, qui tamen S. Gregorium anteceſſit, nihilo auctiores iis extiterint, quos modò habemus: idque ex ipſamet ejuſdem Caſſiodori Hiſtoria Tripartita perſpicuum reddi. Atque in hanc Valeſii opinionem etiam propendere videtur *Natalis Alexander* T. V. Hiſt. Eccl Cap. IV. Art. XVIII. de Script. Eccl. Sæc. V. p. m. 140. maximè verò *Pagius* T. II. Crit. ad A. 427. n. 17. ubi Valeſii conjecturam tanquam *certam* defendit. Ea tamen infirmior eſt, quàm ut quidquam pro Cano & Valeſio adverſus Gregorium atque Baronium probet. Inprimis enim, licèt Caſſiodorus Gregorium anteceſſerit, ſynchroni tamen ambo fuêre; ſive enim Caſſiodori obitum ad A. 562. cum Baronio, ſive ad A. 575. cum pleriſque aliis reiicias, etiam Gregorius jam Anno 573. Præfecturam Urbanam geſſerat Romæ, antequam Univerſæ Eccleſiæ Anno demum 590. præficeretur. Potuit autem contingere, ut etiam ex contemporaneis Scriptoribus alter altero perfectius Sozomeni exemplar ſit nactus; quæ apographorum diverſitas in amanuenſes utique & tranſcriptores eſt reijcienda. Sic & Francicorum

Anna-

Annalium, qui Loiſeliani dicuntur, multò integrius & conſummatius exemplar Loiſelius, imperfectum verò mancúmque Henricus Caniſius penes ſe habuêre. Quare licèt in Tripartita Caſſiodori Hiſtoria nulla ex Sozomeno Theodori Mopsveſteni mentio fiat, eam tamen in pleniore Sozomeni Hiſtoria reperire potuit Gregorius. Neque temerè credendum, quòd Apoſtolica Sedes Scriptoris cujusdam Hiſtoriam, ob certas quaſpiam aſſertiones in ea contentas, nominatim repudiet, niſi, cujus auctoris ea aſſertio atque Hiſtoria ſit, probè priùs inſpexerit. Dein ſi ex Caſſiodori Tripartita argumentum Valeſius ducat, adeò nihil pro Cano evincit, ut contra ſe ipſum potiùs pugnet. Continet Tripartita libros XII., Sozomeni Hiſtoria libros IX., prout hic ipſe in proloquio ſuo de ſe teſtimonium dicit. Porro liber XI. & XII. Tripartitæ ex uno Socrate conſtat eſſe conflatus. Liber verò X. (quantum ad Sozomenum ſpectat) jam ſiſtit in Ejusdem libro VIII. capite XXV. Deſunt igitur in Tripartita Hiſtoria non ſolùm tria capita ex octavo Sozomeni libro, ſed & totus liber IX. ejusdem Sozomeni, qui prout hodie extat, ſaltem XVII. capita adhuc complectitur. Proinde, quid aliud juxta Valeſii argutationem inde deduces, quàm quòd totus Sozomeni liber nonus ſit addititius, neque Caſſiodori ætate jam cognitus? eccur iſtud? quia videlicet in Caſſiodori Tripartita nihil eorum, quantumvis memorabilium, legitur, quæ in nono Sozomeni libro narrantur. Quapropter ſicut quæpiam libri VIII. capita & totum Sozomeni librum nonum (quem ùt genuinum hujus Auctoris partum omnes hucuſque Eruditi agnovêre) Caſſiodorus in ſua Tripartita penitus prætermiſit: ita pariter mirum non eſt, quòd is ex Sozomeno Theodori Mopſveſteni neutiquam meminerit, cujus mentionem in ipſiſſimo Sozomeni libro nono extitiſſe tam Gregorii, vix integro ſeculo Sozomeno poſterioris, quàm Anaſtaſii Bibliothecarii, Gregorium minimè corrigentis, auctoritas dubitare haud ſinit. Nonum enim Sozomeni librum hodie mutilum eſſe, & viginti propè annorum periodum ex eo interiiſſe, jam ſuprà indicavimus. Nimirum Caſſiodorus id unum ſibi propoſuerat, ut ex ſingulis hiſce Scriptoribus, Socrate, Sozomeno, & Theodoreto quædam excerperet, atque in unum Opus redigeret, Socrate tamen maximè uſus, etſi Sozomeni Hiſtoria nonnihil prolixior atque enucleatior, quàm Socratis, eſſet. Unde quemadmodum ex prioribus etiam Sozomeni libris non pauca reſcidit atque reticuit Caſſiodorus, ita etiam Theodori Mopſveſteni laudes (quas ex Theodo-

reto

reto quidem recenſuit) ex Sozomeno referre neglexit, præcipuè quòd nonum hujus librum ne verbô quidem attigerit.

Sed nec ob ſola Theodori hujus præconia Sozomenus vapulat; ſunt & alii ejusdem errores, quos partim cum Socrate communes, partim ſibi reddidit peculiares. Sic *Primò*: Lib. VII. c. 19. ait: *Neque Epiſcopus, neque alius quisquam hìc* (Romæ) *in Eccleſia docet.* Sed quid ineptius dici poteſt? nonne S. Ambroſius recitat Sermonem Liberii Papæ ad Populum, cùm Soror Ambroſii Sacrum velum, virginitatem profeſſa, accepit? nonne Sancti Leonis adhuc extant Homiliæ ad populum dictæ? Scripſit verò Sozomenus eodem Leone ſedente, qui Sermone III. de Epiphania, & alibi, adeò officii ſui eſſe fatetur, verba facere ad concreditum gregem, ut etiam ad culpam ſibi metuat imputari, ſi huic miniſterii ſui parti defuerit. Vid. *Baron.* T. IV. ad A. 391. n. 19. *Pagius* T. I. Crit. ad A. 55. n. 9. *Queſnellus* Diſſert. I. de Vita & geſtis Leonis M. ad A. 440. *Nat. Alex.* T. III. Hiſt. Eccl. Diſſert. IV. ad Sec. II. p. 349. Minùs itaque rerum Romanarum peritum ſe hìc oſtendit Sozomenus; quemadmodum & cùm ſcriberet eodem l. 7. c. 19. quòd *ſemel* duntaxat in anno *Alleluja* Romæ cantari conſueverit, contrarium demonſtrante Baronio, juxta quem in ipſis defunctorum Exequiis Alleluja accinendi conſuetudo tunc viguit. Vid. *Baron.* T. IV. ad A. 384. n. 22. 23. ad A. 391. n. 19. *Secundò*: Lib. VII. cap. 8. miram Nectarii Ep. CP. electionem deſcribit: cujus adjuncta ſive circumſtantias tum ob corruptos antea Nectarii mores, tum ob Veterum (& ipſius Socratis l. 5. c. 8.) ſilentium heteroclitas aut parùm veroſimiles eſſe, probat *Cuperus* T. I. Aug. in Hiſt. Chronolog. p. 27. & 28. à n. 130. ad n. 138. *Tertiò*: Lib. VII. c. 22. obſcuriſſimam narratiunculam, à verſipellibus ſcilicet ſicariis in publicum ſparſam, de Valentiniani Junioris obitu in ſuam pariter Hiſtoriam tranſtulit, veluti qui ſponteneô laqueô ſibi mortem conſciverit. Aſt parricidalem hanc fabulam refellit Baronius T. IV. Annal. ad A. 392. à n. 6. ad 14. ex S. Ambroſio, & Zoſimo. *Quartò*: Lib. VIII. c. 23. Arſacium Ep. CP. ùt *Virum manſuetum & erga DEum religioſum* deſcribit. Et tamen fautores S. Joannis Chryſoſtomi crudeliter afflixit Arſacius, ùt ipſe Chryſoſtomus Ep. 115. juxta Montfauconianam Operum editionem teſtatur. Palladius verò, ſimiliter ſynchronus, in Dialogo de vita S. Joannis Chryſoſtomi ex Græco-latina editione Bigotii p. 94. & ſeq. Arſacium de violata jurisjurandi religione redarguit. Vid. *Cuperus* in cit. Hiſt. Chronol. p. 31. n. 154. *Quintò*: Quàm iniquus (etſi Socrate modeſtior) in Chryſoſtomum fuerit Sozomenus, vide *Stil-*

tingam T. IV. Sept. p. 524. 525. à n. 612. ad 619 Plures alios Sozomeni lapſus hiſtoricos ex *Baronio* refert *Poſſevinus* in Apparatu: & tam hic quàm ille eundem pariter Novatianis accenſent; quanquam id paulò minus de Sozomeno quàm de Socrate, conſtare videtur. Pleraque autem ex vero aliàs ſcripſiſſe & ad hauriendam Eccleſiaſticæ notitiæ lucem nobis lampada prætuliſſe Sozomenum, nemo, qui eundem pervolverit, rite negabit.

An verò à Socrate non pauca mutuârit Sozomenus, Critici Recentiores inquirunt, vel potiùs ſupponunt, ùt *Tillemontius* T. VI. Imp. in Theodoſio II. Art. 39. *Nat. Alex.* T. V. Hiſt Eccl. Art. XVIII. de Script. Eccl. Seculi V. p. 140. *Cuperus* T. I. Aug. in Hiſt. Chronolog. Patriarch. CP. p. 28. n. 138. in fine. *Stiltingus* T. III. Sept. p. 787. n. 42. in Comment. Hiſtorico-Critico de S. Paphnutio: & T. IV. Sept. p. 405. n. 24. in Actis S Chryſoſt. Res eò maximè devolvitur, utrum Socrates ante Sozomenum, hic ante Theodoretum ſcripſerit, & alius ante alium Hiſtoriam ſuam jam publicârit. Affirmat hoc *Valeſius* in Præfationibus ſuis ad eorundem Authorum verſionem. Negat *Pagius* T. II. Crit. ad 427. n. 15. 16. & poſt refutata Valeſii argumenta, ita demum ſubjungit: „ Quare non „ dubito, quin tres iſti Scriptores, qui omnes ſibi idem argumen„ tum propoſuêre, non ſolùm ſub extremis Theodoſii Junioris tem„ poribus, quod de Socrate & Sozomeno infrà videbitur: ſed etiam „ eodem tempore Hiſtorias ſuas Eccleſiaſticas in lucem emiſerint. „ Luculentum hujus rei exemplum habemus in Hiſtoria Pelagiana, „ quam nuper duo Viri doctiſſimi, Cardinalis Noriſius ſcilicet & „ Garnerius, eodem tempore ex Veterum monumentis maxima cum „ laude, ingentique labore eduxêre, & publici juris fecêre. Ho„ rum enim alter diligentiſſimè quædam perſecutus eſt, quæ alter „ aut prætermiſit, aut leviter attigit. Uterque easdem difficulta„ tes iisdem rationibus & Antiquorum teſtimoniis quandoque re„ ſolvit, & ſæpe ubi unus offendit, alter ſcopulum tanta felicitate „ ſuperat, & quod dici poteſt, in contrarium ita ſolidè diſcutit, ut cre„ das, eum alteri confutando totum intentum fuiſſe. Si enim in Hiſto„ ria ſcribenda quandoque peccatur, multò magis in Critica, in qua „ aliquando non offendere potis non eſt. Quemadmodum autem dici „ non poteſt, unum ex duobus iſtis Hiſtoriæ Pelagianæ Auctoribus „ plura ex altero furatum eſſe (cùm alter alterius Opus non viderit) „ ita non audiendus Valeſius in eo, quod autumat, ex tribus Hiſto„ riæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus alterum alterius Scrinia compilâſſe, & ex „ illis eum, qui alteri aliquid addidit, aut alterum interdum emen„ davit, hunc poſteriorem videri ſcripſiſſe. „ Atque huic Pagii reſponſo

ſponſo non illibenter & ego ſubſcribo. Ait enim Socrates in Hiſtoriæ ſuæ Proëmio, ea ſe *perſpicuè expoſiturum, quæ aut literarum monumentis tradita inveniſſet, aut ab illis, qui ea oculis viderint, audiviſſet.* Nunquid & Sozomenus, Scriptor ex aſſe ſynchronus, eadem *literarum monumenta* (neque enim in unius Socratis manum retroacta antiquitatis arcana fuiſſe collecta, aut unum unicum Documentorum Veterum exemplar tunc extitiſſe, gratis quis ſuſpicabitur) præ manibus ſuis habere? nunquid & iisdem hominum contemporaneorum ſive oculatis ſive auritis teſtimoniis potuit uti, quorum aliud alio nunc magis minúsve ſincerum, nunc magis minúsve exactum atque perſpicuum eſſet? Et quamnam tandem gratiam à Theodoſio Cæſare, cui Hiſtoriam ſuam inſcripſerat, polliceri ſibi poterat Sozomenus, ſi ex Socrate, jam antè per publicas hominum manus volitante proindéque nec aulæ nec Cæſari incognito CPolitano Scriptore, ipſe non modicam Hiſtoriæ ſuæ partem harpagâſſet, quin tamen hujus Anteſignani ſui (Socratis) vel verbulô uſpiam meminiſſet? Demum cùm & Socrates & Sozomenus eundem Hiſtoriæ ſuæ terminum, ſcilicet XVII. Conſulatum Theodoſii, ſibi ſelegerint, Sozomenus verò ſuum Opus eidem Theodoſio adhuc ſuperſtiti (ſub annum póſtea 450. demórtuo) certò dedicârit: quod argumentum nos convincere poterit, quòd Socratem potiùs Sozomenus exſcripſerit & ſubinde emendârit, quàm quòd Sozomenum Socrates aliquando expilârit, & vel corruperit vel decurtârit?

SPECULUM EXEMPLORUM, quod incerto auctore aut Collectore primùm prodiit Daventriæ A. 1481., recuſum poſtea fuit Coloniæ Agrippinæ A. 1485.: Argentorati A. 1487 & 1495.: Hagenoæ A. 1519. dum tandem recentioribus curis novâque centum & ſexaginta exemplorum additione locupletius illud edidit *Joannes Major*, S. J. Theologus, Duaci A. 1607.: quam Editionem poſtmodum inſtauravit Typographia Colonienſis A. 1653., cum hac inſcriptione: *Magnum Speculum Exemplorum*: cùm antea ſimplici nomenclatione *Speculum Exemplorum* fuiſſet inſcriptum. De Speculi hujus fide & auctoritate *Melchior Canus* L. XI. loc Theolog c. 6. p. m. 337. Edit. Colon. de A. 1585. liberrimum iſtud pro more ſuo judicium tulit: *Nec ego libri illius Auctorem excuſo, qui Speculum Exemplorum inſcribitur; in illo enim miraculorum monſtra ſæpiùs, quàm vera miracula legas.* Sed nec ipſe Joannes Major eandem omnibus Speculi hujus narrationibus fidem commodâſſe videtur; ita námque lectorem in libri fronte præmonuit: *Si quæ incredibilia, vel fabuloſa, vel tantùm ad ciendum riſum efficta videntur, qualia pauciſſima*

SPECULUM EXEMPLO-RUM.

sunt, solùm in navigiis, vehiculis, mensis, vel jucundis congressibus narranda exerentur.

Inter hujuscemodi commenta palmaria connumerandum haud dubiè venit fatum illud terribile, quod ex sola Speculi hujus auctoritate de Udone quopiam, putatitio scilicet Magdeburgensi Præsule, passim circumfertur, & subinde è sacris etiam pulpitis enarrari perperam consuevit. Nam non modò ex ipsis Chronicis & Tabulis Magdeburgensibus (quas optimè inspexerat Woltherus Steversdorffius) sed & ex ejusdem aut supparis ævi Scriptoribus, ùt *Ditmaro* Merseburgensi, *Adamo* Bremensi, *Conrado* Ursspergensi &c. certissimè habemus compertum: I. quòd nullus unquam *Udo* sive Seculo X. (quo tamen exeunte periisse is scribitur) sive Seculo XI. inter Archiepiscopos Magdeburgenses extiterit. Ordo enim Antistitum non interruptus ita se habere dignoscitur: *Adalbertus, Gisilerius, Tagmo, Waltherdus, Gero, Hunfridus, Engelhardus, Wezilo, Hartwigus*, qui A. 1102. ad Cœlites abiit. II. quòd hi omnes & ætate & dignitate jam antè fuerint conspicui, quàm pastorali pedô donarentur; contrà verò ne adolescentiam quidem post se reliquerat Udo imberbis, cùm jam ad Infulas fuisse translatum Speculi Author prætexit. III. Nemo eorum, quos antè nominavimus, Præsulum à Scriptoribus contemporaneis circa illa vitia vapulat, quorum Udo à Speculo arguitur. Imò *Adalbertum* ùt *Summæ Sanctitatis Virum* laudat Ditmarus & Adamus Bremensis. *Gisilerium*, licèt Ditmarus ob Archiepiscopatum per artes obtentum atque præreptum insimulet, Adamus tamen Bremensis ùt *Virum* postea *Sanctum* extollit, *qui novellos Winulorum populos doctrinâ & virtutibus illustrârit.* Porro *Tagmonem, Waltherdum, atque Geronem* miris laudibus celebrat Ditmarus contemporaneus; Adamus verò Bremensis Geronem & *Hunfridum Viros* etiam *Sanctos & Episcopali nomine dignos* appellat. *Engelhardum* & *Wezilonem* nemo saltem Scriptorum vituperat. *Hartwigum* denique (qui ab alio Hartwigo, Hersfeldensi Abbate, in ejusdem Hartwigi Archiepiscopi locum per Henricum IV. intruso probè est distinguendus: de quo *Vid. Christ. Lupus* T. VI. Operum p. 341. col. 2.) luculentis elogiis prædicat Conradus Ursspergensis, vel potiùs Chronici Ursspergensis Auctor anonymus, Conrado antiquior & Hartwigo synchronus. Sic enim scribit ad Annum 1102.: *Hartwigus Magdeburgensis Archiepiscopus obiit, Vir per multa laudabilis, maximè tamen popularibus & Ecclesiæ, cui præerat, utilitatibus multùm insudans dilatandis, pro schismate quoque sæpe dicto* (scilicet Henrici IV. cum Gregorio VII. & hujus successoribus) *resarciendo inter utramque partem mediator infatigabilis.* Atque ex hoc ipso Ursspergensis Chronici testimonio manifestè simul refellitur error recentio-

centiorum compactáque in Hartwigum calumnia, de qua Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad A. 1101. ita habet: *Anno ſequente obiit Hartvicus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, qui alio nomine Udo dictus eſt, morte ſubitanea: de quo* CIRCUMFERTUR *illa terribilis ſententia diſtricti judicis JEſu Chriſti, qui in Eccleſia præfata Magdeburgenſi, Græcè Parthenopolis dicta, id eſt, Civitas Virginis, ante Summum Altare cum multitudine Sanctorum adſediſſe, per quendam devotum Canonicum viſus eſt nocte illa, in qua & mortuus manè inveniebatur Epiſcopus, ſententiámque in eum decollationis protuliſſe. Hæc Hiſtoria, quia ſatis nota eſt, latioribus verbis à nobis non venit inſerenda.* IV. Etſi *Ditmarus*, *Lambertus* Schaffnaburgenſis, *Conradus* Urſpergenſis, *Chronicon Mindenſe*, viſiones atque prodigia ſeu læta ſeu terrifica, & tragicos etiam Epiſcoporum, Clericorúmve interitus, ùt *Henrici* Epiſcopi Spirenſis, *Wilhelmi* Epiſcopi Ultrajectini, *Ultonis* Archi-presbyteri Halberſtatenſis, *Burckardi* Epiſcopi Halberſtatenſis, *Folmari* Epiſcopi Mindenſis &c. exactè copioséque recenſeant: de *Udonis* tamen Magdeburgici nomine, dignitate, laſcivia, immiſsóque divinitus ſupplicio portentoſo (eo uſque ſcilicet incognito, quod aliàs cognitum eſſe debuerat) altiſſimùm tacent. Omitto cetera falſiſſimæ hujus hiſtoriæ indicia, alibi fortè opportuniùs excutienda. Unde recentiores Critici commentitiam iſthanc traditiunculum, multò poſteriùs natam atque ad ciendum fidelibus terrorem fabricatam, jure merito explodunt, *Van-Caſteelius* in Controverſiis Eccleſiaſtico-Hiſtoricis Controv. XXXIX. *Cuperus* in Actis SS. T. I. Aug. in vita B. Auguſtini Lucerienſis: *Paulus Langius* in Chronicis Citicenſi & Naumburgenſi: *Woltherus Streversdorffius* in Serie Archiepiſcoporum Magdeburgenſium &c.

Neutiquam verò inde arguere licet, cetera etiam omnia, quæ in Speculo hocce narrantur, ejusdem furfuris eſſe, nihilque probati in eo reperiri. Cùm enim ex mille, trecentis, & ſeptuaginta quinque hiſtoriis, quas recentior auctiórque Speculi editio complectitur, non paucæ ex idoneis, ſæpe etiam ſynchronis, Auctoribus depromptæ noſcantur, legitimam aut certè non improbabilem fidem ea pariter apud lectorem facere poterunt, tantúmque hujus Speculi valebit auctoritas, quanta eorum fides & ætas extiterit, è quibus ea Speculi compilatio facta. Neque, ſi lectori quæpiam videantur inſolita, idcirco eſſe deſinent vera: ſi videlicet gravium, maximè verò coævorum aut ſubæqualium teſtium aſſertione firmentur, neque aliunde falſitatis ea poſſint convinci.

SPECULUM SAXONICUM. Iſtud Saxo quispiam nobilis, *Rebkau*, *Ribicow*, *Ebko*, *Eyke*, & *Eckhardus* multifario nomine dictus, juſſu Comitis SPECULUM SAXON.

mitis Hoyeri de Falckenſtein compilâſſe, ipſósque triginta annos hoc in opere inſumpſiſſe (aut perdidiſſe) narratur. *Prima* ejus editio curata eſt Lipſiæ A. 1488.: *altera* Auguſtæ Vindel. A. 1516.: *Tertia* rurſum Lipſiæ A. 1528., unà cum Bulla Gregorii XI. ſuper XIV. Articulis reprobatis, item cum aliis articulis in Concilio Baſileenſi rejectis: *Quartò* demum Speculi hujus Excerpta quæpiam dedit Goldaſtus T. II. Conſtit. Imper. à p. 126. Alius verò fuit, qui huic Speculo ſua pariter Scholia atque gloſſemata addidit; unde hic quidem *Gloſſator*, Speculi verò Author *Speculator* à Kranzio nuncupatur L. II. Saxoniæ Cap. XXI. Vario hactenus in pretio hoc Speculum fuit: apud quospiam *multo* (devergente præprimis Seculo XIV) apud alios *aliquo*: apud non paucos, Criticos maximè & orthodoxos, *nullo*; & meritò quidem. Sive enim leges ipſas, quarum farraginem hoc Speculum exhibet: ſive hiſtoricas, quibus reſpergitur, narrationes conſideres: non modò genuinam fidem & ſinceritatem, ſed & puri dogmatis plurimùm in eo deſiderari agnoſces. Certè Fridericus de Berger (quantumvis Acatholicus) cùm in Henrici Cocceij Jurisprudentiam publicam ſuas animadverſiones Lipſiæ ederet Anno 1724., mox in earum præfatione illud in Cocceio reprehendit, quòd Vir hic Illuſtris & ceteroquin eruditus ex Speculis, *Saxonico* ac *Suevico*, argumenta ſua petiêrit, iísque *ſingulares* ſuas opiniones nimis incongruè muniêrit ac confirmarit. Dein ita pergit: *Id ſaltem confidentiùs adſtruxerim, Speculorum utrumque multa complecti, quæ haud idonea nitantur ratione, & præſertim* Saxonicum *mirifica vulgarium nugarum copiâ abundare, maximè in Juris publici ſcientia, ubi Compilator ſæpiùs riſu explodenda, nec ad Controverſias Illuſtres decidendas accommodata, haud levi infirmi judicii ac ſupinæ ignorantiæ indicio congeſſit, quandoque etiam in Cæſaris Majeſtatem temerario auſu invectus.* Rurſus pag. 4. ait: *Speculis iſtis in rebus publicis nulla fides adhibenda; Ea, quæ enarrantur, inepta valdè ſunt: ut obſervantiam hinc probaturus, vix ſit audiendus.* Eandem Speculatoris ineptiam affirmat Bergerus p. 172. 185. 186. 187. 236. 254. Magis autem Speculi hujus auctoritatem exſufflat *Kranzius*, qui L. II. Saxoniæ toto capite XX. tam Speculatorem quàm Gloſſatorem, *indoctæ, ineptæ, & puerilis loquacitatis*, plurimarúmque *fabularum* apertè accuſat atque convincit. *Conringius* (qui lib. de Origine Juris German cap 30. demonſtrâſſe ſe autumat, Speculum iſtud ante Annum 1235. fuiſſe confectum) etſi ſæpiùs illud in rem ſuam adhibeat, nihilominus tum alibi, tum in eodem L. de Origine Juris cap. 13. 29. 30: tum & in VI. Exercitatione de Republica Imp. Germ. theſi 90., *Speculum iſtud cum gloſſa ſua tantùm non infinitis ſcatere fabulis* oſtendit.

dit. *Gundlingius* contrà in Hiſt. Imper. quanquam & ipſe p. m. 628. Speculatoris hujus de Calphurnia nugas explodat, rurſúmque pag. 680. multas huic Speculo fabulas ineſſe non neget: illud tamen non modicum utilitatis ad hiſtoricam veterum legum, tum præcipuè Saxonicarum, tum & aliarum notitiam conferre exiſtimat p. 679. 680. 681. Licèt enim publica Saxonum aut Imperatorum auctoritate compilatum illud haud fuerit, ad privatos tamen Jurisconſultorum uſus perinde, atque hodie Carpzovii aut Mevii Commentarios, pro forenſibus quà privatis quà publicis Saxoniæ cauſis aliquando ſerviiſſe Gundlingius arbitratur, addítque, videri ſibi, quòd Rebkovius Speculi ſui Saxonici leges potiſſimùm ex Codice Juris Suſatiæ (quod Fridericus Barbaroſſa Lubeccenſibus confirmavit) collegerit atque tranſcripſerit. Vid. *Gundling.* l. c. p. 533. 534. §. 134. ubi de *Jure Suſatiæ.*

Qualenam verò, jam ante IV. Secula, Orthodoxorum, & Romani præprimis Pontificis, de hoc Speculo judicium fuerit, narrat *Spondanus* T. I. Contin. Annal. Baron. ad A. 1374. n. 2. ex Spondano *Græveſonius* P. II. Hiſt. Eccl. T. V. Colleg. III. p. m. 102. col. 2. maximè autem *Odoricus Raynaldus* T. XVI. Annal. Baron. ad A. 1374. n. 12. cujus verba hìc reddo. „ Inficere etiam tum Germaniam molie-
" bantur nonnulli impii, qui commentarios nequiſſimos, inſcriptos:
" *Leges ſeu Speculum Saxonum*: edidêre, cùm Gregorius XI., ne Pon-
" tificali deeſſet muneri, ad offuſas ſimplicibus populis hæreſum te-
" nebras veritatis luce diſcutiendas, Cardinales aliósque peritiſſimos
" Viros coëgit, notavítque ſingulos errores juſtâ cenſurâ. Tum
" Germaniæ, Livoniæ, Boëmiæ, Galliæ pluribus Archiepiſcopis &
" Epiſcopis ad fidem propugnandam ſtimulos addidit, ac denique
" Carolum (IV.) Imperatorem, ut pro animarum Salute promoven-
" da ac moribus expoliendis operam explicaret, eſt adhortatus:

Carolo, Romanorum Imperatori ſemper Auguſto. Fili Cariſſime, jam longum eſt tempus præteritum, quod de erroribus & execrabilitate quorundam Scriptorum deteſtabilium, quæ leges ſeu SPECULUM SAXONUM *appellantur, quibúsque nonnulli de partibus tuorum imperii ac regni & terrarum uti ſeu potiùs abuti dicebantur, per fide dignas & intelligentes perſonas fuimus informati: & petitum fuit à nobis, ad quos ſpectat in talibus providere, ut ſuper eis ad ſalutem animarum proviſionem adhibere congruam dignaremur. Nósque Scripta ipſa maturè vidimus, & per nonnullos tam fratres noſtros S. R. E. Cardinales, quàm alios in Sacra Theologia ſolemnes Magiſtros, ac utriusque Juris Doctores, examinari fecimus diligenter: & illa ex eis, quæ falſa, temeraria, iniqua, injuſta, & in quibusdam hæretica & ſchiſmatica*

&

& contra bonos mores exiſtentia, periculoſáque nimiùm animabus fore reperimus; Auctoritate Apoſtolica reprobavimus, damnavimus, ac decrevimus irrita & inania, ac carere omni robore firmitatis: prout in noſtris literis inde confectis (quarum tenorem mittimus præſentibus incluſum, quásque Venerabilibus Fratribus noſtris, Moguntino, Colonienſi, Remenſi, Magdeburgenſi, Pragenſi, & Rigenſi Archiepiſcopis, eorúmque ſuffraganeis dirigimus) videre poteris pleniùs contineri. Quare devotam Excellentiam tuam, quæ Sancta, juſta & honeſta veneratur & colit, & contraria deteſtatur, requirimus & rogamus attentiùs, quatenus in publicatione dictarum literarum, & ut pareatur contentis in eis, digneris pro reverentia DEI ac Apoſtolicæ Sedis & noſtra, dictáque animarum Salute & reformatione morum Imperialis & Regalis poteſtatis favorem efficaciter impertiri. Dat. Avenione Idibus Octobr. Anno IV. Excerpta eſt hæc Epiſtola ex Tomo IV. Epiſt. Secret. pag. 62.

Addit Spondanus, quòd Gregorius Speculum iſtud flammis addixerit. Menkenius verò & Iſelinus in Lexicis ajunt, quòd quatuordecim præcipuè Speculi hujus Articulos damnârit Gregorius, Concilium dein Baſileenſe A. 1431. plures adhuc alios inde eruerit atque proſcripſerit, qui communiter *Articuli reprobati* ſolent compellari. Veroſimillimum tamen exiſtimaverim, quòd Rebkovii Speculum, ſicut intra ſeſqui-Seculare ſpatium à pluribus fuit deſcriptum, ita à variis audaculis aut pſeudo-Catholicis peſſimè fuerit interpolatum & auctum, eo præcipuè tempore, quo ſub ejusdem Gregorii XI. Pontificatu jam alii Novatores phantaſtici, ùt Milizius &c. peſtilentia ſua dogmata per Bohemiam atque inde per Germaniam in Romanæ Sedis odium atque contemptum diffudêre.

SPECULUM SUEVICUM

SPECULUM SUEVICUM. Rectè de illo Conringius T. VI. Operum de origine Juris Germ. c. 30. p. 160. *Nec de Suevici Juris Provincialis ac Feudalis Speculo certè aſſerere licet, aut quo Auctore, aut quando cœperit.* Melchior quidem Goldaſtus præfat. in Tomum I. Conſtitut. Imperial. (cui Operi Suevicas illas leges inſeruit) narrat, ſibi relatum, Bertholdo Barone de Grimmenſtein *Auctore* Speculum aliquod Suevicum fuiſſe conſcriptum: non audet tamen illius vulgati Speculi Suevici parentem hunc nuncupare, cùm & in editis & in MSS. Codicibus, ſibi viſis, nomen omne deſideretur. Neque de Speculi hujus *ætate* inter ſe conveniunt Auctores; *Iſelinus* enim in Lexico tanquam certum aſſumit, quòd inter Annos 1230. & 1290. Speculum iſtud natales ſuos acceperit: neque diſſentire videtur *Lambecius*, qui in Comment. de Biblioth. Vienn. l. 2. Cap. VIII. Cod. 140. Speculum Suevicum jure Saxonico antiquius eſſe defendit, & de celeberrimo hujus Speculi Codice *Ambraſiano* (qui ſcilicet ex notiſſimo Tyroleos caſtro,

caſtro, *Ambras* dicto, in Viennenſem Cæſarum Bibliothecam fuit translatus) teſtatur, jam à Rudolphi I. temporibus uſque ad Maximilianum I. Archiduces Auſtriacos hujus Speculi uſum in cauſis publicis atque judiciariis ſibi habuiſſe familiarem. Similiter *Bergerus* in Animadverſ. ad Cocceii Jurisprudentiam p. 185. aſſerit, Jus Alemannicum multò anterius eſſe Saxonico: quódque Speculator Saxonicus Speculatorem Suevicum circa Electorale Bohemiæ Regis ſuffragium ineptè intellexerit atque exſcripſerit. *Schannatus* Fuldenſis, qui in Collectione Veterum Scriptorum ac Documentorum P. I. (germanicè edita Francofordiæ A. 1727.) ex vetuſtiſſimo quopiam MS. Ingolſtadienſi *Jus Provinciale Alemannicum* publicârat, illud cum Speculo Suevico plurimùm convenire affirmat, ſi ordinem atque Orthographiam excipias: illudque Interregni tempore, poſt Friderici II. obitum ſi non conditum, certè renovatum eſſe conjectat, ſimul autem illorum ſententiam reijcit, qui originem ejus jam in Anno 1208., ſcilicet Othonis IV. temporibus, quæſiêre.

Ex adverſo Conringius, qui Speculum Saxonicum Suevico vetuſtius facit, loco antè cit. ita pergit: „ Ad tempus quod attinet, „ affirmaverim pene, ſeculo demum XIV. librum illum (Speculum Suevicum) elaboratum eſſe. Námque lib. 1, c. 358. ita ſcribi„ tur: Wir leſen auch, das Innocentius der Pabſt Entſaz Kayſer „ Otten von dem Römiſ. Reich, durch andere ſein Unrecht. Nar„ rantur itaque Ottonis IV. & Innocentii III. res, ùt vetuſtæ & non „ niſi lectione acceptæ. Friderici II. mentio fit in Epilogo libri II.: „ uſus Decreti & Decretalium in Foro L. I. Cap. V. De Papæ ta„ men in Cæſarem auctoritate paſſim ita auctor loquitur, ùt mos „ non tulit Ludovico Bavaro imperante. Itaque fortè paulò ante „ illius tempora Codex hic ſcriptus eſt. . . . Videtur autem (Spe„ culi Auctor) omnino imitatus Speculum Saxonicum, ne quidem „ dubitans integra Capitula ad verbum inde deſcribere: ne à titulo „ *Speculi* quidem voluit abſtinere. Quanquam ille (titulus) & aliis „ illius temporis Scriptoribus arriſerit, ùt Vincentio Belluacenſi, „ Guilielmo Durantis, Maranthæ, aliis. Jura quoque ipſa non „ multùm diſſident, niſi ſucceſſione hæreditatum, & appellationi„ bus: quod ſcribitur Speculi *Saxonici* L. I. Tit. XVII. XVIII. XIX. „ & L. I. Speculi *Suevici* cap. CCCXCIII. §. 2. *Hæc Conringius* T. VI. Operum p. 160. cap. 30 de Orig. Jur. Germ. cujus opinionem notator *Goebelius* lit. e. ad dictum Conringii locum: item *Schilterus* in præfatione Codicis feudalis Alemannici & *Struvius* in Hiſtoria

Juris cap. 6. §. 30. quoad Saxonici Speculi præ Suevico antiquitatem pariter amplectuntur.

Sive autem Speculator Saxonicus Suevicum, ſive hic illum anteceſſerit: illud in comperto nunc eſt, quòd Speculi Suevici uſus noſtro tempore plurimùm exoleverit, poſtquam jus Juſtinianeum ſive Romanum ubique prævaluit, aut ſuum quævis Provincia & Germaniæ Ordines peculiare jus patrium & conſuetudinarium recentiùs introduxêre. Teſtatur tamen Goldaſtus, quòd ſua adhuc ætate apud Algojos, Helvetos, Griſones, Valeſios, Sabaudos atque Burgundos Speculum iſtud non parùm viguerit. *Harprechtus* Kilonienſis omnem Speculi Suevici uſum Germanicis Terris abjudicat in lucubratione, cui titulus: *Speculi Suevici, & præſertim Juris Feudalis Alemannici in foris Vicariatûs Suevo-Franconico-Palatini non uſus moderni.* Nec minùs hujus Speculi fidem extenuat Auctor Anonymus des Bayriſchen Gegenberichts (adverſus Vicariatum Palatinum) pag. 6. ubi ad Simonis Schardii teſtimonium provocat: item pag. 22. der wohlgegründeten Widerlegung vermeinter Haidelbergiſcher Rettung des Churpfälziſchen Vicariats: ubi Speculi hujus (prout A. 1566. Francofordiæ recuſum eſt) novitas ex eo arguitur, quòd complura, à promulgatæ primùm Aureæ Bullæ temporibus recentiùs introducta, in eodem contineantur. *Bergerus* loc. ſuprà cit. p. 185. ejusdem Speculi auctoritatem in controverſiis, ad jus publicum pertinentibus, decidendis non minùs reijcit, quàm Saxonici. Ceterùm legentibus apparet, etiam Suevos multa tum Carolo M. attribuiſſe, quæ minimè ab eo profecta videntur. Ipſe tamen Speculi Auctor lib. 1. cap. 5. profitetur, Opus hoc ex jure ſcripto & conſuetudinario à ſe fuiſſe collectum. Et verò ex ipſis legibus Romanis nonnulla tranſcripſit libro primo, ſed, ùt Conringius l. c. notat, ſæpiùs perineptè. Sic. v. g. c. 61. *Marcianus* Jurisconſultus Speculatori audit *Marcellus*: & cap. 377. *Hadrianus* Cæſar illi dicitur *Magiſter*.

Primam Speculi hujus Editionem Argentorati A. 1505. produxit Mathias Hupfauf; quam ſecutus etiam eſt Goldaſtus in ſuis Conſtitut. Imperialibus. Aſt cùm imperfecta admodum ea crederetur, quòd in multis à Codice Ambraſiano deflecteret (ex quo tamen illa deprompta prætenditur) idcirco aliam ſubſtituit Sebaſtianus Meichsnerus Francofordiæ A. 1566. quæ Argentinenſi præfertur.

STRUVIUS. STRUVIUS Burckhardus Gotthelfius, Juris & Hiſtor. PP. Jenæ in Thuringia, complura ingenii ſui monumenta reliquit, quæ non modò Viri pereruditi, ſed & omni laude digniſſimi prærogativam etiam apud Orthodoxos ei poterant promereri, niſi ideis proteſtanticis calamum

ſubin

ſubin imbuiſſet, & intempeſtiva calumniandi libidine ſagaciores lectores offendiſſet. Unum duntaxat illius Volumen, at vaſtum, hìc nomino, quod ita inſcribitur: *Burcardi Gotthelfii Struvii Corpus Hiſtoriæ Germanicæ. Jenæ, ſumptibus Joannis Felicis Bielkii A. MDCCXXX.* Quo ex opere ut paucula referam, ita ſcribit I. pag. 125. §. 9. *Inter ſe diſceptant Proteſtantes atque Pontificii, an* (Carolus M.) *horum vel illorum religionis dogmata ſit ſecutus. Verùm licèt ipſum externa profeſſione fuiſſe Chriſtianum minimè ſit denegandum: hoc etiam certum, ipſum Jus Sacrorum in Controverſia imaginum exercuiſſe, atque Synodum inſtituiſſe. .. Præterea templa extruxit, Eccleſias dotavit, ornavitque, neque tamen exinde veræ pietatis cultus demonſtrabitur, cùm potiùs omnes ejusdem actiones de ipſius ambitione teſtentur atque cupiditate dominandi, quæ etiam bellum Saxonicum concitavit; ſi quid præterea, ex prudentia factum fuit politica. Epiſcopatus verò & ſcholas inſtituit, minimè ex pio zelo, ſed potiùs ut feroces mitigaret Saxonum ſpiritus. De ipſius libidine ſatis teſtantur diverſæ concubinæ.* Ita ſcilicet Momus hic acutiſſimus poſt novem denique ſæcula etiam intimos Caroli ſenſus audet rimari, & contra omnium ſynchronorum teſtium fidem ex laudatiſſimo hactenus Principe non jam Chriſtianiſſimum, non Romano-Catholicum, non Sanctum, ſed hypocritam pſeudo-politicum fingit! II. pag. 319. §. 27. ita grallis incedit Oratio: *Tandem verò ingens iſtud cum Gregorio VII. Pontifice malum fuit ſubortum. Scilicet poſtquam VULPINA calliditate Pontificatum fuiſſet adeptus atque Imperatoris conſenſum impetrâſſet HOMO FLAGITIOSUS, ſtatim caput efferre cœpit, publicis edictis cœlibatum Clericorum inducere conatus, ſimoniacos Epiſcopos removeri volebat. Imò ſuper ipſos Reges nimio auſu ſe extollens* &c. En! quàm Icario auſu ſuper ipſummet Pontificem Sanctiſſimum, & cœleſtibus prodigiis certò illuſtrem, fauces efferat Rhadamanthus hic Proteſtanticus! quas vulpes in Gregorium effutiat novus hic Demoſthenes! quàm Cyclopia verba, quod flagitioſi hominis indolatum Epitheton in Summum Eccleſiæ Caput, illúdque unanimi ſynchronorum ore pientiſſimum, procudere auſit cœcus iſte Pyracmon! Num Gregorius, an verò Struvius homo flagitioſus? quia integerrimi Præſulis mendaciſſimus hoſtis, Clericorum uxoratorum Patronus, Eccleſiaſticæ continentiæ oſor, ſimoniacorum Epiſcoporum cauſidicus. Et quæ denique hominum monſtra ex heterodoxis ſuis Lutheróque devotis Sæculi Principibus exſculpet Polycletus hic Struvius, ſi ex ipſomet univerſalis Eccleſiæ Summo Principe (quem omnes ejus ætatis orthodoxi Scriptores & Epiſcopi, etiam ſanctitate & miraculis conſpicui, ſummopere coluêre, & hodiedum ùt Sanctum Eccleſia colit) ipſe hominem vulpinum, hominem arrogantem ac temerarium, hominem denique flagitioſum,

tornare audaciſſimè novit? III. pag. 977. §. XI. hæc fabulatur delirus: *In hoc curſu cùm eſſet Lutherus, circumferuntur venales Indulgentiæ in Saxonia à Joanne Tetzelio Dominicano, impudentiſſimo ſycophanta, cujus impiis & nefariis concionibus irritatus Lutherus ſtudio pietatis ardens edidit propoſitiones 95. de Indulgentiis* &c. Hoc niſi ſit ſycophantari, quid tandem erit? Tantô videlicet pietatis ſtudiô arſit Lutherus, ut etiam erga apoſtatricem Monacham arſerit, & in Comitiis poſtmodum Wormatienſibus Anno 1521. *tanquam obſtinatus Schiſmaticus & notorius hæreticus* totô Imperio proſcribi meruerit, decreto ſubſcribentibus Imperatore Carolo V., Electoribus Sex, Eccleſiaſticis Principibus triginta, Secularibus Principibus triginta tribus, Abbatibus viginti duobus, Comitibus & Baronibus triginta duobus, Civitatibus Imperialibus triginta novem. IV. pag. 1080. §. 104. Religionem ſuam Proteſtanticam ſpecioſo iſthoc nugamentô fulcit atque ſolatur Struvius: 21. *Sept. A.* 1558. *ſumptâ ſacrâ Euchariſtiâ ſub utraque, in ſolo Salvatore ſpem omnem ſalutis collocans (ideóque Evangelicæ veritatis convictus fuiſſe dicitur) . . . . fuit extinctus* Carolus V.; in ſubjectis verò notis eandem Caroli mortem Evangelicam ſeu Proteſtanticam uberiùs deducit Struvius; pag. demum 976. in Sectionis quartæ Summario §. CIV. ita dicitur: *Vita Caroli in Monaſterio, Mors Evangelica.* Cujus ſanè fabulæ proterviam Auguſtiſſima Domus Auſtriaca non execrari non poteſt. Præter alios commentum hoc refutavit *P. Ignat. Schwarz* S. I. P. V. Colleg. Hiſt. à pag. 348. ad 361. Atque hæc paucula Struviani calami fermentum oppidò Proteſtanticum abunde jam produnt.

SURIUS. SURIUS Laurentius, Carthuſianus, qui humanis rebus exemptus eſt Coloniæ A. 1578., præter SS. Patrum Sermones atque Concilia, à ſe collecta atque in plurium Voluminum Ordinem digeſta, etiam *Sanctorum Vitas* è Veterum Scriptis erutas publicavit, quæ ſex Tomos conficiunt. Optandum verò fuerat, ut (quod alibi in voce: *Metaphraſtes*: p. 276. jam monuimus) haſce Vitas, quales apud primævos Scriptores repererat, tales etiam Surius non immutatas relinqueret, neque ornatiorem recentioremque calamum ſuum in iis non rarò ſubſtitueret. Quòd enim primigeniam dictionem ac ſtylum perſæpe non obſervaverit, aliqua etiam addiderit ac ampliârit Surius, paſſim reprehendunt *Hagiographi* noſtri Antverpienſes, & *Pagius*. Vid. ſuprà p. 276. l. c. Unde Surianas Sanctorum Vitas cum genuinis apud eosdem Hagiographos Actis multoties conferri oportebit, ut certa ab incertis, & à recentibus vetera rite poſſint diſcerni. Edidit quoque Surius *Commentarium brevem Rerum* ſua ætate *in Orbe geſta-*

geſtarum ab Anno MD. ad A. MDLXXIV.: inde vel maximè commendandum, quòd & ſynchronus fuerit Auctor, qui ſcripſit: & ſolidum veritatis ſtudium, quô ſcripſit. Non defuêre quidem, quos acriter Commentarius iſte momorderit, quique non pauca in Opere hoc improbârint, ùt etiam Menkenius in Lexico Eruditorum obſervat. Verùm Criticis hiſce obtrectatoribus jam ipſe Surius dudum occurrit in Epiſtola ſua nuncupatoria ad Illuſtriſſimum Albertum Comitem Palatinum Rheni & V. B. Ducem; quæ quòd etiam aliis Hiſtoriarum Scriptoribus orthodoxis atque Eccleſiaſticis hodiedum apprimè ſerviat, eandem huc ex Parte tranſcribo. *Interim* (inquit Surius l. c.) *ad me perfertur, non deeſſe, qui dicant, parùm decuiſſe Carthuſianum ſcribere hiſtoriam: alios etiam, qui me putent pluſculum indulſiſſe affectibus: nonnullos verò, qui me etiam maledicum vocent. Quibus omnibus ut breviſſimè ſatisfaciam, nôrint primi, me non facilè hanc ſcribendi provinciam ſuſcepturum fuiſſe, ſi vel ipſi eam ſuſcipere, vel alios doctiores, ut ſuſciperent, adhortari voluiſſent. Porro Alii id certum habeant, me nihil aut odio cujusquam aut amore ſcripſiſſe ſecus, quàm haberet rei veritas, quantum equidem ſcire potui: nec debet mihi vitio verti, ſi laudavi præclarè de Republica Chriſtiana meritos, & acriùs interim perſtrinxi proditores & perditores inclytæ Germaniæ noſtræ: quales ſunt ii, qui ſub prætextu Evangelii & puræ doctrinæ teterrimos errores, & jam olim damnatas hæreſes in orbem invexerunt. Poſtremi autem, qui me maledicentiæ inſimulant, deſinant, oro, eſſe Schiſmatici: deſinant populum Chriſtianum, Chriſti JEſu pretioſo ſanguine redemptum, in errores inducere: deſinant atrociſſimè & impiiſſimè lacerare ac proſcindere Chriſti Catholicam Eccleſiam, Romanos Pontifices, Sacramenta & Inſtituta Eccleſiæ, & id genus alia: deſinant dicere bonum malum, & malum bonum, redeántque ad pacem & unitatem filiorum DEI; & tum ſentient, me, etſi nonnunquam aſperiùs ſcripſiſſe videar, tamen longè fuiſſe modeſtiorem, quàm res ipſæ poſcere viderentur. Atque his ego in præſens reſponſum eſſe velim iis, quos ſuprà dixi. Nam prolixè contendere mihi ſanè integrum non eſt. Quanquam quod ad poſtremos attinet, qui me maledicum vocant, poſſem facilè oſtendere, ſi mea ſcripta cum aliorum ſcriptis conferantur, illos ſe potiùs quàm me perſtringere voluiſſe. In iis enim eſt Caſparus Peucerus Melanchtonis gener, qui in ſuo illo Quinto Carionis libro, dum eum Illuſtriſſimo Saxoniæ Electori Auguſto dedicat, adeò furioſus & rabidus in me incurrit, ut non modò ſcurram ſed etiam blaſphemum filii DEI hoſtem me vocet, nec dicere vereatur (quod tamen docere nunquam poterit) me impudenter res manifeſtè veras calumniari ac depravare. Tum verò in ipſa Hiſtoria tam impotenter incurrit in Summos Pontifices, quorum odio iſti infelices & miſeri deflagrant, ut ſanè belliſſimum & germaniſſimum Lutheri diſci-*

pulum ſe probet. Dolet ſcilicet Viro Evangelico, quòd fraudes, mendacia, antilogiæ, mutuæ eædémque acerbiſſimæ diſſenſiones, contentiones, odia pluſquam Vatiniana, novi hujus Evangelii buccinatorum in mea hiſtoria annotantur, & identidem veriſſimè commemorantur. . . . . Hæc & ejus generis alia cùm nos citra ullum mendacium ex ipſorum editis libris proferimus, maledicos nos vocant, & blaſphemos hoſtes filii DEI. Cùm autem illi immaniter conſpuunt, & calumniantur etiam optimos & Sanctiſſimos Pontifices, Sacramenta & Inſtituta Eccleſiæ Catholicæ aliáque ſimilia: non ſolùm non maledici, ſed etiam egregiè Evangelici videri volunt. Sed tamen utcunque ſæviant & tumultuentur Viri optimi, veniet quandoque ille dies, ut intelligant homines, quàm luculenter ſub Evangelii ementita ſpecie ipſis impoſitum & illuſum adhuc ſit ab ipſis. Atque ut id faciliùs poſſint, operam dedi, ut in meo hoc qualicunque Commentario doctrinæ inconſtantiam, fœdiſſimas antilogias, atrociſſimas altercationes, & his conſimilia multa, quæ in noſtris Evangelicis dogmatiſtis & præconibus viſuntur, diligenter Lectori ob oculos ponerem, & quædam etiam identidem inculcarem, ut magis moveant, & tenaciùs animis affigantur. Nec ego vel tantilli facio, hoc nomine à Peucero me maledicum appellari. Ille enim non didicit aliud à ſuo Luthero & Melanchtone, quàm Monachis maledicere, & monachos calumniari: quemadmodum etiam præclarè facit, dum in eadem ſua Epiſtola dedicatoria monachos vocat deploratum & profligatum genus hominum; quaſi verò neſciat Monachorum inſtitutum ſemper omnibus ſeculis, præcipuè apud Chriſtianos atque etiam potentiſſimos Reges & Principes fuiſſe venerationi, adeò, ut etiam Magnus ille Conſtantinus, teſte Athanaſio, & ejus liberi, Conſtans atque Conſtantius, crebrò ad S. Antonium quaſi ad Patrem ſcripſerint, & tum illorum favor, ut idem ait, tum omnis aula regalis illum celebrârit. . . . Eat ſanè Peucerus, & maledicat Monachis: nos interim ejus maledictis nihil prorſus abſterriti, pergemus DEO propitio hominibus oſtendere malas artes, portentoſam vanitatem, impias hæreſes, turpiſſimas antilogias, immania aliorum in alios convicia, & id genus alia pulcherrima emblemata fratrum Evangelicorum. Quòd ſi id Peucerus ferre non poteſt, ſeparet ſe ab illorum hominum Sodalitio, redeatque ad Eccleſiam, & ejusmodi noſtro labore etiam gratulabitur. Hæc & his plura Surius, ad ſui quidem unius vindicias, ſed quæ etiam aliis Eccleſiaſticis & verè Romano-Catholicis Scriptoribus poſſint eſſe communes.

T.

TAMAYUS. TAMAYUS Salazar, elapſi proximè Seculi Scriptor Hiſpanus, qui vitæ ſcriptionique finem impoſuit A. 1662., inter alias lucubrationes

brationes historicas compilavit grande *Martyrologium Hispanicum*, non alio tamen hujus operis præmio, quàm quòd ipse quidem bonas horas pessimè collocârit, se verò omnium eruditorum, etiam Hispanorum (inter quos maximè Nicolaus Antonius in sua Bibliotheca Hispanica, & Cardinalis Aguirrius) ludibrio exposuerit, Vir *credulus, miserè simplex, & Pseudo-Chronicorum æstimator immodicus*, prout à Pinio nostro vocatur in Actis SS. Tomo IV. Augusti p. 204. n. 473. Potissimus nempe Tamaii labor in id unum incubuit, ut ex infimi titivilitii scriptis & spuriæ notæ pseudologis ipse vastum opus colligeret, & ingentem Sanctorum copiam Hispaniæ suæ vindicaret, de quorum sive origine, sive in Hispania gestis neque per somnium antiquiores Scriptores aut Martyrologia vetera testimonium ferunt. Unde Sollerius T. II. Aug. p. 10. n. 37. & 39. in vita S. Memmii Ep. Conf. rite observat de Tamayo, quòd *fabulatores Hispanicos* (recentiores intelligo Chronicastros, de quibus jam alibi lit. C. verbô: *Chronica Hispanica*: mentionem fecimus) *munificè citet & amplificet innumerarum ineptiarum fœcundus consarcinator Tamayus, artémque suam candidè profiteatur, dum suit & assuit, cerdo utique primæ classis & sutor vetamentarius, cujus segmenta pessimè coagmentata pridem dissolverit Papebrochius* &c. item Tomo VII. Julij in vita S. Seraphinæ p. 38. 39. idem Sollerius: quòd Tamayus in *obscura quæque grassari soleat, & favente Pseudo-Juliano suo geographiam & Topographiam ad nutus suos inflectat.* Sic ut ex densissimo figmentorum agmine quædam solummodo hìc proferam, fingit Tamayus, S. Seraphinam V. & M. patriâ fuisse Hispanam, & ab ipsomet S. Jacobo in Gallæcia conversam: de cujus tamen ætate, patria, gestis atque Martyrio nec antiquum Martyrologium Romanum, nec Baronius, neque Sollerius post solertissimum rei examen quidquam habuêre compertum. *Vid. Acta SS. T. VII. Jul. l. antè cit.* Sic sine legitimo teste Sanctis Hispaniæ annumerat SS. Gabinium & Cajum Pontificem Romanum, fratres Germanos, quasi nati fuissent Matre Serena, Imperatoris Philippi filia, origine Hispana. *Vid. Tom. III. Febr.* pag. 128. n. 1. in Actis S. Gabinii & *T. III. April.* in Actis S. Caii p. 17. col. 2. Sic S. Magnum, primum Faucensis sive Füessensis in Germania & Diœcesi Augustana Cœnobii Abbatem ipse ad Fauces, Vettoniæ in Hispania oppidum, collocat, ibidémque defunctum comminiscitur. *Vid. Acta SS. T. II. Sept.* p. 729. n. 146. Plures Tamaii fabulæ apud Hagiographos nostros occurrunt ac confutantur Tomo IV. Aug. p. 415. n. 7. 8. p. 424. 428. 535. 563. 564. 565. 595. 621. 753. 754. &c. &c. Denique Eminentissimi Cardinalis Aguirrii de Tamaii Martyrologio censu-

ram

ram legere eſt cit. Tomo IV. Aug. tum pag. 415. n. 7. 8. (ubi ait, quòd Hiſpaniæ, imò & Romanæ Inquiſitionis Examen ſibi meritò hoc Martyrologium expoſceret, ut innumeræ fabulæ ex eo reſecarentur) tum & pag. 565. n. 23. in vita SS. Minervii & Sociorum MM., ubi ex Aguirriana Collectione Maxima Conciliorum Hiſpaniæ Tomo I. p. 322. hoc Eminentiſſimi de Tamaii Scriptis judicium Cuperus noſter allegat: *Ex turbidis & feculentis lacunis Joannes Tamayus de Salazar nimia credulitate, & criſi nulla, delibavit aut potiùs coacervavit figmenta innumera iisque implevit ſex illos Tomos ſui Martyrologii Hiſpanici, à vulgo & ſemidoctis receptos cum ingenti plauſu, ſed ſtomachum ac bilem moventes eruditiſſimis quibusque Hiſpanis & exteris. Nec contentus Tamayus aliena commenta ſuis ſcriptis inſerere, adjecit è ſuo plurima tertiò quoque verbò ac præſertim carmina inſulſiſſima, & nec grammatices nec poëſeos leges ſervantia, tanquam olim à Maximo aliisque Viris graviſſimis ſcripta: quæ tamen partim ab ipſo Tamayo, partim ab aliis Convictoribus ejus in domo Illuſtriſſimi D. Didaci de Arce Reynoſo, Inquiſitoris Generalis Hiſpaniarum abſque ullo genio aut ſale compoſita fuerunt.*

THEGANUS. THEGANUS, Seculi noni Scriptor, & Ludovico Pio Imperatori contemporaneus, ejusdem Cæſaris vitam & geſta uſque ad Annum 835., ſuccinctiùs quidem minùsque politè, ſed eo candore conſcripſit, ut *Walafridus Strabo*, ejusdem ætatis Scriptor & Augienſis Abbas, dignum illud Opuſculum judicârit, quod in ſua capita ipſe diſtingueret, ſimúlque præfatione critica cohoneſtaret. Ita verò in Theganum præfatur Walafridus: *Hoc Opuſculum in morem Annalium Thegan, natione Francus, Trevirenſis Eccleſiæ Chorepiſcopus, breviter quidem & verè potiùs quàm lepidè compoſuit. In cujus quibusdam ſententiis quòd effuſior & ardentior in loquendo videatur, ùt Vir nobilis & acris animi, de indignitate vilium perſonarum* (ad ſummas dignitates & Epiſcopatus promotarum) *dolor ſuggeſſit, tacere non potuit. Præterea nimius amor juſtitiæ, & executoris ejus Chriſtianiſſimi Imperatoris, Zeli naturalis exaggeravit dolorem. Unde, quantum ſit, opus ejus pro bona voluntate non faſtidiendum pro quantulacunque ruſticitate. Novimus & nos Virum multa lectione inſtructum, ſed prædicationis ſtudio occupatum. Huic opuſculo ego Strabo quasdam inciſiones & capitula inſerui, quia ſanctæ memoriæ Ludouuici Imperatoris geſta & laudes ſæpiùs audire cupio vel proferre, ut facilius volentibus ſcire, ſingula pateant titulorum compendio.* Ipſe quoque Theganus ſuam, quâ ſcripſit, ætatem apertè indicat, cùm verba non aliter, atque de rebus ſibi præſentibus facit. Nam cap. L. inquit: *Summopere cavendum eſt, ne* AMPLIUS *fiat, ut* SERVI *ſint conſiliarii* SUI (Ludovici Imp.) *quia ſi poſſunt, hoc maximè conſtruunt, ut nobiles opprimant, & eos cum vi-*

liſſima

liſſima propinquitate eorum exaltare ſtudeant; hoc non condecet ſanctæ dignitati ſuæ; quoniam hoc rarò contigerat temporibus ſanctæ memoriæ genitoris ſui, ut aliquis de talibus ad honorem conſcenderet: quin eum maxima tum diſciplina regebat, ne ſuperbire inciperet. Hoc exemplum NUNC *exercere opus eſt; quando in tentatione erat mitiſſimus Principum, hi tales tam moleſti ei fuerunt, qui eis immeritis omnem benignitatem exhibuit. Quid ſubjectis faciant, nulli interrogare opus eſt.* Et cap. 56. poſt enarratam abdicationis vel exauctorationis, in Ebbonem Remenſem Antiſtitem à Patribus decretæ, ſententiam mox ſubjungit: *Quod* ADHUC *omnino emendare opus eſt, quia melius eſt juſtum judicium Sanctorum Patrum exercere in eo* (Ebbone) *quàm falſam pietatem ſub obtentu religionis demonſtrare.* Denique caput LVIII. ſcriptionis ſuæ poſtremum, hac coronide claudit Theganus: *Iſte eſt annus XXII. regni Domini Ludeuuici piiſſimi Imperatoris, quem conſervare & protegere diu in hoc ſæculo feliciter commorantem, & poſt hæc diſcurrentia tempora perducere dignetur ad Societatem omnium Sanctorum ejus Ille, qui eſt DEus benedictus in ſæcula Amen.* Editum hoc Thegani Opuſculum *primò* fuit à Petro Pithoeo inter XII. Scriptores Francicos coætaneos, Pariſiis A. 1588. *Secundò* Francofordiæ ab hæredibus Wechelianis A. 1594. *Tertiò* à Du-Cheſnio Tomo II. Script. Franc. Pariſiis 1636. & 1663. *Quartò.* Argentorati à Boeclero, Kulpiſio, & Schiltero A. 1685. & A. 1702. Refert verò Lambecius lib. 2. Biblioth. Cæſareæ cap. 5. num. 31. extare in Bibliotheca Cæſarea veterem Codicem Hiſtoriæ Thegani Chorepiſcopi Trevirenſis, & in eodem antiqua etiam manu exaratam duorum Annorum Appendicem ad eandem Hiſtoriam; quam proin integram ex eo Codice ibidem publicavit Lambecius, Pagius verò Criticæ ſuæ ſparſim inſeruit. *Vid. Pagius* T. III. Crit ad A. 836. n. 2. 10. & 11. A. 837. n. 3. Simul autem de poſtremo Thegani capite idem Pagius obſervat ad A. 836. n. 8. quòd in Pithœanam Editionem irrepſerit mendum, cùm locò verborum iſtorum: *iſte eſt annus XXIII.* (quæ apud Pithœum hodie extant legendum ſit cum MS. Cæſareo: *iſte eſt annus viceſimus ſecundus*, ùt docet Lambecius lib. 2. Bibl. Cæſar. c. 5. qui illud legerat.

THEODORETUS, Cyri (quod Syriæ oppidum eſt, in Provincia Auguſta Euphrateſia ſitum) ab Anno 423. Epiſcopus, à variis, quibus Catholicum orbem illuſtravit, ingenii zelique ſui monumentis Scriptor clariſſimus, inter cetera lucubravit I. *Hiſtoriam Religioſam*, quæ alio nomine *Philotheus*, aut Hiſtoria Patrum nuncupatur. Eadem latinè reddita unà cum ceteris Theodoreti Operibus prodiit *Coloniæ Agrippinæ* A. 1567. & A. 1617. *Pariſiis* A. 1570. & 1608. Gentiano THEODORETUS.

Herveto interprete. Hanc Herveti editionem secuti sunt Laurentius *de la Barre* in Historia Christiana veterum PPum, A. 1583. Parisiis impressa: *Rosweydus* in Vitis PP. Tomo I. lib. IX. Denique eandem Religiosam Historiam Parisiis A. 1642. inter reliqua Theodoreti Scripta, quæ IV. Tomos constituunt, Tomo III. græco-latinè vulgavit *Sirmondus* noster, cujus interpretationem, utpote aliis clariorem, sequitur Cuperus in vita S. Jacobi, Nisibeni Episcopi. Vid. *Tomum IV. Julij* in Actis SS. p. 41. n. 60.

n. 2. Indubitatum verò Theodoreti opus esse *Philotheum*, ex eo manifestè conijciet Lector, quòd non modò *Evagrius* l. 1. c. 13. ubi de Symeonis Stylitæ Vita, per Theodoretum conscripta, meminit, sed & ipse multoties Theodoretus illud in Historia sua Ecclesiastica laudet, & lectorem eò remittat. Sic l. 1. Hist. Eccl. c. 7. (Edit. Colon. Agripp.) de Jacobo Nisibeno Præsule verba faciens, ita ait: *qui & excitavit mortuos ... & infinita alia edidit miracula, quæ in hoc rursus Opere inserere supervacaneum arbitror, præsertim cùm sint à me in Historia, quæ* PHILOTHEUS *inscribitur, commemorata.* Similis locutio occurrit lib. 2. hist. Eccl. c. 30. l. 3. c. 19. l. 4. c. 23. c. 25. & 26. item in Epistola ad Eusebium Ancyranum. Heterodoxi quidem (ut procaciissimus Calvinista Rivetus, & Symmystes illius Hottingerus) audaciissimè blatiunt, fabellas quasdam adeò ineptas tam in Historia hac Religiosa quàm Ecclesiastica recitari, ut vix sibi persuadeant, ejusmodi deliria vero Theodoreto placuisse, ideóque pro suppositititiis nugatorum additamentis meritò fore habenda. Ast quid mirum? *animalis homo non percipit ea, quæ DEI sunt.* Hic ipse nimirum Philotheus, seu Historia PPum (quorum agones spirituales jam sæculo V. conscripserat & partim ipse spectârat, partim ab iis audierat Theodoretus, *qui viderant, Viris virtutis amantibus, dignisque habitis, qui illos viderent, & eorum doctrinâ fruerentur*) præclarè temporum illorum doctrinam disciplinámque orthodoxam demonstrat de Invocatione Sanctorum, Reliquiarum cultu, erectione templorum in memoriam Martyrum, Oratione pro Mortuis, Miraculorum patratione, spontaneisque corporis afflictionibus: quæ utique fanatici spiritus aut delicatula caro vehementer abhorrent. *Vid. Labb.* T. II. de Script. Eccl. verbô: *Theodoretus* p. m. 392. 393. *Nat. Alex.* T. V. Hist. Eccl. Cap. IV. art. 28. p. 149. *Pagius* T. II. Crit. ad A. 444. n. 14.

n. 3. De *tempore*, quo Philotheum suum in lucem emiserit Theodoretus, advertit Pagius l. antè cit. illud in Annum 444. vel 443. debere referri; id quod Garnerius in Auctario operum Theodoreti, sive

ſive Tomo V. (quem ad priores IV. Tomos Sirmondianos idem Garnerius poſtea adjecerat) hac ratione oſtendit. *Jacobus* ille admirabilis, quem Theodoretus cap. 21. Philothei laudat, exerceri cœpit, quo tempore Iſauri vicinas regiones populabantur. Populatos anno CCCCV. tradit Marcellinus in Chronico: Theodoretus autem ait, *Jacobum* trigeſimum octavum exercitationis annum expleviſſe, cùm Hiſtoriam Religioſam ſcriberet: *Initorum*, inquit, *ſub dio certaminum ipſius* (ſcilicet Limnæi) *& magni Jacobi idem eſt temporis ſpatium; octavum & trigeſimum annum jam expleverunt.* Scripſit igitur Theodoretus Hiſtoriam illam anno 444., ſive anno trigeſimum & octavum jam expletum conſequente. Hinc patet, Valeſium (cujus verba Pagius ad A. 443. n. 8. exhibet) valde fuiſſe deceptum, cùm ſcribit, Theodoretum ab anno 436. uſque ad ſuum domeſticum exilium, ſive uſque ad A. 448. (quô Cyri ſe continere eſt juſſus) à libris ſcribendis penitus abſtinuiſſe. Vid. *Pagius* ad A. 443. à num. 3. ad n. 10. & ad A. 448. num. 3.

n. 4. Præterea Garnerius l. c. ſive T. V. Operum Theodoreti Diſſert. 2. in obſervationibus ad ſingula capita Philothei fol. 200. in eam, quæ de ſubito Arii interitu per S. Jacobi Niſibeni preces impetrato cap. 1. Philothei in editione Sirmondiana Tomo 3. & apud Lipomanum in Vitis SS. Tomo II. legitur, hiſtoriam ſequentia notat: *Circa primum caput, quod de Sancto Jacobo Niſibeno eſt, obſervandum eſt primò, memoriâ lapſum eſſe Theodoretum in iis, quæ de morte Arii ſcribit: Ait enim Niceæ periiſſe ſtatim à Concilio, Jacobo jejunium omnibus perſuadente; cùm Alexander Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopus renueret hæreſtarcham recipere. Atqui conſtat certis teſtimoniis, Arium CPoli periiſſe decimo poſt Concilium anno, Jacobo procul poſito, Alexandro CPolis Præſule renuente Arium in Eccleſiam recipere, Macario Alexandrino presbytero preces ſuas Præſulis CPolitani precibus adjungente. Videndus Socrates lib. I. cap. XXV. Sozomenus lib. II. c. 28.: & Theodoretus ipſe lib. I. hiſt. Eccl. ubi ſuum hujusce loci errorem allatis Athanaſii rem totam narrantis literis ad Apionem tacitè revocat. Mirum profectò, tantum Theodoreti errorem non fuiſſe obſervatum à Baronio Viro tam perſpicaci. Mirum quoque, per incogitantiam à Valeſio Latino interprete, & ab interprete Gallico, Valeſium ſecuto, in re tam aperta peccatum eſſe. Hiſtoriam enim Eccleſiaſticam cum Religioſa confuderunt. In hac ſiquidem eſt error, quem illi* (ſcilicet Eccleſiaſticæ) *tribuerunt, in qua tamen de Arii morte nihil, niſi Athanaſii verbis exactè ad veritatem refertur.*

n. 5. Verùm ad hanc Garnerii obſervationem reſpondet *Cuperus* T. IV. Julii p. 32. n. 17, ad Acta S. Jacobi: "Rectè quidem Garne-

„ rius craſſos hujus narrationis errores obſervat, & jure miratur, Va-
„ leſium ejúsque Gallicum interpretem Couſinum, Hiſtoriam Eccle-
„ ſiaſticam Theodoreti pro Religioſa ipſius Hiſtoria oſcitanter acce-
„ piſſe. At una in re ipſi aſſentiri non poſſum; nempe in eo, quod
„ ſupponit, hanc de morte Arii hiſtoriam à Theodoreto ſcriptam eſ-
„ ſe. Malo iſtud Garnerii aliorúmque ſuppoſitum negare: Nam quam-
„ vis Theodoretum ab omni errore exemptum nolim, tamen tot
„ támque palpabiles memoriæ lapſus non facilè admittam in hoc Vi-
„ ro docto & hiſtoriæ ſtudioſo, qui in Eccleſiaſtica ſua Hiſtoria ſatis
„ ſæpe oſtendit, ſe memorem eſſe eorum, quæ in Philotheo ſcripſe-
„ rat. Quis credat Theodoretum adeò fuiſſe hebetem, ut publicam
„ Arii mortem ab Athanaſio aliísque ſynchronis poſteritati traditam,
„ &, ut ita dicam, lippis & tonſoribus notam alieno tempore & loco
„ collocârit? Quis credat, eum adeò fuiſſe ſui ipſius immemorem, ut
„ Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum, cui mortuo poſt quinque
„ menſes à Synodo Nicæna Athanaſium ſucceſſiſſe refert lib. 1. Hiſt Eccl.
„ cap. 25., cum Alexandro CPolitano confuderit? Quis, inquam, cre-
„ dat adeò abſona ſcripſiſſe eundem ipſum, qui totam Arii cataſtro-
„ phen ex Athanaſii literis veraciter proponit l. 1. Hiſt Eccl. c. 13, ubi
„ de *S. Jacobo* Niſibeno nullum facit verbum? Itaque ſuſpicor ego
„ potiùs, fragmentum iſtud, ab imperito quodam Græculo additum,
„ in aliqua Theodoretiani Philothei exemplaria irrepſiſſe. Potiſſima
„ ſuſpicionis meæ ratio eſt, quòd in quibusdam Theodoreti editioni-
„ bus illud non inveniatur. Certè vitioſam hanc hiſtoriam in exem-
„ plari ſuo Græco non videtur legiſſe Gentianus Hervetus, qui Reli-
„ gioſam Theodoreti Hiſtoriam ex Græco latinè redditam Anno 1570
„ Pariſiis edidit. Hanc Herveti editionem ſubſecutæ ſunt aliæ, in qui-
„ bus de hac hiſtoria dicam an fabula altum eſt ſilentium. „ *Ita Cuperus*, &, ùt opinor, multò veriſimiliùs.

N. 6. Scripſit II. Theodoretus *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* libros *quinque*; cujus Editiones eædem ſunt, quas in Socrate jam allegavimus: niſi quòd illa pariter Baſileæ A. 1536. unà cum libris Recognitionum S. Clementis fuerit excuſa, & *Sirmondus* noſter inter ſingularia Theodoreti Opera, in IV. Tomos à ſe digeſta (poſtea per Garnerium quinto Tomo adaucta) ex Joachimi Camerarii & Joannis Chriſtophorſoni verſione typis denuo eandem mandârit Pariſiis A. 1642. *Gennadius* quidem in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis ita de Theodoreti hiſtoria inquit: *Sunt & ejus DECEM Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libri, quos imitatus Euſebium Cæſarienſem ſcripſit, incipiens à fine librorum Euſebii uſque ad ſuum tempus, id eſt, à Vicennalibus Conſtantini uſque ad Imperium LEONIS SENIORIS,*

ſub

ſub quo mortuus eſt. Imperium verò auſpicatus eſt Leo A. 457., ùt Marcellinus, & Caſſiodorus in Chronicis teſtantur. Vereor tamen, ne Gennadio memoria hìc aberrârit, cùm *decem* Hiſt. Eccl. libros Theodoreto attribuit. Nam inprimis *quinque* ſolummodo extare certiſſimum eſt; dein nemo Veterum plures hucuſque quàm quinque agnoviſſe videtur. *Caſſiodorus* ultra Theodori Mopsveſteni obitum, quô Theodoreti liber quintus concluditur, nihil amplius ex Theodoreto in tripartitam Hiſtoriam intulit. Similiter *Photius* in Biblioth. Codice XXXI. p. m. 9. Theodoreti Hiſtoriam ad uſque Theodoſii Minoris tempora & Theodori exceſſum fuiſſe productam affirmat. Luculentiùs verò *Evagrius* l. 1. Hiſt. Eccl. c. 1. de ſe ait, ad eum planè finem hoc opus à ſe fuiſſe ſuſceptum, *uti res geſtas jam oblivione intermortuas, quaſi ad vitam denuo revocaret. . . Ibi igitur*, pergit, *initium faciam ſcribendi, ubi illi Scriptores, quos ſuprà dixi* (Euſebius, Sozomenus, Theodoritus, & Socrates) *finem Hiſtoriæ impoſuerunt.* Orditur ergo Evagrius poſt recenſitam *cap.* 2. Neſtorii hæreſin à Cyrilli ad Neſtorium literis, anno ſcilicet 429 datis (vid. *Pagium* T. II. Crit. ad h. a.) & Epheſino adverſus eundem hæreſiarcham Concilio: qua de re neque Sozomenus, neque Theodoretus quidquam meminêre. Socrates quidem, ipſo Evagrio teſte l. 1. c. 2., jam quæpiam de Neſtorii rebus attigerat (vid. Socr. l. VII. c. 29. 33. & 34.) aſt cùm ſingula minùs enucleatè minúsve peritè narrâſſet, Evagrius, qui idcirco l. 1. c. 5. Socratem nominatim corrigit, rem omnem fideliùs diſtinctiúsque narrare inſtituit; de Theodoreto verò altiſſimùm ſilet, hunc utique non minùs, ac Socratem, nominaturus, ſi quid in ejusdem Hiſtoriæ geſtis de Neſtorii & Epheſinæ Synodi rebus proditum inveniſſet: id quod haud dubiè à Theodoreto debuerat prodi, ſi Hiſtoriam ſuam per viginti & octo, qui à Theodori Mopsveſteni obitu uſque ad Leonis Senioris imperium numerabantur, annorum periodum ulteriùs juxta Gennadium produxiſſet. Et quomodo Evagrius res geſtas, *jam oblivione intermortuas*, ad vitam à ſe denuo revocandas poterat jactitare, ſi jam antè Theodoretus ſaltem integros viginti octo annos, qui apud Evagrium totum omnino librum I, & dimidiam ferme libri II partem conſtituunt, geſtis ſanè atque eventibus memorabiles monumentis publicis conſignâſſet, & decem Hiſtoriæ ſuæ libros evulgâſſet? Sed & ipſe Theodoretus præ ceteris dubium omne hìc dirimet; qui cùm Theodori Mopsveſteni deceſſum l. 5. cap. ultimo ſive 39. retuliſſet, hæc illico ex Chriſtophorſoniana verſione ſubjungit: *Iſto quidem in loco finem hiſtoriæ facere animus eſt. Atque omnes, qui ſint eam aliquando perlecturi, vehementer oratos volo, ut precibus ſuis meos labores compenſare non graventur. Spatium quidem centum & quinque annorum iſta complecti-*

plectitur historia, quæ initium habet ex rabie Ariana: exitum autem à morte hominum præstantissimorum Theodori & Theodoti. Quare cùm Theodorus Mopsvestenus & Theodotus Antiochenus Anno 429 è vivis excesserint (vid. *Boschius* noster T. IV. Julii in Hist. Chronolog. Patriarch. Antioch. *Pagius* in Crit. T. II. ad A. 427. n. 12.) & ipsa, quam mox retulimus, loquendi ratio, ad libri quinti calcem à Theodoreto adhibita, totius Operis finem apertè testetur: quinque solummodo libros à Theodoreto, saltem *primitus*, fuisse conscriptos ac publicatos, omnino erit tenendum.

N 7. Num verò alios quinque libros (qui fortè juris publici facti non fuerint, indéque ad nos minimè pervenerint) seriùs deinceps adjecerit aut privatim conscripserit, res planè incertissima est, & absque legitimo veterum testimonio neque conjectare, minùs affirmare quis ausit. Imò tria sunt, quæ contrarium suadere videntur. *Primum* est, quòd minùs verosimile putem, Theodoretum, qui pro integris centum quinque annis non nisi quinque libros ediderat, pro solo annorum non penitus triginta spatio libros pariter quinque concinnârit. *Secundum*: quòd tam in Nestorii (qui Anno 428 ad CPolitani Patriarchatûs fastigium ascenderat) quàm in subsecuti non multò pòst Ephesini, dein & Chalcedonensis Concilii, item Cyrilli Alexandrini gestis, ipse Theodoretus quà turbarum, quà accusationum pars magna extiterit. Unde consultiùs ipse ab hujuscemodi rebus commemorandis abstinuerit, neque ultra annum 429 Historiam suam provexerit; præcipuè postquam & ipse tandem pœnitens resipuit, & cum Ecclesia pacem amplexus, Nestorio, cujus personæ (non tamen dogmati) antehac faverat, publicum anathema dixit & scripsit. Quid quòd & Theodoretus eam ipsam, quæ nunc extat, Historiam Eccl. primùm post Annum 448 absolverit, ùt infrà videbimus? Unde, cùm variis posthæc ob Concilium Chalcedonense negotiis ipse fuerit distentus, satìs fortasse spatii ad historiam suam prosequendam emeritus senex & triginta prope annorum Antistes vix habuit, vel certè parùm voluntatis ad novum hujuscemodi laborem, non modicis utique crisibus (quæ suam maximè personam contingerent) atque difficultatibus obnoxium, jam tum abunde ostendit, cùm ea, quam paulò antè adduximus, coronide Historiam suam terminâsset. *Tertium*: quòd ea ipsa, ex quibus accessoria illa viginti & octo annorum narratio conflari potuerat, potissimam partem ex ipsius (ùt diximus) Theodoreti, Nestorii, Cyrilli, utriusque Concilii, Ephesini & Chalcedonensis, scriptis, dictis, factis & actis constare debuerit. Quæ cùm & in omnium oculis gesta fuissent, & in recentissima hominum memoria versarentur, multorum etiam manibûs tererentur, & tam in tabulariis Cæsarum quàm Ecclesiarum & Antistitum scriniis exactè servaren-

varentur : oblivionis ſanè periculum haud fuit, & Theodoretus novæ hujuscemodi (propè dixerim, ſuperfluæ) & rebus ſuis minùs accomodæ, imò & in ſui ruborem redundantis compilationis labore multò cautiùs ſuperſedit, ingratíque negotii vices longè ſapientiùs alteri transmiſit, qui & geſtis aliquantùm poſterior eſſet, & poſt ſua fata reliquum Hiſtoriæ Theodoretianæ filum ex ipſis Actis ſcriptísque publicis, ubique ſervatis, minùs impeditè & abſque ſuſpecto partium ſtudio pertexere poſſet.

N. 8. *Pagius* quidem, etſi & ipſe ad A. 427. n. 11. (abſque ullo tamen argumento, in medium allato) *probabilius* exiſtimet, quòd Theodoretus quinque ultimos libros, quos ei Gennadius attribuit, minimè elucubrârit : ex ſolo tamen Veterum de hiſce libris ſilentio, & ſolos quinque priores agnoſcentium teſtimonio rem confici haud poſſe arbitratur. *Nunquid* (ait l. c.) *Sozomenus lib.* 1. *cap.* 1. *teſtatur, ſe complexum eſſe, quæ ab Aſcenſione Chriſti ad Licinii Imperatoris exauctorationem geſta eſſent? & tamen quis ex Veteribus aliquid ex prioribus illis Sozomeni libris in medium attulit? Certè non Caſſiodorus, non Photius, non Nicephorus, nec ullus ex Auctoribus, qui extant.* Verùm minùs aptè, ùt opinor, Pagius iſta retorquet; cùm ſilentii diſpar longè ſit ratio, quod hinc de prioribus Sozomeni, illinc de poſterioribus Theodoreti libris apud Veteres occurrit. Nam *primò* : priores illi duo libri Sozomeni, ab Aſcenſu Chriſti ad Licinii caſum, nullatenus ſpectant ad ejusdem, vulgò dictam, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Theodoſio Juniori *inſcriptam*, ùt tam ex Epiſtola dedicatoria, quàm ex ipſiſſimo illo capite I. libri I. legentibus manifeſtiſſimum erit; utrinque enim exertè profitetur, ſe præſentem, quam Cæſari nuncuparet, Hiſtoriam, in novem libros diſtinctam, *à Criſpi & Conſtantini M.* rebus auſpicari. Unde duo illi, de quibus Pagius, Sozomeni libri comparatè ad Hiſtoriam hanc Eccleſiaſticam ne quidem *priores* poſſunt appellari, niſi quòd *priùs* & jam ante Hiſtoriam Eccleſiaſticam, antonomaſticè talem, fuerint conſcripti; cujus tamen partem priorem illi minimè conſtituêre. Quare neque mirum poterit videri, quòd duos hoſce libros, qui ad celebratiorem Sozomeni Hiſtoriam Eccleſiaſticam haud pertinerent, Scriptores antiqui prætermiſerint. Caſſiodorus in ſua Tripartita aliud non ſpectaverat, quàm ut ubi deſiêrat Euſebius, inde Hiſtoriæ collectanea ex Socrate, Sozomeno ac Theodoreto ſubnecteret. Itaque cos Sozomeni libros nominare non debuit Caſſiodorus, qui quæ dudum antè contigerant, commemorarent, neque cum Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſic dicta, corpus unum conſtituerent. Eadem Hiſtoriæ hujus celebritas Photium impulit, ut eandem, *libris novem* comprehenſam,

in

in Bibliotheca ſua exprimeret, & ceteros minùs notos, minúsve celebratos negligeret. Photii veſtigia preſſit quoque Nicephorus.

N. 9. Quanquam id libens conceſſero, ex unius Photii ſilentio neque duos illos à Chriſto ad Licinium libros Sozomeno, neque poſteriores quinque, de quibus Gennadius, Theodoreto illico poſſe abjudicari. Quis enim Criticorum ignorat, à Photio in Bibliotheca ſua non omnes libros aut Codices recenſeri, qui ſuo tempore jam fuiſſent vulgati, ſed illos duntaxat, quos ipſe tum legerat, cùm in Aſſyria pro Græcorum Imperatore legationem obiiſſet, prout ipſemet in operis ſui Epiſtola nuncupatoria ad Tarafium profitetur? Certè neque Theodoreti Commentarios in omnes SS. Pauli Epiſtolas, in Iſajam, Jeremiam, Ezechielem: neque Philotheum ſive Hiſtoriam Religioſam Photius commemorat; quas tamen lucubrationes Theodoreto deberi, minimè eſt controverſum. Vid. *Nat. Alex.* atque *Labbeus* l. c. Deinde verò non omne Veterum ſilentium etiam æquipollentem negationis vim habet; ſed tum ſolummodo hocce ſilentium ſtringit, cùm nulla in oppoſitum ratio vel auctoritas pugnat. Atqui de ſe ipſo teſtatur Sozomenus l. c. duos illos libros, de quibus Pagius, à ſe fuiſſe conſcriptos, priuſquam ad grandius Hiſt. Eccl. Opus animum adjeciſſet. Itaque unius etiam Sozomeni, qui id ceterîs meliùs de ſe ipſo nôſſe poterat atque debuerat, affirmantis teſtimonio prævalere haud poteſt ſilentium aut veriùs diſſimulatio ceterorum. Nam & ratio ſubeſſe poterat, cur hi à nominandis illis duobus Sozomeni libris abſtinuerint. Ait ipſe Sozomenus l. 1. Hiſt. Eccl. cap. 1. *Animus quidem erat, hoc Opus jam à Chriſto nato repetiviſſe: ſed cùm animadverterem, alios Scriptores, Clementem dico, Hegeſippum, Viros ſapientiſſimos, qui Apoſtolorum temporibus proximè ſuccedebant, Africanum præterea, & Euſebium cognomentô Pamphilum (Virum tum in ſacris literis, tum in Poëtis aliisque Scriptoribus gentilibus peritiſſimum) idem ipſum ad ſua ipſorum tempora ſcribere aggreſſos; eas ſolùm res, quæ poſt Chriſti ad cœlos aſcenſum uſque ad necem Licinii in Eccleſiis geſtæ ſunt, & ad noſtram venêre notitiam, in duobus libris* SUMMATIM *perſecutus ſum* Quare cùm Sozomenus res à Chriſti temporibus ad uſque Licinii interitum geſtas non niſi *ſummatim* perſtrinxerit, & eam ipſam quà rerum quà temporum ſummam veroſimiliùs ex iisdem Scriptoribus, Clemente, Hegeſippo, Africano atque Euſebio excerpſerit (neque enim Auctores alios Sozomenus nominat, & neque illa ſine prævîis auctoribus legitimis conficere licuit) induci facilè [illegible] Scriptores Veteres, ut duos illos Sozomeni libros ſilentiô præterirent, utpote qui peculiare propemodum nihil continerent, quod non in præcedentium Scriptorum, Clementis ſcilicet &c.

lucubra-

lucubrationibus multò uberiùs atque distinctiùs jam esset expositum: contenti videlicet, eam solùm Historiam inter Sozomeni Opera retulisse, quæ eundem sibi peculiarem Parentem habuisset, atque ùt proprius Sozomeni partus ab omnibus celebraretur.

N. 10. Contrà verò *Secundò*: longè aliter circa Theodoretum sese res habet. Nam & Evagrius, & Cassiodorus, & Photius, ubi de Ecclesiastica Theodoreti Historia ex instituto agunt, non plures quàm quinque illius libros apertè designârunt, plures utique adjudicaturi, si plurium notitiam habuissent. Et nec ipse Theodoretus pro pluribus à se scriptis ullum alicubi testimonium dicit; imò tres illæ, quas supra n. 6. & 7 pro quinque posterioribus libris Theodoreto abjudicandis adduximus, conjecturæ negantem potiùs sententiam firmant. Quapropter sicut ob unanime Veterum silentium duo illi summarii libri non immeritò Sozomeno denegarentur aut inter incerti saltem generis scripta reponerentur, nisi ipse sibi Sozomenus indubitatum suffragium ferret: ita pariter ob oppositа scriptorum gravium antiquorúmque testimonia conjecturásque non leves unius Gennadii contrà sentientis assertio circa Theodoreti Historiam rectiùs postponitur: malímque Græcis in Oriente Scriptoribus (quales Evagrius, Photiúsque fuêre) quàm Massilienſi in Galliis Presbytero Gennadio assentiri: qui sicut ab Oriente remotior fuit, ita etiam circa Orientis scriptores faciliùs potuit hallucinari, & additamentum, ab alio quocunque ad Theodoreti libros fortasse adjectum, pro ipsius Theodoreti labore perperam interpretari.

N. 11. Quòd si jam *de tempore* quæras, quo Historiam suam Theodoretus in lucem emiserit, respondet Baronius ad A. 427. n. 28: *Certè quidem ipsius testificatione affirmari posse videtur, scriptam ab ipso fuisse hujusmodi Historiam ante Ephesinum Concilium: etenim in Epistola, quam scripsit postea ad Eusebium Ancyræ Episcopum, cùm sua scripta recenset, quæ post dictum Ephesinum Concilium elaborâsset, nullam penitus de scripta à se historia mentionem habet: unde dicendum est hoc triennii spatio, quod intercedit ab hoc anno usque ad Concilium Ephesinum, ab illo dictam Historiam esse scriptam.* Ast huic Baronii opinamento varia manifestè repugnant. Nam *primò*: refert Theodoretus l. 5. c. 36. & 37. Reliquiarum Sancti Chrysostomi translationem *in urbem Regiam*, sive CPolitanam: Atqui hæc certò contigit Anno primùm 438 (ùt ipse Baronius non diffitetur ad h. a. n. 1. ad 13. Vid. etiam *Stiltingus* T. IV. Sept. in Actis S. Chrysost. p. 685. n. 1458.) proindéque post Concilium Ephesinum. Itaque ante hujus Concilii tempora Translationem illam commemorare non potuit Theodoretus, quæ integro ferme post Synodum septen-

nio primùm fuerat ſuſcepta. *Secundò*: Ait hic Author l. 5. c. 38. perſecutionem ab *Iſdegerde* Perſarum Rege adverſus Chriſtianos excitatam per *annos triginta* durâſſe. Quare cùm initium ea ſumpſerit Anno 414., ne quidem Anno 444., quo tempeſtas illa deſiêrat, ſuam Hiſtoriam jam promulgaverat Theodoretus. *Tertiò*: prodiit ejusdem Philotheus ante Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ùt ipſa Philothei per Hiſtoriæ decurſum iterata mentio dubitare non ſinit. *Vid. ſuprà num.* 2. Sed & ipſe Philotheus anno primùm 444. orbi expoſitus eſt, ùt num. 3. intelleximus. Non parvum itaque temporis intervallum, nec modicus labor Philotheum inter & Hiſtoriam Eccleſiaſticam intercedere debuit, ut & alteri huic Operi faſtigium ſuum rite poſſet imponi. *Quartò*: Theodoreti ad Euſebium Ancyranum Epiſtola, cui Baronius videtur inniti, anno primùm 448. eſt exarata, ùt planum omnino id facit Pagius ad A. 443. à n. 3. ad n. 10. Cùm igitur Theodoretus in hac Epiſtola, in qua ceteras ſuas lucubrationes enumerat, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ necdum meminerit, inde conſequitur, quòd neque ſub illius Epiſtolæ tempus ea Hiſtoria jam ex incude emerſerit; dicendúmque ſolummodo reſtat, quòd vel anno 448. jam exeunte, vel anno circiter 449., manum ultimam Hiſtoriæ ſuæ Theodoretus admoverit, Opúsque publicaverit, Theodoſio adhuc imperante, qui 28. Julij anno 450. fatis conceſſit. Nam quòd eo Imperatore adhuc ſuperſtite Hiſtoriam ſuam conſummaverit ac divulgaverit Theodoretus, inde rectè conijcitur, quòd Hiſtorigraphus iſte l. 5. c. 36. ubi de Reliquiis S. Chryſoſtomi CPolim translatis ſermonem injecerat, propediem ſubjungat: *Hunc porro Theſaurum Regiæ Urbi donavit is, qui* NUNC *imperium obtinet, qui* & AVI (Theodoſii ſcilicet Senioris) *nomen præfert, & pietatem ejus integram atque illibatam* SERVAT. Quòd ſi autem Theodoſius junior jam ante propalatam Theodoreti Hiſtoriam obiiſſet, procul dubio Scriptor ille locò verborum: *qui nunc*: *piæ* potiùs aut *divæ memoriæ* voces ex ævi illius more ſubſtituiſſet.

n. 12. Nunc ut ad Hiſtoriæ hujus *initium* ac *finem* progrediamur, ipſum audire lubet Theodoretum, qui l. 5. cap. ultimo hæc ſcribit: *Quinque autem & centum annorum tempus hæc Hiſtoria complectitur, ab Arii veſania incipiens, deſinénsque in obitu laudabilium Virorum Theodori* (Mopsveſteni) *& Theodoti.* Jam verò (ùt benè monet Boſchius T. IV. Jul. in Hiſt. Chronolog. Patriarch. Antioch. art. XXXVII. p. 70. n. 313.) voces illæ: *ab Arii Veſania*: non adeò religiosè ſunt accipiendæ, ut primam omnino Arianæ hæreſeos originem indicare videantur; ſic etenim Theodoretus ſecum ipſe manifeſtè pugnaret;

repetit

repetit nâmque illam ipſe lib. 1. cap. 1. inde à S. Alexandri Alexandrini Ordinatione, hoc eſt, ab anno Chriſti circiter CCCXIII., cui ſi addas CV., erit annus CDXVIII.: quo mortuus eſſet Theodotus, contra ipſiusmet Theodoreti in Epiſtola citata (ſcilicet 83. ad Dioſcorum Alexandrinum Anno 448. data) aliorúmque omnium teſtimonium, ùt videre eſt apud eundem *Boſchium* l. c. p. 69. n. 310. 311. p. 70. n. 312. 313. 314. 315. 316. *Pagium* T. II. Crit. ad A. 423. n. 8. & 10. ad A. 427. n. 12. ad A. 443. n. 6. & 9. ad A. 444. n. 9. è quibus omnibus luculenter diſcimus, quòd & Epiſtola illa ad Dioſcorum ſcripta fuerit à Theodoreto Anno 448., & Theodotus Antiochenus mortalitatem explêrit Anno 429. Illæ igitur Theodoreti voces: *ab Arii veſania*: intelligendæ ſunt de tempore poſt victum à Conſtantino Licinium, latámque XVI. Kalend. Junij Anno Chriſti CCCXXIV. legem *de infirmandis his, quæ ſub Tyrannis.* &c (de qua vide Gothofredum in Chronologia Codicis Theodoſiani ad illum annum & præcedentem) cùm ſcilicet furia illa Arianica tranquillam Eccleſiæ pacem ac patronos nacta gratioſos, graſſari per orbem cœpit, dominarique licentiùs. Et verò ita ſe ipſe Theodoretus explicat in *prefatione* Hiſtoriæ ſuæ, cùm ait, inde ſeſe initium ejus eſſe ducturum, ubi finem Euſebius ſcribendi fecerat; id eſt, à morte Licinii, ac pace Eccleſiæ reſtituta. In ea enim deſinit Euſebius, ùt rectè Baronius colligit ad annum Chriſti CDXXVII. n. 25.: & patet ex ipſo Theodoretianæ Hiſtoriæ hoc exordio: *Sublatis de medio nefariis illis & impiis tyrannis, Maxentio videlicet, Maximino* & LICINIO, *ſedata eſt Eccleſiæ procella* &c. Nec obſtat, quòd nonnulla obiter repetat, quæ temporibus illis paulò erant anteriora; hæc enim eò ſcribere debuit, quòd eſſent ab Euſebio prætermiſſa, aut cum ſequentibus cohærerent. Duc ergo CV. annos ab anno CCCXXIV., deſines in CDXXIX., quô vitâ functus dicendus omnino erit Theodotus Antiochenus. *Vid. Boſchius* l. c. p. 70. n. 313. *Pagius* T. II. Crit. ad A. 427. n. 9. 10. 11. niſi quòd iſte ex ſuppoſito, Licinium anno primùm 325. è medio fuiſſe ſublatum, poſtremam verò Licinio cladem illatam Anno 324. (Vid. T. I. Crit. ad A. 318. à n. 2. & ſeqq.) calculi hujus initium non ab anno 324., ùt Boſchius & alii faciunt, ſed ab Anno primùm 325., quo ſcilicet interfectus eſt Licinius, repetendum eſſe contendat. Parùm verò refert, ſive juxta Pagium l. c. & Labbeum in Compendio Chronologico ultimam Licinii cladem cum anno 324., mortem verò cum anno 25.: ſive cum Tillemontio T. IV. Hiſt. Imp. Art. L. p. 194. 195. & ibidem in Indice Chronologico p. 711., item juxta Papebrochium

chium T. I. Maij in Actis S. Athanasii cap. 2. n. 36. Licinii cladem cum anno 323., necem cum anno 324. connectas; utrovis enim modo intelligitur, quòd Theodoreti Historia centum & quinque annorum periodum complectatur. Si enim verior sit opinio Pagii atque Labbei, primus & ultimus Theodoretianæ Historiæ annus erit quidem incompletus, sed uterque rotundo numero, ex more apud historicos usitatissimo, pro completo numerabitur; si verò Tillemontii & Papebrochii chronologia prævaleat, integros centum & quinque annos in Theodoreti Historia multò facilius intelliges, & modicus ille seu mensium seu hebdomadarum excessus (si fortè Licinius primis anni 324., Theodotus verò Antiochenus posterioribus Anni 429. mensibus vivere desiêrit: de quo tamen non constat) in rotunda computatione chronica minimè meretur attendi. Itaque Theodoreti Historia ab anno 324. aut 325. (quod alterum Eusebio fortè conformius) suum ducit initium, finem verò, quod certius, in anno facit quadringentesimo vigesimo nono.

n. 13. Num verò Theodoretus post Socratem atque Sozomenum scripserit, haud satis est exploratum. Valesius quidem tam in Præfatione ad versionem Theodoreti, quàm in Præfatione ad Socratem & Sozomenum, eo ordine Auctores hos collocat, ut primò Socratem, dein Sozomenum, post hos Theodoretum se ad *Historiam* Ecclesiasticam lucubrandam applicuisse affirmet. Imò ut Theodoretum inter hosce Scriptores postremum certò facere posset, ad omnium ferme Antiquorum, idem sentientium, testimonium confidenter appellat. Nam (ut ipse ait) *Cassiodorus* in sua ad Tripartitam præfatione: *Justinianus* in Edicto de *Confessione vera fidei*: *Photius* in Bibliotheca: Theodoretum post Socratem atque Sozomenum nominârunt. Sed & *Evagrius* in proëmio Operis sui, *Nicephorus* in exordio Historiæ suæ, saltem Sozomenum ante Theodoretum compellârunt. Verùm hæc ex Veteribus petita Valesii conjectura se ipsâ corruit; licèt enim apud Cassiodorum in memoratæ Præfationis *titulo* ultimus sive tertius Theodoreto locus attribuatur, in ipsa tamen præfatione Theodoretus primò exprimitur: nisi forsitan dicere malis, solius dignitatis & honoris gratiâ à Cassiodoro id factum, quòd Scriptorem Episcopum laicis duobus anteposuerit. Dein Cassiodorus in citata præfatione etiam Sozomenum ante Socratem nominavit: neque tamen idcirco Valesius huic ordini acquiescit, sed Socratem Sozomeno priorem scripsisse defendit; nam & Cassiodorus alio in loco, scilicet in libro de divinis lectionibus cap. 17. primò Socratem, tum Sozomenum, ultimò Theodoretum enunciavit. Unde

de ex Caſſiodoro nihil in hanc rem certi eruitur. *Evagrius* l. 1. c. 1. ait, res Eccleſiaſticas à *Sozomeno*, *Theodoreto*, & *Socrate* literis accuratiſſimè fuiſſe traditas. Itaque ſi Evagrii auctoritas tanti fuit Valeſio, ut Sozomeni Hiſtoriam Theodoretianâ anteriorem exiſtimârit, ob ſimilis cauſæ momentum etiam Socratem utroque poſteriorem admitti oportebat: id quod tamen Valeſius inficiatur. Neque litem hanc tollet Juſtiniani Edictum, quod contra ipſummet Valeſium pugnat; nam licèt in hoc Edicto ultimus inter hoſce Scriptores legatur Theodoretus, primus tamen ante Socratem denuo allegatur Sozomenus: quod Valeſio neutiquam probatur. Neque verò prætereundum eſt illud, quòd in eodem Edicto ſuo Juſtinianus *Heſychium* (Mileſium ſcilicet, qui Hiſtoriæ omnigenæ atque Romanæ libros VI. atque Juſtini Imperatoris geſta conſcripſerat: de quo Photius in Biblioth. Cod. 69. p. m. 39.) etiam ante Socratem ac Theodoretum collocârit. Ita enim ſonant verba Edicti: *Atque hæc teſtantur Sozomenus, Heſychius, Socrates ac Theodoretus* &c. Et tamen Heſychium, qui Juſtiniani adhuc temporibus aliquamdiu claruit, integro Seculo tam Socrates quàm Theodoretus præceſſêre. Liquidiſſimum itaque fit, quòd Edicti conditor ad legitimam horum Scriptorum ſeriem & chronologicas tricas nequaquam attenderit. Neque plus roboris afferre poterit Photius, quòd ultimus à Socrate atque Sozomeno illi pariter fuerit Theodoretus; nam & Evagrii hiſtoriam ante Sozomeni & Theodoreti Scripta recenſuit, etſi Evagrius toto ampliùs Seculo illis junior eſſet. Denique cùm & Nicephorus l. 1. c. 1. eundem cum Evagrio ordinem in Scriptorum recenſione obſervet, eadem, quæ ad Evagrium, ad Nicephorum quoque reſponſio ſervit. Quid? quòd & Scriptoribus hiſce plerisque opponere poſſis *Theodorum* Lectorem, qui in Epiſtola, quam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ præfixit, eam à *Theodoreto*, *Sozomeno* ac *Socrate* fuiſſe ſcriptam, ſe verò illam à *Sozomeni* hiſtoria ordiri pronunciat. Ad veterum proinde teſtimonia ſi quis in re præſenti confugerit, implicatior ſanè res eſt, quàm ut ſolidi quidquam evolvere fas ſit. Vid. etiam *Pagius* T. II. Crit. ad A. 427. n. 15.

n. 14. Neque verius aut certius illud eſt, quod idem Henricus Valeſius l. c. de Hiſtoria Eccleſiaſtica Theodoreti divinavit: eam videlicet nihil ferè aliud eſſe, quàm ſupplementum Hiſtoriarum Socratis atque Sozomeni, & quæ hi prætermiſerant, à Theodoreto exactè commemorari: Socratem item & Sozomenum, eo quòd CPoli degerent, in ea maximè calamum diffudiſſe, quæ in Eccleſia CPolitana evenerant: Theodoretum contrà, qui in partibus Orientis vixerat,

xerat, res Orientalis Eccleſiæ diligentiſſimè pertractâſſe: denique & Socratis & Sozomeni errata non rarò à Theodoreto emendari, utut errantium nomina præ ſua modeſtia ipſe ſuppreſſerit. Verùm (ut reſpondet Pagius l. mox cit. n. 16.) „Theodoretus de Socratis & „ Sozomeni Hiſtoria ſupplenda non cogitavit: ſed cùm utroque „ longè doctior eſſet, & in Oriente verſaretur, errores plurimos, „ in quos uterque incidit, vitavit, & quia res in Oriente, quàm „ quæ in urbe regia geſtæ, meliùs callebat, ideo in illis, quàm in „ iſtis fuſior eſt & diligentior: contrà verò Socrates & Sozomenus „ easdem leviter attigêre. Quare non dubito, quin *tres* iſti Scripto- „ res, qui omnes ſibi idem argumentum propoſuêre, non ſolùm „ ſub extremis Theodoſii Junioris temporibus . . . ſed etiam *eodem* „ *tempore* Hiſtorias ſuas Eccleſiaſticas in lucem emiſerint. Luculen- „ tum hujus rei exemplum &c. *Vid. ſuprà* in Sozomeno pag. 434. Neque etiam alia, ut hanc Pagii præ Valeſiana opinionem amplectar, argumenta deficiunt. Nam *primò*: quisquis totam Theodoreti hiſtoriam attentiùs mecum perveſtigaverit, non obſcurè deprehendet, eam nullatenùs ex Socrate atque Sozomeno, ſed ex ipſis authenticis publicisque (quorum non pauca in utroque hoc Scriptore deſiderantur) Cæſarum, Conciliorum, Patrum (præcipuè S. Athanaſii) ac hæreſiarcharum, Scriptis, Actis, Epiſtolis, atque Edictis magnam partem fuiſſe compoſitam. *Secundò*: quamplurima, imò pleraque (inprimis lib. III. IV. & V.) à Theodoreto referri, quorum aut nihil attigêre Socrates atque Sozomenus, aut extimis ſolummodo labris delibârunt. *Tertiò*: ipſe Theodoretus l. 1. c. 1. ita præfatur: *Ut gloria rerum præclariſſimè geſtarum, quarum commemoratio multum ſit hominibus adjumenti allatura, oblivione contereretur, haud ſine ſcelere fieri poſſe exiſtimavi. Qua de cauſa nonnulli, quibuscum mihi magnus uſus & familiaritas intercedit, ſæpenumero me vehementer cohortati ſunt, ut hunc hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcribendæ laborem in manus ſumerem: . . . Atque ut Euſebius genere Paleſtinus, à Sanctorum Apoſtolorum temporibus exorſus, res in Eccleſia inde uſque ad tempora Conſtantini Imperatoris Sanctiſſimi geſtas conſcripſit: ſic ego ex illo ipſo tempore, quo ab eo deſitum eſt ſcribere, initium hiſtoriæ ducere ſtatuo.* Num ſic ſcribere, & pro modeſtia ſua, quam in Theodoreto Valeſius laudat, à Socratis & Sozomeni nominibus penitus abſtinere, Euſebiani verò continuatoris partes, quas ſæpenumero ſibi alii demandâſſent, ad avertendum denique oblivionis ſcelus à ſe uno fuiſſe ſuſceptas tacitè innuiſſe poterat Theodoretus, ſi jam antea id muneris expleverant Socrates atque Sozomenus? & horum ſcripta jam in Theodoreti manibus extiterant? ſiquam operis

ris ſui partem anteſignanis hiſce is debuiſſet? ſi eosdem aut ſupplere aut emendare conſtituiſſet? Certè Evagrius, quemadmodum Socratem & ipſe legerat, ita eundem nominatim quoque referre atque corrigere non dubitavit l. 1. c. 2. & 5. Quare niſi certiora in contrarium indicia proferantur, Theodoreti Hiſtoria non ſupplementum, ſed diſparatiſſimum omnino Opus erit exiſtimanda, dicendúmque, quòd tres iſti Scriptores eodem circiter tempore & ſub eodem Theodoſio II. Imperatore lucubrationes ſuas abſolverint, aut certè Theodoretus, qui in remotiori Oriente vixerat & de rebus maximè Orientis ſcriptitârat, utriusque CPolitani Scriptoris lucubrationem non viderit. Neque obeſt, quòd quæ Socrates atque Sozomenus referunt, eadem ſubin & accuratiùs Theodoretus commemoret; nam de rebus non multò antè præteritis & per Seniorum ora adhuc vagantibus eadem à diverſiſſimis etiam Scriptoribus ſynchronis, hinc breviùs, illinc diſtinctiùs atque fideliùs enarrari, nemo ignorat.

n. 15. Supereſt, ut quæ in Theodoreti Hiſtoria ſive laude ſive ſpongiâ digna occurrant, paucîs ſubnectamus. *Photius* in Biblioth. Cod. 31. p. m. 9. ita de Theodoreti Hiſtoria Eccleſiaſtica habet: *Omnium, quos proximè nominavi* (Socratis, Evagrii, Sozomeni) *convenientem magis hiſtoriæ ſtylum adhibet. Clarus enim & grandis eſt, minimèque redundans, niſi quòd translationibus interdum audaciùs & pene ineptè utatur. Hic etiam, quàm ceteri, fuſiùs ſecundæ Synodi geſta commemorat: quæ alii, tanquam in concurſu, dicis gratiâ, & obiter ferè narrant, quaſi de ea loqui refugiant. Veruntamen ne ipſe quidem omnia ſigillatim refert &c.* Eundem Socrate & Sozomeno *longè doctiorem & diligentiorem* laudat Pagius l. c. num. præced.; ùt *accuratiorem, in illis certè quæ narravit de S. Chryſoſtomo* (quamvis *pauciora commemorârit & inimicis Sancti parcere diligenter ſtuduerit*) prædicat Stiltingus T. IV. Sept. p. 405. n. 24. in actis S. Chryſoſtomi. Et ſanè doctiorem accuratiorémque fuiſſe Theodoretum non modò hæc ipſa Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſed & complura ipſius contra varii generis hæreticos ſcripta teſtantur, de quibus conſuli poſſunt *Labbeus* T. II. de Script. Eccleſ *Nat. Alex.* T. V. Hiſt. Eccl. ad Sec. V. cap. IV. Art. 28. à p. 148. ad 154. *Poſſevinus* in Apparatu, aliique.

n. 16. Illud tamen non modicam Theodoreto ejúsque Hiſtoriæ labem inuſſit, quòd in Theodori Mopsveſteni laudes effuſior fuerit. Nam l. 5. c. ultimo ita Theodorum extollit: *Theodorus Epiſcopus Mopsveſtiæ, qui totam Chriſti Eccleſiam ſua doctrinâ erudiêrat* (vel ùt Valeſius vertit: *totius Eccleſiæ Doctor*) *& contra univerſas hæreticorum phalanges victoriam reportaverat, obiit mortem. Iſte & Diodori, Viri excellentiſſimi*

(Abba-

(Abbatis quondam monaſtici, poſtea Tarſenſis Epiſcopi) *doctrinæ particeps factus eſt, & Sanctiſſimi Joannis* (Chryſoſtomi) *ſocius & adiutor: nam communiter inter ipſos ſapientiæ præcepta ex ſpiritualibus Diodori fluentis hauſerunt. Triginta ſex annos præſulatum geſſit Theodorus, neque unquam ceſſavit tum contra Arianam & Eunomianam Sectam velut in acie dimicare, tum clandeſtinum Apollinaris manipulum impugnare, tum optimam herbam ſanctis Chriſti ovibus ſuppeditare.* Qualis verò ovium paſtor extiterit, quàm perverſi dogmatis virus effuderit, & à V. Oecumenica Synodo damnari meruerit Theodorus, ex ejusdem Concilii Actis addiſces. De ceteris ejus Hiſtoriæ mendis nonnulla ſubijcimus. cribit I. lib. 1. c. 3. Marcellino Pontifici Romano ſucceſſiſſe Miltiadem ſive Melchiadem, proindéque Marcellum atque Euſebium, qui Marcellinum inter atque Melchiadem Eccleſiæ præfuêre, prætermittit. Aſt error hic refellitur ex S. Optato Milevit. l. 2. contra Parmen §. 3. & S. Auguſtino Ep. 53., aliàs 165.: qui ambo Marcellum atque Euſebium proximos Marcellini Succeſſores agnovêre. Euſebius Cæſarienſis etſi & ipſe in Chronico Marcellum omiſerit, & verosimiliùs cum Marcellino confuderit, Euſebium tamen poſt Marcellinum ſedisſe diſertè affirmat. II. lib. I. c. 7. Euſtathium narrat Philogonio Antiocheno Præſuli mox ſubrogatum; cui aſſerto manifeſtè repugnant S. Hieronymus & Proſper Aquitanus in Chronicis, Sozomenus l. 3. c. 2. S. Nicephorus in Chron. Theophanes ad annum CCCI. Hermannus Contractus & Marianus Scotus in Chronicis: Nicetas Choniates l. V. Theſauri cap. 6. Zonaras l. 12. n. 34. plurimíque alii RR. qui Paulinum I. Philogonii ſucceſſorem faciunt. Vid. *Boſchius* noſter T. IV. Julij in Hiſt. Chronolog. Patriarch. Antioch. à p. 31. ad 34. præcipuè n. 129. 130. 131. III. Petrum II. Alexandrinum perperam excuſat Theodoretus lib. 5. c. 8. quaſi Maximo Cynico adverſus Gregorium Nazianzenum is neutiquam faverit, & ea, quæ adverſus Gregorium geſta, ejusdem Petri ſucceſſori Timotheo fint adſcribenda. Aſt Petrum faviſſe Maximo ipſa Gregorii verba convincunt. Vid. *Sollerius* T. V. Junij in Hiſt. Chronolog. Patriarch. Alexandr. p. 49. n. 255. IV. Porphyrium Evagrii Antiocheni ſucceſſorem ab Anno 404. Theodoretus l. 5. c. 35. inſigniter dilaudat: ùt *qui poſt Flavianum illius* (Antiochenæ) *Eccleſiæ clavum tenens, multa benignitatis monumenta poſt ſe reliquerit, atque excellenti quadam mentis prudentiâ fuerit.* Aliter profectò Palladius, qui ſceleſtiſſimam hominis vitam penitius inſpexerat: plenam enim illa

exhibet

exhibet ſtupri, rapinæ, crudelitatis, ac tyrannidis; neque id ante Epiſcopatum magis, quàm cùm illum jam contra jus fásque involâſſet: S. Joanni Chryſoſtomo ſemper infenſiſſimus: Antiochenis execratus: Eccleſiæ Romanæ, cùm ad eam ſcripſiſſet, ne reſponſo quidem dignus habitus. Conſule, lector, indicem copioſum Palladii Dialogo editísque cum eo opuſculis ſubnexum, ad nomen Porphyrii: aut ſi in promptu non eſt, adi Baronium ad A. Chriſti 404. à n. 57. Ita *Boſchius* T. IV. Jul. in cit. Hiſt. Chronolog. p. 65. n. 292.

N. 17. Baronius quidem T. III. & IV. Annalium, atque ex Baronio Poſſevinus in Apparatu p. m. 461. plures alios in Theodoreti Hiſtoria adnotârunt errores; in quorum tamen nonnullis à Theodoreto adeò non fuit erratum, ut liquidiſſimam potiùs veritatem ſcripſerit, & ipſe viciſſim Baronius in erroneas opiniones ſit lapſus. Sic I. S. Euſtathium Ep. Antiochenum non ſub Conſtantino M. (prout ſcripsêre Theodoretus, Socrates atque Sozomenus) ſed poſt illius obitum in exilium fuiſſe pulſum contendit Baronius T. III. Annal. ad A. 324. num. 143. ad A. 340. n. 21. 29. 30. item in Appendice addendorum & emendandorum ad calcem Tomi XII. ad A. 324. Aſt Theodoretum ſolidè adverſus Baronium vindicavit *Boſchius* noſter T. IV. Julij in Hiſt. Chronolog. Patriarch. Antioch. à pag. 35. ad 38. & cit. Tomo in Actis S. Euſtathii ad diem XVI. Julij à p. 134. ad 138. §. 3. & 4. Sic II. arguitur Theodoretus, quòd l. 1. c. 19. ſcribat, Epiſtolam Conſtantinii M. ad Nicomedienſes tum fuiſſe datam, cùm mortuo Alexandro CPolitano Euſebius Nicomedienſis in CPolitanam Sedem ſe intruſiſſet. Atqui ex Sozomeno conſtat, quòd primùm poſt annos decem ab obitu Conſtantini Alexander CPolitanus è vita exceſſerit. Ita *Baronius* T. 3. ad A. 329. n. 10. & ad A. 340. n. 15. Verùm licèt Theodoretus l. c. CPolitanæ Sedis invaſionem, à Nicomedienſi Euſebio factam ad ſuperſtitis Conſtantini M. tempora malè omnino referat (quandoquidem ea primùm contigit A. 340., ſive triennio poſt Conſtantini M. deceſſum) ipſe tamen Baronius multoties hìc labitur. Nam *primò* etſi Theodoretus laudatam Conſtantini Epiſtolam jam cap. 19. lib. 1. recenſeat, neutiquam tamen exprimit, quòd eam Conſtantinus ex occaſione Sedis CPolitanæ ab Euſebio invaſæ ad Nicomedienſes exarârit; ſed cùm ibi Theodoretus novam hanc Euſebii violentiam deſcribere fuiſſet aggreſſus, ipſe, ut ſub uno veluti conſpectu contextúque

Uſurpatoris hujus audaciam lectori patentiùs exponere poſſet, etiam illius criminis mentionem ſimul ingeſſit, cujus *jam antè* reum ſe fecerat Euſebius, cùm à Berytenſi Eccleſia ad Nicomedienſem pro ſolita ſua ambitione contra Canonum placita absque legitimæ Electionis ſuffragio tranſiliiſſet. Qua in Eccleſia cùm per Imperatoris indulgentiam fuiſſet toleratus, poſtea verò ſeu poſt Nicænum Concilium non uno crimine ſe implicâſſet, hominem indigniſſimum è ſua ſede movendum ac relegandum cenſuit Conſtantinus; atque hac ipſa ſuper re ad Nicomedienſes is ſcripſit: ut de digniori ſcilicet Præſule iis poſſet provideri. *Secundò*: Si juxta ipſummet Baronium ad A. 337. num. 1. & ſeq. item ad A. 340. n. 15. Conſtantinus M. obiit Anno 337., Alexander verò CPolitanus A. 340.: quomodo à Baronio ſcribi potuit, quòd poſt *decem* à Conſtantini obitu annos Alexander è Seculo migrârit? *Tertiò*: idem Baronius ad A. 340. n. 15. & ad A. 317. n. 17. Alexandrum hunc XXIII. annis CPolitanam Eccleſiam rexiſſe indubitanter affirmat. Erroneam verò iſtam opinionem gravibus ex argumentis confutârunt Cuperus T. I. in Hiſt. Chronolog. Patriarch. CP. pag. 13. 14. 15. à n. 58. ad 72.: *Janingus* T. I. Junij in vita S. Metrophanis à p. 386. ad 391. Cetera nunc quidem prætereo.

S. THEOPHANES. S. THEOPHANES, Magni Agri in Sigriana prope Cyzicum *Hegumenus* atque Confeſſor, vitæ terminum nactus eſt inter Annos circiter 818. & 820.: qua de re vide *Acta SS.* T. II. Martij p. 214 à n. 11. ad 15. ad diem XII., quô colitur: item *Pagium* T. III. Crit. ad A. 816. n. 2. Diſtinguendus verò eſt ab aliis ejusdem nominis quà Sanctis, quà Scriptoribus, quos Jacobus *Goar* Ord. Prædic. in ſuis ad Theophanem notis, & ex eo *Acta SS.* l. c. n. 5. enumerant. Vid. *Hiſt. Byzant.* noviſſimæ Edit. Venetæ de A. 1729. Tomo V. ubi Chronographia Theophanis, Goaris notîs illuſtrata. Tres videlicet eorum fuêre hoc noſtro antiquiores, ſupparis ævi quatuor. Inter illos præcelluit is, qui Seculo VI. tum bellum Perſicum, tum res Romanas ſub Juſtino juniore, ſive ſuo tempore geſtas, decem libris recenſuit, ùt teſtatur Photius in Bibliotheca. Inter ſuppares & propè coævos eminuit S. Theophanes *Cantor*, S. Theodori Grapti Germanus, poſtea Nicææ Epiſcopus ac Metropolita à S. Methodio Patriarcha CPolitano ordinatus, egregius ſub Theophilo Imperatore Confeſſor, & Sacrarum imaginum vindex: de quo conſule Pagium T. 3. Crit. ad A. 817. 821. 833. 835. 842.

N. 2. Præter eam laudem, quæ ab illuſtri genere, teſtatáque per præclaram fidei confeſſionem virtute deſumitur, celebrem hunc noſtrum

noſtrum Theophanem reddidit Opus *Chronographicum*, quod ab anno Diocletiani primo (ad quem, eodem Theophane teſte, Georgius Syncellus inchoatum ab Orbe condito Opus perduxerat) usque ad Michaëlis & Theophylacti filii imperium ſive usque ad A. 813. de Orientalis potiſſimùm Imperii rebus eſt perſecutus. Ita enim ipſius Theophanis præfatio habet: *Sanctiſſimi CPoleos Patriarchæ Tarasii olim Syncellus, Georgius Abbas, Vir eximius & eruditiſſimus, multis chronographorum & hiſtoricorum libris evolutis, compendiariam ab Adamo ad Diocletiani tempora chronologiam ſcripſit, diſcuſsisque ſtudioſè temporum rationibus ad invicem comparavit, emendavit, ac ſolertiſſimè, ut ante ejus ætatem nullus, compoſuit: priſcorum inſuper Regum ac Nationum Univerſarum ſtatu & regimine annotato, ſingulorúmque quantum licuit obſervatis ætatibus, ſupremarum & Univerſalium Sedium, Romæ dico, Alexandriæ, Antiochiæ & Hieroſolymorum Pontifices enumeravit, eorúmque annos ac tempora egregio digeſſit ordine. Sed quoniam præveniente ipſum morte, opus, quod ad Diocletiani usque tempora ſcribendo, ut ſumus præfati, perduxerat, non poterat ad propoſitum ſibi finem proſequi: nobis velut ſincerioribus amicis illud reliquit, multa excuſantes pluribus hortatus, ut ne imperfectum relinqueremus laborem ſuum, atque ad eundem ſuſcipiendum coëgit. Quocirca monitis ejus morem gerere compulſi, molem robore noſtro longè graviorem ſuſcepimus. Multis ſiquidem voluminibus diligentiùs exquiſitis & quantum facultas & ingenium dedit examinatis, præſentem Chronographiam Diocletiani temporibus ad Michaëlis & Theophylacti ejus filii Imperium compilamus; Reges inſuper & Patriarchas, nec non eorum geſta & ætates, quâ par eſt ſedulitate, deſcribimus, nihil ex proprio adnectentes; ſed potiùs ex antiquis hiſtoricis & Oratoribus colligentes omnia, propriis quæque locis digeſſimus, ſecundum temporum rationem res geſtas ordinantes, ut quoto anno quid factum ſit in bello vel Eccleſia, in promptu habeant legere volentes.* Atque ex hoc ipſo Sancti hujus Chronographi proloquio non obſcurè intelligimus, magno ſanè in pretio habendam eſſe ejus Chronographiam (absque tabulis tamen Chronologicis, quales hodie inſertæ circumferuntur, acceptam) quæ Auctori ſuo tanto labore tantáque indagine ſtetit. Quam in rem

N. 3. Obſervâſſe juverit, quòd Papebrochius in Exegeſi Præliminari I. ad Theophanis Chronograhiam T. III. Martij cap. I. §. IV. num. 3. & 4. aoriſtos συνεγραψαμεθα & τεταχαμεν, qui in Theophanis præfatione leguntur, per verbum præſentis quàm præteriti temporis explicare maluerit: quia, *inquit*, proëmium illud operi non *facto*, ſed *faciendo* præmitti à Theophane, iis perſuademur argumentis, quibus credere cogimur, non omnia, quæ præconcepe-

rat animo, fuiſſe ab eo effectui mancipata: quorum defectum cùm ſciolus aliquis præſumpſiſſet ſupplere, præclariſſimo Auctori haud mediocriter injurius fuit. Etenim *Chronographia* Theophanis, qualem nunc habemus, ex collatione quinque Codicum MSS., Regii ſcilicet, Peyreskiani, Barberini, Vaticani, & Palatini, *duabus* conſtat partibus: *quarum quæ potior eſt & verè aurea omnique acceptione digniſſima, hiſtoriam exhibet per annos digeſtam*: altera *vix plumbea dici meretur*, conſiſtítque in *tabulis chronologicis* (*Canonia* vocat Goar) quibus per loculos diviſis, primùm Annus Mundi, tum Chriſti Incarnati, dein Imperatoris Romani, proximè Regis Perſarum aut Ducis Arabum, rerum poſt Perſas in Palæſtina potientium, denique ex ordine quinque Epiſcoporum præcipuorum ſeu Patriarcharum, Romani, CPolitani, Hieroſolymitani, Alexandrini & Antiocheni ordo & anni continentur. *Tabulas* autem iſtas magna cum diverſitate non tantùm præfixas *annis non ſuis*, ſed etiam *mendoſiſſimè* conſcriptas eſſe, & plurimis hiare loculis, ac *portentoſis* prorſus annorum, præſertim Patriarchalium ſupputationibus ſcatere, cùm ipſemet Goar agnoſcat, fateatúrque: mirum eſt aut ipſum, aut qui defuncti Goaris laborem eduxit in lucem, Combefiſium potúiſſe ſibi perſuadere, ab Auctore Theophane eſſe, &c. Ita *Papebrochius*, qui dein à n. 5. ad n. 11. tabulas haſce Chronologicas plurimis portentoſisque erroribus ſcatere probat, maximè circa Romanos Pontifices, circa quos ipſimet Theophanis ſubjunctæ hiſtoriæ palàm eædem adverſantur, neque cum Georgii Syncelli tabulis, quas tamen illæ proſequi deberent, conveniunt ſive in ſerie Regum Perſarum aut quatuor Patriarcharum ſucceſſione, ſive in primo Diocletiani anno, aliter à Georgio, aliter ante Theophanis opus expoſitô. Quare ùtùt tabulas illas deſignatas quidem à Theophane, ductîs lineîs, fuiſſe admittat Papebrochius: inſcriptis tamen nominibus annísque minimè ab ipſo, ſed à ſciolo aliquo, S. Nicephori catalogos imperitè ſecuto, ſeriùs fuiſſe impletas, haud temerè conjectat; quandoquidem Theophanes, ùt ex ipſa Anaſtaſii verſione & Hiſtoria Eccleſiaſtica colligi poteſt, annos duntaxat mundi & Chriſti, aut etiam ſolos quandoque annos Imperatorum annotare conſuevit. Eadem Papebrochii de ſuppoſititiis in Theophane tabulis ſive forulis ſententia confirmatur apud *Sollerium* T. V. Junii in Hiſtoria Patriarch. Alexandr. p. 42. n. 218. Neque improbare videtur *Cuperus* T. I. Aug. in Hiſt. Patriarch. CP. p. 10. n. 51.

N. 4. Tametſi negari haud poteſt, ipſam quoque Theophanis Hiſtoriam non paucis erroribus Chronicis eſſe refertam, ùt notat *Sollerius*

Sollerius l. c. p. 41. n. 217. *Cuperus* l. c. p. 14. n. 65. *Papebrochius* T. III. Martij in cit. Exegeſ. n. 19. & 20. & à n. 27. p. X. c. V. ubi tamen hæc menda poſteriora per librariorum oſcitantiam Theophani aſperſa exiſtimat: *Stiltingus* T. V. Sept. p. 279. lit. a. item *Pagius* T. II. ad A. 484. n. 14. ubi ait: etſi per hæc tempora Theophanes *in rerum narratione utplurimùm accuratus ſit, in Chronologia tamen non rarò peccat.* Idem Sollerius l. c. p. 69. n. 368. conqueritur, quòd quæ Heraclii temporibus à Saracenis ſunt geſta, Theophanes gentis fortaſſe odio aut intacta reliquerit aut ſatis negligenter & incurioſè tractârit, idque eò magis deplorandum exiſtimat, quòd ſolus ipſe & unicus eorum temporum Chronologus Chriſtianus ſuperſit. Etenim, quòd ſæpe citatos (à Scriptoribus) invenias *Theophanem*, *Miſcellam*, *Paulum Diaconum*, *Anaſtaſium*, *Cedrenum*, tanti, quod ad præſens attinet, facienda noveris ea omnia nomina, ac ſi Theophanes unus Auctor adhibeatur. Nam de Cedreno conſtat, *iisdem pene verbis omnia tranſtuliſſe ex Theophanis annalibus* (ùt eos conferendo didici, teſtantúrque Petavius in præfatione citati operis, ſeu Breviarii Nicephori, & Voſſius l. 2. de hiſtoricis Græcis cap. 26.) *ex Latinis verò Paulus Diaconus, & Anaſtaſius Bibliothecarius, ſive quicunque Miſcellæ Scriptor, in poſterioribus libris, nihil aliud agit, quàm eorundem interpretem; atque ùt ipſi mutilârunt priores, ita eorum quoque volumina mutilârunt juniores: idque judicio nullo, ſine ordine temporum, ſine delectu rerum.* Eſt igitur (*pergit Sollerius* n. 369.) ſemper nobis unicus Theophanes, minimè, ùt dixi, accuratus, & in rebus Saracenicis tam parùm verſatus, ut de celeberrimæ Urbis Alexandriæ expugnatione ne verbum quidem fecerit, ingreſſum verò barbaræ illius gentis in Ægyptum enormi parachroniſmo toto triennio vel quadriennio antevertens, Hiſtoricos omnes traxerit in eundem errorem, ſuóne omnino, an aliorum, ipſum non ſatis ſcrupuloſè examinantium vitio, noſtrum non eſt definire. Certè plura ſæpiſſimè ab eo in eundem annum congeri, quæ longè ſunt diſſita, tam obvium eſt & manifeſtum, ut ſatis mirari non poſſim, id à Baronio aliiſque doctiſſimis Chronologis non eſſe obſervatum. Ne verò ex mea unius fide id dictum putes, legenda propono, quæ hac de re ſcripſit Goar in ſuis ad Theophanem Notis, pag. mihi 547., impreſſionis Pariſienſis MDLV.: *Rerum geſtarum Metatheſes non prætereundas, infrequentiùs licèt, animadverto: & ex hiſtoriæ tantùm fide, non ex temporis accurata recenſione plura narrari: quod eſt, Hiſtoricum ubique, at non Chronographum ſemper ſe geſſiſſe Theophanem. Temporis Canonium & expreſſas in eo perſonas, cum Hiſtoria ad idem Canonium ſubjecta, non conſentire, manifeſto in Annotatis; ùt*

ut cùm ad Damasi annum quintum, Julii Pontificis obitum, & Liberii promotionem unà legimus connecti. Anni unius gesta in alium quandoque reponere, cum accuratis etiam Historicis, Theophanis lapsus communis est. Et quis, obsecro, separanda non videat, quæ ille conjunxit (ut plurima alia fileam) sub annis XX., XXI. & XXV. Heraclii, quæque in Miscella aliter notata invenies, aliter ab aliis, eodem ex fonte, pugnantia haurientibus? Ita *Sollerius* l. c.

N. 5. Sapienter tamen *Papebrochius* cit. Exegesi cap. V. p. XI. num. 27. Lectorem admonet: *Si qua subinde pluribus gesta annis, eo, quo cœpta sunt geri, anno conjunctim legantur* (in Theophane) *ea non ita morari lectorem poterunt, ut propterea opus sit singula ad examen revocare. Si Romanorum Pontificum aut aliorum Patriarcharum successio, quandoque ipsi inserta textui, hinc inde appareat corrigenda ex certioribus monumentis, non ipsi auctori vitium imputetur, sed catalogis, quos nec ipse nec qui simili in studio laboravit S. Nicephorus, satis correctos habuit, ut alibi & maximè in S. Cyrillo Hierosolymitano Episcopo §. 3. ad XVIII. Martij probavimus. Si denique auctores, quos potuit, secutus optimos, aliquem temporis characterem ab iis vel perperam vel ambiguè notatum pre oculis habuit, danda est venia humanæ imbecillitati, cui nulla possit præstare diligentia, ut non aliquando exerret à vero. Ita cùm Theophylactus Simocatta seculi VII. Scriptor historiam Mauritii Imperatoris libris octo descripsisset, & lib. 5. cap. 16. pacato Imperatoriis armis Oriente ad res in Europa gestas transiens dixisset, quòd* eo die, *quo ipse Imperator ducturus exercitum, vere* ineunte, egressus è regia, parasangam unam & semis usque in septimum processit, sol pene totus est obscuratus, subjunxisséque ἐνιαυτὸν δὲ ἄρα τοῦτο ἔτος ἐτύγχανεν ὂν Μαυρικίῳ τῷ αὐτοκράτορος: *id Theophanes, æquè ac posteà Simocattæ interpres Latinus Jacobus Pontanus,* de anno Imperii nono *intellexit. Hoc porro si ex mente auctoris fecit uterque, erravit sanè, ut mox patebit, Simocatta ipse; certum est enim, quòd ipse annus fuerit Mauritio Imperii decimus. Si auctorem excuses, eúmque putes non annum* τῆς βασιλείας Imperii, sed τῆς ὑπατείας Consulatûs nonum *(ut scriptum fortassis ante se repererat) numeravisse: excusabilis etiam Theophanes erit, quòd magis obvium secutus sensum, ad minùs usitatum alterum & in hoc casu specialem non adverterit animum.*

N. 6. Cetera, quæ ad Theophanem spectant, sunt *primò*, quòd numero subinde utatur rotundo, & annos incompletos pro completis accipiat. Vid. *Cuperus* T. I. Aug. in Hist. Patriarch. CP. p. 78. n. 438. *Secundò*, quòd illius Historia à Schismaticis alicubi videatur interpolata. Vid. idem *Cuperus* l. c. p. 66. n. 362. *Tertiò*: quòd unum, sive quintum Phocæ Imperatoris annum in Chronographia

graphia ſua Theophanes prætermiſerit, ac proin uno anno tardiùs res geſtas deinceps enarrârit (errorem hunc pariter ſequentibus ceteris Theophanis exſcriptoribus) dum tandem in viam rediêrit, & ſive ad Juſtiniani II., ùt vult Pagius, ſive ad Juliani & Conſtantini Copronymi tempora, ùt vult Papebrochius, uno ſcilicet anno in duos diſtracto, lacunam illàm ſive hiatum, in Phoca commiſſum, explerit. Vid. *Papebr.* in cit. Exegeſi cap. III. & IV. *Pagius* T. III. Crit. ad A. 693. n. 3. & T. II. ad A. 610. n. 4. *Quartò*: quòd Theophanes *ærâ* utatur *Alexandrinâ*; quam ut æræ *vulgari*, ſive *Dionyſianæ* aptare poſſis, duo ſunt obſervanda. Annis ſcilicet *mundi*, quos numerant Alexandrini, addendi ſunt anni *ſedecim*: annis verò *Incarnationis* ſive Chriſti adijcies annos *octo*. Sic qui in Alexandrina æra dicitur Annus mundi 5983., Chriſti 483., juxta æram vulgarem erit Annus mundi 5999. Chriſti 491. Vid. *Papebr.* in cit. Exeg. cap. 2. num. 11. ſeq. *Pagius* T. II. Crit. ad A. 612. n. 2.

Primum Operis ſui interpretem Latinum Theophanes habuit Jacobum *Goar*, Ord. Prædic. qui tamen cùm morte fuiſſet præventus, Interpretis verſionem unà cum ejusdem Notis publicavit Franciſcus *Combefiſius*, ejusdem Inſtituti alumnus, Pariſiis A. 1655, adjectîs etiam ſua ex penu poſterioribus notîs. Altera Theophanis Editio curata Venetiis A. 1729. inter Hiſtoriæ Byzantinæ Scriptores Tomo V., ubi tam Goaris quàm Combefiſii annotationes, *Leo* item *Grammaticus*, Theophanis continuator, à Goare quidem latinè redditus, ſed à Combefiſio notîs illuſtratus, ſimul exhibentur.

Thomas Cantipratanus, Natione Brabantius, è Canonico-rum Regularium Ordine & Cantipratano in Arteſia Monaſterio (unde Cantipratanus eſt dictus) ad Ordinem Prædicatorum translatus, & Sub-Prioris apud Lovanienſes officiô functus obiit teſte Lipſio A. 1263., 15. Maij, laudatus à pluribus, quos enumerat *Labbeus* T. II. Script. Eccleſ. p. m. 439. *Henſchenius* T. III. Junij p. 231. n. 2. in Vita S. Lutgardis: *Colvenerius* in Vita Thomæ & præfatione ad ejus libros: *Nat. Alex.* T. VII. Hiſt. Eccl. ad Sec. XIII. cap. IV. art. IV. n. 1. p. 140. *Graveſonius* P. II. Hiſt. Eccl. T. V. Colloq. V. p. m. 166. Edit. Venetæ. Nomen illius inter *Prætermiſſos* refertur in Actis SS. ad diem XV. Maij. Inter ceteras Thomæ lucubrationes maximè commendantur duo *de Apibus* libri, quos & *Bonum Univerſale* inſcripſit (quia omnium Ordinum hominibus utiliſſimum) & Humberto de Romanis totius Prædicatorum Ordinis Generali Magiſtro nuncupavit. Triplex hujus Operis editio extat *Duacena*: prima de A. 1597.: altera de A. 1607.: Tertia de A. 1627.: quæ juxta Labbeum

Thomas Cantipratanus

beum prioribus magis abſoluta cenſetur. Multa in hoc Opere de Prælatorum ſubditorúmque Officio tractantur, & ejus temporis quà miracula quà exempla, juxta Bellarminum l. de Script. Eccleſ. *verè, fidelitérque* narrantur. Neque dubitandum, quin & bona fide conſcripſerit ſingula Cantipratanus, & plurima aut pleraque ex vero commemorârit. Prohibere tamen haud potuit Vir ſolertiſſimus atque piiſſimus, quin & ipſe communi cum aliis exemplographis fato obnoxius fieret, & in remotioribus à ſua Patria geſtis aliquam ſubinde deceptionis humanæ infirmitatem pateretur. Exemplo ſit illud, quod Cantipratanus l. 1. de Apibus cap. 3. hiſce verbis enarrat: *Devotiſſimus in Principibus Rex Franciæ Ludovicus* (Sanctus) *anno circiter ab Incarnatione Domini MCCXXXIX., inſtigante fratre Henrico, dicto de Coloniâ, Ordinis Prædicatorum prædicatore peroptimo, ſub pœna mortis congregari fecit Pariſiis nefandiſſimum librum Judæorum, qui Thalmud dicitur; in quo inauditæ hæreſes & blaſphemiæ contra Chriſtum, & Matrem ejus, locis plurimis erant ſcriptæ. Hujus itaque libri diverſa exemplaria ad comburendum Pariſiis allata ſunt. Flentes ergo Judæi adiérunt Archi-Præſulem, qui Regis conſiliarius ſummus erat* (Gualterus Senonenſis Archi-Epiſcopus hìc denotatur, qui in regni adminiſtratione primas tunc obtinebat: ùt advertit Bulæus in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis Tomo III. p. 177.) *& pecuniam ei pro conſervatione librorum innumerabilem obtulerunt. Quâ corruptus Regem adiit, & ad voluntatem ſuam juvenilem animum mox invertit. Redditis ergo libris, Judæi ſolemnem diem agi conſtituunt omni anno: ſed in vanum, aliud Spiritu Dei ordinante. Revoluto enim anno, die certo, & ipſo loco, quo libri execrabiles redditi ſunt Judæis, hoc eſt in Vicenniis prope Pariſios, dictus Archi-Epiſcopus ad conſultationem Regis veniens, diro viſcerum dolore correptus eſt, & eadem die cum ejulatu maximo vitæ finem accepit. Fugit autem Rex de loco cum tota familia, nimium verens, ne cum Archiepiſcopo divinitus feriretur. Nec multò pòſt, ùt priùs, inſtigante dicto fratre Henrico, Judæorum libri congregati ſunt ſub mortis pœna, & in maxima multitudine ſunt combuſti.* Hæc Cantipratanus. Verùm ùtùt iſtam narratiunculam tanquam legitimam admiſerit *Bulæus* l. c. & Jacobus *Echardus* tum Tomo I. Bibliothecæ Prædicatorum p. 250., tum verò maximè in Summa Sancti Thomæ ſuo auctori vindicata p. 572, ubi hanc hiſtoriam elucidandam ſuſcepit aut potiùs illuſtrandam ſuggeſſit, editis de ea monumentis literisque antiquis, quæ eouſque lucem nondum aſpexerant: nihilominus inſulſam eſſe fabellam & tam Regi ſanctiſſimo, quàm laudatiſſimo Antiſtiti Gualtero ſummè injuriam, luculenter oſtendit Stiltingus noſter T. V. Aug. §. XXXII. in vita S. Ludovici Regis pag. 359 & 360 à n. 375 ad n. 384. Ea enim argumenta adducit, è quibus totam Cantiprata-

nâ

ni relationem concidere neceſſe eſt: neque enim libri collecti ſuadente *Henrico* de Colonia, ſed *jubente Pontifice*: nec redditi per *Archiepiſcopum* pecuniâ corruptum, ſed, *ipſomet Gualtero in judicio publico præſidente*, damnati, & quotquot haberi potuêre, combuſti. Mortis verò genus etſi taceant Auctores, Archiepiſcopi tamen laudes non tacent, & vel ſola vetus ſepulchralis inſcriptio pro vindiciis ſervit. Atque ex his (ſubjungit *Stiltingus* n. 383.) ſatis vindicata videtur fama *Gualteri*, ſimúlque *Ludovici*, qui *juvenili* levitate libros blasphemiis refertos reddidiſſe Judæis dicebatur. Quod autem de ejus cum tota familiâ fugâ narratur, moriente Archiepiſcopo, haberi poteſt pro ornamento adjectitio, qualia tragœdi *epiſodia* vocare ſolent; cùm nec gravitati *Ludovici* conveniat, nec pietati, Virum ſibi percharum in tanta neceſſitate deſerere.

Ceterùm (pergit *Stiltingus* l. cit.) *non ita vehementer mirari debemus, Cantipratano, exempla undique conquirenti terrorem incutere nata, aliquid ſubinde vel mendaci fama, vel ab aliquo myſteria fingente, ubi non erant, obtruſum fuiſſe à vero alienum. Hæc autem fidentiùs narraſſe videtur, quòd exemplum profuturum ſperaret, nec cujuſquam famæ nociturum, modò nomen* (Archiepiſcopi) *ſupprimeret: licèt poſtremum non ſatis vitaverit hoc loco.* Neque tamen exinde hypercriticus quiſpiam Cenſor mox arguat, ceterarum quoque, quæ in Cantipratano copiosè leguntur, narrationum parem eſſe conditionem, neque Cantipratano tutò poſſe confidi: niſi paria falſitatis indicia ſubeſſe dubitator rite probaverit. Certè ùt idoneum & fide dignum hiſtoricum Cantipratanum agnovit *Cuperus* T. I. Aug. p. 449. n. 467. pag. 468. n. 562. p. 435. n. 404. in vita S. Dominici: ubi Cantipratani relatione is utitur. *Henſchenius* T. III. Junii p. 231. n. 2. in vita S. Lutgardis V. *Pinius* T. V. Julii p. 637. 638. à n. 1. ad n. 12. in vita S. Chriſtinæ, *mirabilis* dictæ: ubi ſolidiſſimè Cantipratani vindicatur auctoritas, ſimúlque ea adverſus naſutulos & incredulos præſumptores, quidvis ſtolidè negare aut dubitare paratos, argumenta ſuppeditantur, ob quæ illius etiam de Apibus Operis, ſaltem in plerisque, nulla falſitatis, minùs impoſturæ, nota poſſit impingi. Heterodoxorum verò, qui & exempla & miracula pro lubitu negant, cavillationes rectiùs contemnuntur; qui utique digni haud ſunt, per quos Deus miracula patret, digniores, qui tragica, qualia Cantipratanus commemorat, Vindictæ Divinæ Exempla ipſimet ſæpenumero extiterint, & porro exiſtere poſſint.

THUANUS Jacobus Auguſtus, Scriptor Gallus, ſub Henrico IV. Pariſinæ Curiæ (au Mortier) Præſes & regiæ Bibliothecæ Præfectus, morte ſurreptus Anno 1617, famoſam ſui temporis hiſtoriam latino THUANUS.

sermone vulgavit, & à postremis Francisci I. temporibus ad Annum usque 1607 productam atque in CXXXVIII. libros partitam, eidem Henrico IV inscripsit. Recusa est Francofordiæ A. 1609. 1614. 1621. 1625. Aurelianæ 1620. Genevæ 1626. Londini 1733. Plurimos sanè, sed heterodoxos maximè, sui encomiastes reperit Thuanus, quos inter facilè agmen ducit Conringius, ùt videre est apud P. Ignat. Schwarz P. III. Colleg Hist. p. 128. 129. 130. 132. 133. 134. At si in discipulum recidit gloria Magistri, quem ille sequitur: etiam dedecus utrique erit commune. Secutus verò est, ipso Conringio teste, Thuanus *Sleidanum*, *Cythræum*, *Buchanonum* &c. Prô quanta nomina! nimirum mendaciissima. Meruit certè Thuanus, ut adversus ejusdem fabulas ac impostura calamum stringeret Joannes Baptista Gallus JC. & librum pariter publicaret, cui titulus: *Notationes in Thuani Historiam, Lectoribus & utiles & necessariæ*: quas lege sis apud Gretserum T. XVII Operum P. II. à p. 23. Ego scriptionis hujus argumenta duntaxat, sive XII. Capita huc transcribo: *Caput* I. *vanissima Thuani Historia.* II. *Thuanus Scriptorum hæreticorum admirator.* III. *Thuanicæ quædam loquendi formulæ.* IV. *Collecta à Thuano Apophtegmata.* V. *Thuanus in Sectarios propensior.* VI. *Probis omnibus & Catholicæ Religionis assertoribus perinfensus Thuanus.* VII. *Susceptum à Thuano bellum in Jesuitas internecinum.* VIII. *Contumeliosè Reges Christianissimos appellat Thuanus.* IX. *Convitia in Romanos Pontifices totâ passim Historiâ à Thuano sparsa.* X. *Implacabile Thuani odium in Sedem Apostolicam.* XI. *Thuanus Pseudo-Theologus.* XII. *malignæ aliquot Thuani fraudes.* Plura de Thuanicæ Historicæ vitiis succinctiùs simùl atque distinctiùs exhibet ejusdem Tomi XVII. Gretseriani Index, verbô: *Thuanus.* Suam quoque in detegendis & confutandis Thuani mendaciis & calumniis operam posuit *Odoricus Raynaldus* in Continuatione Annalium Tomo XXI. ad A. 1551. n. 33. A. 1564. n. 12. & 38. A. 1562. n. 129. & 172. quibus in locis Raynaldus ostendit, quòd plura ad Apostolicæ Sedis dignitatem deprimendam ex Hæreticorum lacunis in suam historiam transtulerit Thuanus: quòd ex iisdem heterodoxis fontibus etiam circa alias narratiunculas non pauca sit mutuatus, ac impia quædam verba Michaëli Hospitali eum affinxisse, multi suspicentur: quòd plura in Antonium Navarræ Regem falsa per calumniam scribat. Multò adhuc plura Thuani commenta & palmaria mendacia refellit Raynaldi Continuator *Laderchius* T. XXII Annal. Baron. verbô: *Thuanus.* Jure itaque factum, ut tam putida & fœtida Thuani Historia jam A. 1610 inter damnati Ordinis scripta Romæ configeretur, prout in sua ad dictas Annotationes præfatiuncula Joannes Baptista Gallus testatur. Vid. etiam noviss. Index Rom. p. 191. 195. 416.

de TILLEMONT Ludovicus Sebaſtianus le Nain, Scriptor itidem Gallus, qui Pariſiis fatô perfunctus eſt A. 1698, vernaculo ſive gallico idiomate ſcripſit I. *Hiſtoriam Imperatorum Rom.* uſque ad Anaſtaſium. Edita eſt Pariſiis 1692: Bruxellis 1710: Venetiis 1739: quæ Editio ultima ſex Tomos in forma 4. majore complectitur. II. *Monumenta Eccleſiaſtica*, primorum ſex ſeculorum Hiſtoriam illuſtrantia, & per complures Tomulos prolixè ſimul, criticéque deducta. Placuit verò multis Scriptoris hujus induſtria, ingenium, & criticandi dexteritas, largúmque illi encomium texuit Perraultius, qnod Tomo VI. Hiſt. Imp. Edit. Venetæ præfigitur. Neque dubitandum, quin in Critices diſciplina plurimùm profecerit Tillemontius, atque intricatiſſima, quæ in rebus hiſtoricis ad faſtidium uſque occurrere ſolent, non rarò feliciſſimè extricârit: plus tamen profecturus, magísque laudandus, niſi ſuo in ſenſu nimium abundâſſet, indéque in avia multoties declinâſſet. Nos de ſolis potiſſimùm illius Monumentis Eccleſiaſticis (quæ è Pariſienſibus typis ſecundò prodiêre ab A. 1701.) mentionem hoc loco faciemus, & quæ Hagiographi noſtri Antverpienſes ſparſim in Actis SS. de Tillemontio adnotârunt, ſuccinctiùs hìc attingemus; fuſior enim ſingulorum, quæ in Monumentis hiſce perſtringenda occurrunt, tractatio & confutatio non paginas duntaxat aliquas, ſed juſtæ molis Volumen ſibi expoſceret. De TILLEMONT.

COMMENTATIUNCULA CRITICA
DE
Tillemontii Monumentis Eccleſiaſticis.

§. I.

Tillemontius ſui ſæpè oblitus, & regulis aſſertísque ſuis contrarius.

n. 1. SOlenne admodum ac prope perpetuum huic Scriptori jam eſſe conſuevit, ut ea Sanctorum Martyrum Acta vel fabulis accenſeat, vel interpolata aut inſincera pronuntiet, in quibus aut allocutiones prolixiores, aut duriora verba leguntur, queis Sancti Martyres ſubinde Tyrannos, & ipſos etiam Imperatores allocuti credantur.

Sic I. Tom. V. Monum. Eccleſ. notâ 66. in Perſecutionem Diocletiani aſſerere non dubitavit, Acta *S. Adriani* & Sociorum MM. (qui die VIII. Septembris coluntur) fœtum otioſi hominis videri, qui ſtylum exercere voluerit; nam & locutiones ibi occurrunt juſto longiores, & *frequenter plenæ ſunt injuriis in Imperatorem ipſum* : *quod malum eſt ſignum.* Et tamen S. Baſilius, S. Chryſoſtomus, aliſque Patres, quos tanquam Scriptores optimos admittit Tillemontius, non paucas Martyribus ſermocinationes ejusdem naturæ attribuunt : nec tamen prolixiores iſtæ locutiones impediunt, quò minùs geſta Martyrum à Patribus relata pro veris admittantur. Imò ipſe Tillemontius multa Martyrum Acta pro genuinis agnoſcit, licèt ſermocinationes contineant æquè prolixas, ùt videri poteſt apud Ruinartium in Actis Martyrum ſinceris & ſelectis. Deinde falſum eſt, quòd Adriani Acta injuriis ſcateant in Imperatorem : & rurſus contra ſe ipſum Tillemontius pugnat. Nam in SS. Taracho, Probo, & Andronico fatetur, nulla haberi poſſe Acta magìs authentica, quàm ſint acta illorum Sanctorum, edita apud Ruinartium pag. 422. editionis ſecundæ : nec dubitat, quin ſint ipſa Martyrum verba, quæ ùt talia Actis illis inſerta ſunt. Atqui nemo negaverit, quin duriora aut certè æquè dura ſint verba, quibus illi Martyres judici ſæpe reſponderunt, quàm ſint ea, quæ in Actis S. Adriani huic & ejus ſociis tribuuntur. Præterea eodem Tomo V. Monum. *in* SS. Juliano & Ferreolo, Acta Ferreoli *excellentia* vocat : etſi nonnulla contineant, quæ Tillemontius in Actis SS. paſſim improbat, qualia ſunt, miracula, *longiores* & *liberiores* ſermocinationes, carcer præter modum atrox &c. Vid. *Stiltingus* T. III Sept. in Comment. de *S. Adriano* à p. 210. §. II. num. 8. ad n. 18. ubi ex SS. Patribus & Scripturæ exemplis eruditiſſimè oſtenditur, quòd neque longiuſculi neque liberiores ſermones ſive Actorum ſinceritati, ſive Martyrum probitati & debitæ aliàs erga Magiſtratus Politicos reverentiæ obſint. Item *T. V. Sept.* in Actis S. Ferreoli p. 764. n. 19. *Honoratus* à S. Maria in Animadverſ. ad regulas & uſum critices Diſſert. 4. art. 8. II. Acta *S. Alexandri I.* Pontificis Rom. Tillemontius T. II. Monum. p. 590. 591. inter cetera ex eo capite impugnat, quòd in iis Trajani perſecutio ad *omnes* Chriſtianos extendatur. Nihilominus eodem Tomo II agens de perſecutione Trajani art. 2. p. 169 : item art. 2. in Actis S. Ignatii p. 195, & notâ 4. in Ignatium p. 578. ipſemet univerſalem Chriſtianorum perſecutionem à Trajano imperatam tum ex Euſebio tum ex ſinceris S. Ignatii Actis indubitanter affirmat. Vid. *Stiltingus* T. VI. Aug. p. 144. n. 9. 10. in Actis S. Hermetis. III. Eadem *Alexandri* Acta vehementiùs diſplicent huic Scriptori, quòd ibidem S. Hermeti captivo

vo præfectura Urbis continuanda promittatur, ſi idolis ſacrificare voluerit; id enim ſe credere haud poſſe dictitat. Aſt Tomo V. Monum. notâ 1. in S. Theodotum, cujus Acta ibi defendit, pag. 661. credere potuit, *Sacerdotium Apollinis*, aliáque maxima Theodoto à Tyrannis promiſſa &c. Quòd ſi verò hæc illi poterant promitti, qui cauponem agebat (ùt videri poteſt Tom. IV. Maij à p. 149. in Actis S. Theodoti) quid nî multò magis promitti & à Tillemontio credi poterat Illuſtriſſimi Hermetis Præfectura continuanda, quam is antè jam geſſerat? Vid. *Stilting.* T. VI. Aug, p. 146. n. 15. IV. T. I. Monument. notâ 2. in S. Matthæum negat, eum prædicâſſe in Æthiopiâ Septentrionali, Ægypto contermina: eoquòd hæc Æthiopia non exceperit fidem Chriſtianam, niſi ſeculo *quarto* per S. Frumentium: id quod oſtendere conatur Tomo VII. notâ 2. in S. Frumentium. Attamen cùm Tomo II. in S. Philippo Diacono geſta Evnuchi Reginæ Candaces exponeret, & ab eodem Philippo Chriſtiana fide imbutum baptizatúmque narrâſſet, laudat ibi Irenæum l. 3. c. 12. S. Cyrillum Jeroſolymit. Catech. 17. Hieronymum, Euſebium, aliósque docentes, Evnuchum illum in Æthiopiam miſſum ad annuntiandum ibidem Evangelium. Certum verò eſt, regnum Candaces Ægypto fuiſſe proximum & conterminum. Quâ igitur ratione negari potuit, fidem in Æthiopia Septentrionali prædicatum fuiſſe ante Seculum IV? Vid. *Stilting.* T. VI. Sept. p. 207 à n. 50 ad n. 55. Plura contradictionis aut oblivionis Tillemontianæ exempla notant in Actis SS. *Boſchius T. IV. Julii* in Hiſt. Chronolog. Patriarch. Antioch. p. 12. n. 42. *T. I. Aug.* p. 141. lit. p. in annot. ad Acta S. Stephani I. Pontif. Rom. *Cuperus* T. I. Aug. in Hiſt. Chronol. Patriarch. CP. p. 36. 37. n. 183. 184. in vindiciis S. Attici. Item p. 52. n. 275. *Cleus* T. VI. Sept. in Actis SS. Mauritii & Sociorum p. 340. n. 195. 196. & p. 344. lit. S. in Annot. *Perierus* T. VI. Sept in Actis S. Alexandri Ep. M. p. 232. in Annot. lit. o. q. pag. 233. lit. e. pag. 234. lit n. o. p. t. *Stiltingus* T. VI. Sept. in Actis S. Liberii p. 579. n. 26. pag. 598. n. 111. 112. &c.

§. II.

Authoribus non rarò tribuit ea, quæ ipſi minimè dixêre: ipſe vicissim Authores infideliter refert aut corrumpit.

2. Tillemontius cùm Tomo V. Monum. pag. 511. ſecundæ Editionis mortem S. Severiani M. Sebaſteni deſcriberet, eam ita enarrat: *Tandem* (Dux) *juſſit ſaxum collo ejus alligari & alterum pedibus, atque eo in ſtatu è ſummitate cujusdam muri deorſum præcipitari juſſit.* Atque

ullum assignare sit, qui non in multis peccaverit. Ita *Boschius*. Et quæ tandem Tillemontii conditio erit, quem in plurimis hallucinatum nemo jam eruditorum ambiget? Itaque aut se ipso judice omnem pariter fidem amiserit, aut sua pro certis & indubitatis judicâri necesse est; quorum alterum arrogantiam sapit, primum verò falsissimum esse sapientiores quique Critici affirmabunt: qui & ipsi Tillemontium non rarò sequuntur, & suas huic Scriptori eruditionis laudes minimè denegabunt. VI. Tomo VIII. Monum. notâ 81. in S. Athanasium, nimis negligenter Papebrochium de *tempore* Apologiæ, ab Athanasio scriptæ, contraria sibi scribentem exhibet, ridiculámque excogitat occasionem, quâ in errorem, ùt vult, primo loco inciderit. Sed ab imaginaria hac contradictione Papebrochium veraciùs vindicavit *Stiltingus* T. VI. Sept. in Actis S. Liberii p. 599. seq. à n. 119. ad n. 126.

§. IV.

Acta SS. sæpe levissimis ex causis repudiat: imò de rebus & documentis nec visis nec examinatis confidentissimè judicat.

4. Sic enim I. Acta S. *Alexandri* I. Pont. Romani (quæ *Baronius* ad A. 132. n. 1. *nimia antiquitate mendosa*: Henschenius T. I. Maij à p. 371. *sinceriſſima* censuêre) Tillemontius T. II. Monum. p. 590. 591. cum Pearsonio heterodoxo Anglo non solùm *mendosa*, sed & *mendacia*, iisque relata *falsa & ficta omnia*: *nihil in illis veri, nihil sinceri contineri*, proindéque nihil Actis illis fidei tribuendum esse confidenter enuntiat. Verùm inanes scrupulos & cavillationes facilè dispulit *Stiltingus* T. VI. Aug. à p. 142. toto §. 1. Comment. prævii ad Acta S. Hermetis: quæ in ipsis videlicet S. Alexandri Gestis continentur. Nam licèt ipse Stiltingus adjuncta quæpiam in hisce Actis subinde exaggerata fuisse admittat, idcirco tamen non abijciendæ, sed probatissima esse, luculenter exponit. Quid? quòd & hæc ipsa Acta, à Tillemontio rejecta, eundem sibimet ipsi suisque alibi assertis contrarium prodant, ùt suprà num. 1. jam indicavimus? II. Tomo III. Monum. not. 1. in S. Babylam Acta hujus Sancti, à Bollando data, putidis ex causis suggillat; eámque in rem etiam Scriptores quospiam (de quibus jam num. 1. meminimus) imperitè allegat. Tum verò urget: *neque hoc percipere possumus, & tanquam per-*

que hujus afferti ſui fidejuſſorem Surium in margine facit. Ait verò Surius: *Deducit ad murum: cúmque duos lapides maximos & graviſſimos, unum quidem collo, alterum autem alligáſſet pedibus, & Martyrem funè cinxiſſet, dimittit è muro* SUBLIME PENDENTEM, *ut lapidum pondere membris ei divulſis, abrumpat animam.* Conferat hæc quisquis voluerit: & conſideret, quàm parùm fidere poſſimus interpretationibus iſtius Scriptoris (Tillemontii) dum ſphalmata ſimilia frequenter in eo deprehendimus. Ita *Stiltingus* T. III. Sept. p. 363. in Annot. lit. ee. Eadem Surii per Tillemontium corruptio notatur Tom. cit. p. 214. n. 26. in Actis S. Adriani. item p. 210. n. 7. ubi ſimilis contra Græcorum Codicum fidem hallucinatio occurrit. II. Ut Translationem corporis S. Jacobi in Hiſpaniam ſaltem ante ſeculum VII non contigiſſe, veroſimile redderet, inter alias difficultates T. I. Monum. à p. 597 notâ 7. & 8. in S. Jacobum etiam Anonymi Scriptoris Græci textum adducit: ſed quem ipſe truncavit, nec integrum recitavit. Tum verò malè in partes ſuas detorſit Venantium Fortunatum, tanquam ſibi faventem; multò autem falsiùs dixit, Lucam Tudenſem de Translatione S. Jacobi nuſpiam meminiſſe. Nam hic luculentiſſimis verbis translationi huic teſtimonium dicit. vid. *Chronicon Lucæ Tudenſis* T. IV. Hiſpaniæ Illuſtratæ: *Cuperus* T. VI. Julij p. 14. 15. n. 39. 41. 42. III. T. XV. Monum. notâ 5. in S. Leonem I. varia circa S. Pulcheriæ ex aula ſeceſſum vitámque privatam ſupponit Theophani, quæ is neutiquam habet. Vid. *Stiltingus* T. III. Sept. p. 516. 517. n. 66. 67. *Sollerius* T. III. Julii p. 248. n. 1. 2. ubi & Henſchenio quædam Tillemontius perperam tribuiſſe notatur. IV. Ut Acta S. Babylæ Ep. Antiochi à Bollando noſtro ad 24. Januarii data fidentiùs carpere atque reijcere poſſet, non modò Philoſtorgium (hiſce Actis apertè faventem) infideliter adducit ſenſúmque corrumpit: ſed & Photii textum (veluti qui Philoſtorgii fidem circa hæc Acta imminueret) aut inſincerè ex Græco vertit, aut imperitiùs intellexit Tomo III. Monum. notâ 1. in S. Babylam, vid. *Boſchius* T. IV. Julij in Hiſt Chronolog. Patriarch. Antioch. p. 16. à n. 62. 63. 64. Contrà verò ut incertis certiora, ſuâ quidem opinione, ſubſtitueret Tillemontius, alia ipſe Acta loc. c. pag. 401. concinnavit, quæ in *Euſebio* lib. VI. cap. 34. *Chryſoſtomo* in Gentiles, & *Chronico Alexandrino* fundari aſſerit. At (ùt ait *Boſchius* l. c. pag. 18. n. 68.) mihi pictura potiùs Horatiana videtur, in qua dum humano capiti cervicem pictor equinam junxit, monſtrum efformavit, Euſebio juxtà atque Chryſoſtomo abhorrendum; Alia quippe omnino res eſt, aliæ perſonæ, alia tempora, quæ hìc narrat Euſebius, ab iis, quæ contra Gentiles

Chry-

Chryſoſtomus aſſerit: Chronicon Alexandrinum pugnat cum utroque, prout declarat *Boſchius* à n. 69. ad n. 77. V. ut ſuam de Jacobi Minoris, ſive Alphæi cum Jacobo, fratre Domini, identitate opinionem lectori certam faceret, ad Patres & Scripturam confugit T. I. Monum. in notis ad Jacobum Minorem. Sed illius reſponſa, ex fontibus illis petita, partim *apertè falſa*, partim *omni fundamento deſtituta*, partim etiam *ridicula*, *nugatoria*, *inutilia* eſſe: *incerta* item *pro certis*, *falſa pro veris* obtrudi, ex ipſa Scriptura & Patribus ita dilucidè probat Stiltingus T. VI. Sept. in Diſſert. Prælimin. ut pag. IX. num. 30. meritò iſta ſubjunxerit: *de Tillemontio hic dicere poſſum, quod de imperito quodam obtrectatore dixit Hieronymus in Epiſtola ad Domnionem: Voluit ſcilicet homo peritiſſimus, ut veteranus miles, uno rotatu gladii percutere utrumque* (Henſchenium & SS. Patres) *& oſtendere populis, quòd quidquid ipſe vellet, hoc Scriptura ſentiret.* VI. contendit Tillemontius (T. II. Monum. in Perſecutione Hadriani Art. 7. notâ 7) Quadratum Apologiſtam à Quadrato Athenienſi Epiſcopo eſſe diſtinguendum, etſi contrarium teſtetur Hieronymus. Opponit Hieronymo Euſebium; aſt ne dubitari quidem poteſt, quin Tillemontius Euſebium malè intellexerit & expoſuerit. Dein ſua ſomnia verbis Gallicis ita exprimit, ac ſi in ipſomet Euſebio ea legerentur. Attamen nihil illorum Euſebius dicit. *Vid. Act. SS.* T. VI. Sept. ad diem XXI. inter Prætermiſſos p. 182. col. 2. VII. ut S. Luciferum, Ep. Calaritanum, in ſchiſma fuiſſe prolapſum evincere poſſet, Tomo VII. Monum. Notâ in Luciferum teſtes aducit, Hieronymum, Ambroſium, Ruffinum, Sulpicium Severum, Socratem, Sozomenum &c. quorum tamen textus aut dubii ſunt aut nihil probant; clariores verò eorundem textus, è quibus manifeſtè contrarium patet, aut non legit Tillemontius, aut infideliùs prætermittit. Vid. *Stiltingus* T. VI. Sept. p. 623. à n. 214. ad n. 224. & p. 622. n. 212. 213.

§. III.

Tillemontius Scriptores etiam graviſſimos, & fide dignos teſtes ſæpe temerè carpit, aut aſpernatur, & præpoſterè refutat.

n. 3. NAm I. licèt Paphnutianam, de continentiæ lege majoribus Clericis à Nicænis Patribus non imponenda, hiſtoriolam ſatis infringant Hieronymi, Epiphanii, aliorúmque oppoſita prorſus

ſus teſtimonia: Tillemontius tamen T. VI. in Conc. Nicæn. art. 17. & T. IX. notâ 4. in Gregorium Nazianzenum (quem ex Patre, jam Epiſcopo, natum affirmat) illam ùt genuinam adoptat, & ſtare mavult teſtimonio Socratis atque Sozomeni, hominum non modò Novatianorum, ſed & tempore poſteriorum. Sed argumentîs firmiſſimis narratiuncula hæc confutatur à *Stiltingo* T. III. Sept. tum in Diſſertatione Prælimin. de S. Gregorio Nazianzeno, tum in Actis S. Paphnutii ad XI. Sept. II. Authenticam Theophanis de S. Pulcheriæ ex aula ſeceſſu vitáque privata narrationem ipſe de nihilo reijcit, & inter figmenta reponit: quam tamen omnino legitimam eſſe docet *Stiltingus* T. III. Sept. p. 514. 15. 16. 17. in Actis S. Pulcheriæ. III. Nemo ſanus poterit inficiari, Epheſini latrocinii ſive Conciliabuli Acta prorſus infideliter per Dioſcorum & Dioſcori notarios fuiſſe conſcripta; id enim irrefragabilia coævorum & oculatorum ſimul ac auritorum teſtimonia monſtrant. Nihilominus Tillemontius notâ 27. in S. Leonem I. *falſa multa* hiſce Actis inſerta fuiſſe ut crederet, ſe haud ſinit induci, & plus Dioſcoro credidiſſe videtur (cui & in aliis patrocinatur) quàm Patribus Chalcedonenſibus, qui contra illa Acta reclamârunt. Vid. *T. III.* Sept. p. 554. n. 8. 9. ubi plena in luce cœcutiens Tillemontius refellitur. IV. Eminentiſſimum Baronium accuſat Tomo III. Monum. p. 242. & 675. ac ſi *magnum* S. Hippolytum Ep. & M. die 22. Aug. perperam collocâſſet, eúmque cum altero homonymo Martyre confudiſſet. Sed ipſummet Tillemontium hìc non modicè ceſpitâſſe, & vera ſcripſiſſe Baronium, notat *Cuperus* T. IV. Aug. p. 504. num. 3. in Actis S. Hippolyti Portuenſis. V. Tomo III Monum. Notâ 2. in S. Babylam, Ep. Antiochenum, Euſebii chronographiam l. 6. c. 29. hiſt. Eccl. in obitu Zebini & ſucceſſione Sancti Babylæ *ad Gordiani Imp. initia* defigendis leviter reſpuit, eoquòd Euſebius jam in Pontiani morte & ſucceſſione Anteri ac Fabiani, Pontif. Romanorum: item in obitu Demetrii, Ep. Alexandr. & ſucceſſione Heraclæ uſque ad Gordiani imperium differendis erràrit. Sed, ùt optimè reſpondit *Boſchius* T. IV. Julij in Hiſt. Chronolog. Patriarch. Antioch. p. XV. n. 57. 58. Potuit Euſebius res Antiochenas meliùs habere perſpectas, quàm vel Alexandrinas vel Romanas (in quibus utique eum ſubinde lapſum, aliunde probatur, de Babylæ verò ſucceſſione probari haud poteſt) quippe qui Antiochiæ & habitâſſe, & in ſacris literis operam dediſſe creditur Dorotheo presbytero Antiocheno. Dein ſi error unus & alter in re una Auctoris fidem omnem elevat in alia; jam omnis periêrit fides hiſtorica, quæ ſacris oraculis non ſit firmata, cùm vix

ullum

ullum assignare sit, qui non in multis peccaverit. Ita *Boschius*. Et quæ tandem Tillemontii conditio erit, quem in plurimis hallucinatum nemo jam eruditorum ambiget? Itaque aut se ipso judice omnem pariter fidem amiserit, aut sua pro certis & indubitatis judicâri necesse est; quorum alterum arrogantiam sapit, primum verò falsissimum esse sapientiores quique Critici affirmabunt: qui & ipsi Tillemontium non rarò sequuntur, & suas huic Scriptori eruditionis laudes minimè denegabunt. VI. Tomo VIII. Monum. notâ 81. in S. Athanasium, nimis negligenter Papebrochium de *tempore* Apologiæ, ab Athanasio scriptæ, contraria sibi scribentem exhibet, ridiculámque excogitat occasionem, quâ in errorem, ut vult, primo loco inciderit. Sed ab imaginaria hac contradictione Papebrochium veraciùs vindicavit *Stiltingus* T. VI. Sept. in Actis S. Liberii p. 599. seq. à n. 119. ad n. 126.

§. IV.

Acta SS. sæpe levissimis ex causis repudiat: imò de rebus & documentis nec visis nec examinatis confidentissimè judicat.

4. Sic enim I. Acta S. *Alexandri* I. Pont. Romani (quæ *Baronius* ad A. 132. n. 1. *nimia antiquitate mendosa*: Henschenius T. I. Maii à p. 371. *sinceriſſima* censuêre) Tillemontius T. II. Monum. p. 590. 591. cum Pearsonio heterodoxo Anglo non solùm *mendosa*, sed & *mendacia*, iisque relata *falsa & ficta omnia*: *nihil in illis veri, nihil sinceri contineri*, proindéque nihil Actis illis fidei tribuendum esse confidenter enuntiat. Verùm inanes scrupulos & cavillationes facilè dispulit *Stiltingus* T. VI. Aug. à p. 142. toto §. 1. Comment. prævii ad Acta S. Hermetis: quæ in ipsis videlicet S. Alexandri Gestis continentur. Nam licèt ipse Stiltingus adjuncta quæpiam in hisce Actis subinde exaggerata fuisse admittat, idcirco tamen non abijcienda, sed probatissima esse, luculenter exponit. Quid? quòd & hæc ipsa Acta, à Tillemontio rejecta, eundem sibimet ipsi suisque alibi assertis contrarium prodant, ut suprà num. 1. jam indicavimus? II. Tomo III. Monum. not. 1. in S. Babylam Acta hujus Sancti, à Bollando data, putidis ex causis suggillat; eámque in rem etiam Scriptores quospiam (de quibus jam num. 1. meminimus) imperitè allegat. Tum verò ungat: *neque hæc percipere possumus, ut tanquam per-*

 secu-

ſecutores ſeu Decius ſeu Numerianus (ùt illa Acta teſtantur) *ad Eccleſias accederent, quâ ratione impedire eos Babylas attentaverit*, ſive ab Eccleſiæ ingreſſu prohibere: id quod tamen Babylam feciſſe, & Antiochenæ Eccleſiæ (in qua frequentiſſimus fidelium cœtus tum fortè convenerat) aditum Imperatori Tyranno interdixiſſe, eadem Acta commemorant. Optimè autem in Tillemontium hìc exclamat *Boſchius* T. IV. Julij in Hiſt. Chronolog. *Patr.* Antioch. p. 17. n. 65. „ Uſ-
„ que adeone humiliter abjectéque hominem, in hiſtoria naſcentis
„ Eccleſiæ martyrumque tam diligenter verſatum, de tanto heroë co-
„ gitare! Cur enimverò id auſus non eſſet, qui eos non timere di-
„ diciſſet, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occi-
„ dere: Cui, utpote paſtori bono, nihil adeò in votis erat, quàm
„ ut animam liceret ponere pro ovibus ſuis; quem charitas Chriſti
„ urgeret, ut anathema eſſe cuperet etiam à Chriſto pro fratribus
„ ſuis (quæ ſunt ferè ſententiæ à Chryſoſtomo in hanc rem addu-
„ ctæ?) Quid? furenti Attilæ armatóque in Eccleſiæ perniciem ac
„ vaſtitatem exercitui prorſus innumerabili occurriſſe ad Mincium
„ uſque pro Eccleſia ſua S. Leonem fatebimur: iterúmque Genſeri-
„ co in expugnata jam Urbe cædem ubique atque incendia, ortho-
„ xis maximè ſacerdotibus, ſpiranti? Et intelligere poſt hæc nos
„ poſſe negabimus, ſatis animi fuiſſe S. Babylæ, ut intra *Urbem*,
„ maxima ex parte Chriſtianam, in frequentiſſimo civium ac pro-
„ miſcuæ plebis Antiochenæ, tantum Præſulem depereuntium, con-
„ curſu, aras ſuas focósque defenderet adverſus Sacrilegum, inviſum,
„ imparatum, præſentémque veritum ſeditionem tyrannum? Obvia
„ nimis hujusmodi fortitudinis etiam in ſexu fœmineo, apud Chri-
„ ſtianos exempla ſunt, quàm ut iis recenſendis lectori tædium
„ creari velim. Illud ſanè ferendum non eſt, ut propterea quid-
„ quam Sanctis continuò denegetur, quia id mirabile ſit, etſi ab
„ idoneo auctore aſſeratur: quaſi falſum eſſe illud poſſit Pſ. 67. v.
„ 36. *Mirabilis DEus in Sanctis ſuis: DEus Iſraël ipſe dabit virtutem &*
„ *fortitudinem plebi ſuæ.* Profectò dicta Tillemontii objectio, & incredula admiratio ſuſpicari nos jubet, tantum animi robur, quantum Babylæ, neutiquam Tillemontio fuiſſe extiturum; niſi enim ſuo, quod dicimus, pede Babylam ipſe fuiſſet dimenſus, ex tam frivolo argumento Acta Babylæ non impugâſſet. III. Similiter Actis S. Stephani I. Pont. Rom. quanquam & ipſa ſint perantiqua, & ſaltem toto amplius ſeculo ante Notkerum, Uſuardum, & Adonem conſcripti, magnóque ſemper in pretio habita, omnem prorſus fidem & auctoritatem rotundè abnegat Tomo IV. Monum. notâ 1. in Stephanum.

Unde

Unde refellitur à Boſchio T. I. Aug. p. 126. n. 65. qui ùtùt illa interpolata concedat, non tamen penitus aſpernanda perſuadet. IV. Tomo V. Hiſt. Imp. p. 703. 704. 705. notâ 18. Acta S. Iſacii (de quibus ſit Sermo in Actis SS. ad XXX. Maij) variis ratiunculis impugnat, & ſub finem audaciter aſſerit, in Menologio Baſiliano de nullis S. Iſacii diſcipulis mentionem fieri: quo ipſo ex capite Actorum illorum auctoritatem pariter diminui putat. Quòd ſi autem (reponit *Cuperus* T. I. Aug. in Actis S. Dalmatii p. 214. n. 6.) eruditus ille Criticus diſtinxiſſet tempora, ac totum Baſilij Imperatoris Menologium pervolvere potuiſſet, certè ab hoc argumento negativo abſtinuiſſet. Etſi enim Menologium iſtud die XXX. Maij taceuerit de diſcipulis, à Sancto Iſacio inſtitutis, tamen hac die (III. Auguſti) illam diſcipulorum inſtitutionem apertè commemorat. V. Tomo II. Monum. notâ 7. ad Perſecutionem Marci Aurelii, Acta S. Alexandri Ep. M. quorum Scriptor oculatum teſtem ſe ſcribit, quæque ipſus non legerat Tillemontius, præcipiti cenſurâ repudiat, ſimúlque Adonis, eadem confirmantis, auctoritatem contemnit. Vid. *Perierus* T. VI. Sept. p. 228. à n. 5. ad n. 14. VI. Tomo VI. notâ 83. in Arianos, ſeveriorem ſe exhibet in admittenda traditione de miraculo nivis, cujus causâ Baſilicam, nunc S. Mariæ Majoris, Liberius condiderit. Aſt, ùt obſervat Stiltingus, Tillemontius argumenta & ſcripta ad id neceſſaria nec vidit nec examinavit. Vid. *Stilting.* T. VI Sept. p. 631. n. 249. *Lambertini* in Opere de Feſtis Chriſti & Mariæ P. II. §. 84. & ſeq. VII. Tomo V. Monum. Eccleſ. notâ 1. in S. Euphemiam Chalcedonenſem V. & M. Acta Euphemiæ uſque adeò improbat, & tanquam fabuloſa rejectat, ut omnia tormenta Sanctæ, ac miracula, in iis Actis relata, prorſus omiſerit, & ex ſola Aſterii Epiſcopi Amaſeni relatione hiſtoriam Martyrii petendam eſſe contenderit. Tillemontii judicium maximo impetu pro more ſecutus eſt Bailletus in Tabula Critica ad XVI. Sept. Aſt nec ipſe, nec Tillemontius viderat Acta, quæ Baronius & Allatius laudant, ùt Tillemontius ipſe fatetur. Neuter viderat Acta, de quibus Papebrochius noſter in Annotatis ad Ephemerides Græco-Moſcas p. 41. pronuntiat: *cujus* (Euphemiæ) *præclara Acta & editis hactenus meliora habemus.* Itaque clarum eſt ac manifeſtum, ſevero illo judicio Acta reprobari nunquam viſa ab illis, qui præproperè talem protulêre criſim. . . - Hæc paucis obſervata volui, ut quilibet intelligere poſſit, quàm præcipiti judicio frequenter à Criticis illis Acta MM. repudientur. Ita *Stiltingus* T. V. Sept. p. 263. n. 56. 57. ſeqq. ubi non modò, ùt ſincera, hæc Acta vin-

dicat, ſed etiam contra Tillemontium probat, Aſterium minimè de Chalcedonenſi. ſed de longè alia Euphemia loqui. VIII. Tomo III. Monum. tum p. 35. tum p. 601. in notis ad Acta S. Marcelli M. (qui IV. Sept. colitur) generatim aſſerit, ea neque ſat vetuſtatis neque probabilitatis præſeferre: rigidus magìs quàm exactus Criticus, conjecturas obtrudens, contrarias Actis: quæ ipſe quidem non ſatìs antiqua & ſincera eſſe ſupponit, at nullo alicujus roboris argumento probat. Vid. *Limpenus* T. II. Sept. p. 194. n. 31.

§. V.

Tillemontius absque ſolida ratione antiquiſſimas traditiones oppugnat atque convellit.

n. 5. SIc I. Tomo I. Monum. Eccleſ. pag. 597. notâ 7. in S. Jacobum, contra Translationem corporis S. Jacobi in Hiſpaniam varia objicit, & licèt pag. 599. notâ 8. præmoneat, ſe nolle de hac corporis apud Hiſpanos inventione litigare, tamen in decurſu illam tot cavillationibus vellicat, ut tandem de vera exiſtentia ſacri iſtius corporis in Hiſpania dubitare videatur. Sed ſceptici hujus argutiis vim omnem & veri ſpeciem ademit *Cuperus* T. VI. Julij in Comment. de S. Jacobo. II. Tomo I. Monum. not. 25. in S. Petrum ſubtimidè aſſerit aut potiùs dubitat de primo ſive *Antiocheno* S. Petri Epiſcopatu; quo pacto & nos impugnandi & traditionis antiquiſſimæ, ab ipſis Origenis & jam antè temporibus ad nos traductæ, violentiùs concutiendæ anſam hæreticis dedit. Sed indubitatum eſſe hunc Petri Epiſcopatum Antiochenum, planum omnino facit *Boſchius* T. IV. Julij in Hiſt. Chronolog. p. 1. num. 1. 2. 4. pag. 4. num. 13. 14. pag. 5. n. 17. III. Tomo II. Monum. S. Alexandri I. Pont. Rom. Martyrium aliquoties negat, neque illum totius retro antiquitatis Martyrium aſſerentis, auctoritas movet. *Irenæus* (inquit ille) *lib. 3. contra hæreſes cap. 3. enumerans Pontifices usque ad Eleutherium, de nullius Martyrio mentionem facit, excepto Telesphoro: difficulter ergo credi poteſt, ullum illorum poſt Petrum fuiſſe Martyrem præter Telesphorum.* Enimverò (reponit Stiltingus) tam futilis hæc eſt ratio, viróque erudito indigna, ut crederem Tillemontio inadvertenter excidiſſe, niſi eandem variis locis repeteret, & ad alia quoque Martyrum Acta impugnanda adhiberet. Quippe Irenæus breviſſimè ibidem commemorat ſucceſſionem primorum Pontificum, ſicut cap. 1. breviter enumeraverat

nat cum Petro & Paulo Evangeliſtas quatuor. Deinde ut filet cap. 3. Martyrium Alexandri, ſic cap. 1. non meminit de Martyrio Petri aut Pauli; licèt horum mortem attingat, ac ne obitum quidem Alexandri memoret. Verba accipe de morte Petri & Pauli prolata (cap. 1. 2: *Poſt verò horum exceſſum, Marcus &c.* De Alexandro autem, ejus Anteceſſoribus & ſucceſſore, ſic habet: *Huic autem Clementi ſuccedit Evariſtus, & Evariſto Alexander, ac deinceps ſextus ab Apoſtolis conſtitutus eſt Sixtus.* Quis hinc inferat, nullum inter primos Pontifices Martyrem fuiſſe, niſi Telesphorum, quia de ſolius Telesphori Martyrio fit mentio? Quis, inquam, hoc inde deducat, qui non eodem modo inferre poſſet, ne Petrum quidem aut Paulum fuiſſe Martyres? Quin imò eadem conſequentiâ, id eſt nullâ, contendere poterit, nullum è quatuor Evangeliſtis, antequam Irenæus hæc ſcriberet, mortem obiiſſe, quia videlicet mors Petri & Pauli commemoratur, Evangeliſtarum prætermittitur. Vid. *Stilting.* T. VI. Aug. p. 146. n. 17. IV. eodem Tomo II, notâ quartâ in S. Clemente conjecturas aliquot affert, ut perſuadeat, Sanctum quoque Linum Martyrio non eſſe defunctum, ſeu violenta per Tyrannos morte ſublatum, etſi pro fide & Chriſto paſſum concedat. Provocat hìc pariter ad Irenæi ſilentium, ſolum Telesphorum Martyrem compellantis; dein ad Martyrologium Hieronymianum, cui Lini nomen non fuit inſcriptum: denique ad Bedam, apud quem ſolùm ut *Papa*, omiſſo Martyris titulo, annuntiatur. Sed ad primum jam antè reſpondimus in Alex. I. ad alterum verò ipſe ſibi Tillemontius poterat reſpondere; nam T. II. in Telesphoro, cujus Martyrium aſſeruit Irenæus, neque tamen in Martyrologio Hieronymiano legitur, ita ait: *Ratio eſſet mirandi, nomen* (S. Telesphori) *non reperiri in monumentis Eccleſiæ ante IX. ſeculum, niſi multis aliis exemplis ſciremus, Martyres ceteris antiquiores minùs fuiſſe cognitos.* Itaque ſi Telesphorus in omnibus Eccleſiæ monumentis usque ad IX. Seculum potuit omitti, multò minùs mirari debuerat Tillemontius, S. Linum, longè antiquiorem, in Martyrologio Hieronymiano fuiſſe omiſſum, aut ob eam rationem Martyrium illius inficiari. Demum apud Bedam non rarò Martyris aut Martyrum titulus ommittitur, etſi de Martyrio conſtet; ſic v. g. ad XXIX. Junij hæc ſolummodo habet: *Romæ natalis Apoſtolorum Petri & Pauli.* Contrà verò apud eundem Bedam ad XXVI. Aprilis hæc leguntur: *Natale Sancti Cleti Papæ & Martyris.* Et tamen Tillemontius ex iisdem argumentis *Lino & Cleto* Martyrium abjudicat, ut proin Beda ipſi potiùs obſit, quàm proſit, quandoquidem ille Martyrium Cleti diſertè teſtetur. Quare ſi non ob-

ſtante Martyrologii Hieronymiani ſilentio ſola Irenæi auctoritas ad affirmandum Telesphori Martyrium Tillemontio ſuffecerat: multo magis ad afferendum Lini, Cleti, Clementis & Alexandri Martyrium ſufficere debuit vetuſtiſſima Eccleſiæ Romanæ traditio: quæ tum ex ſecundo Pontificum Catalogo (quem Henſchenius edidit) tum ex ipſo *Canone* Miſſæ (in quo Apoſtolorum duntaxat, aut Martyrum propriè talium fit mentio) tum denique ex antiquiſſimis eorundem, ùt Clementis & Alexandri I. Actis, rite cognoſcitur. Quòd ſi quæras, cur Irenæus de ſolo Telesphori Martyrio loquatur, ſi plures ex Anteceſſoribus credebat Martyres: reſpondetur, id ab eo fieri potuiſſe, quia ſua ætate ille fuerat paſſus, multíque, cùm iſtud ſcriberet, ſuperſtites erant, qui & vidiſſe id poterant, & meminiſſe. At quatuor anteriores Pontifices, de quorum Martyrio tacet, multò diutiùs jam erant defuncti. Quapropter ſilentium S. Irenæi de Martyrio S. Lini non eſt efficacius ad illud negandum, quàm ſit ejusdem ſilentium de Martyrio SS. Petri & Pauli; & debuiſſet Tillemontius antiquorum monumentorum auctoritatem potiùs ſequi, quàm illa tam ineptis ratiociniis impugnare. Vid. *Stilting.* T. VI. Sept. p. 541. 542. à n. 9. ad n. 14. V. Tomo I. Monum. Eccl. notâ 2. in Matthæum negat ejusdem prædicationem in Æthiopia Septentrionali, Ægypto finitima: ùtùt graviſſimorum Scriptorum, *Ruffini*, Socratis, S. Gregorii, Fortunati, Eucherii, Adonis, Uſuardi, & Rabani teſtimonio traditio illa nitatur. Sed nempe ex ſola ignorantia & errore profecta eſt Tillemontii opinio, utpote qui Regnum Habeſſiniæ malè confudit cum Æthiopia Septentrionali. Vid. *Stilting.* T. VI. Sept. p. 207. à n. 49 ad n. 55. Quin & manifeſtè ſuper hoc argumento ſibi contradixiſſe Tillemontium ſuprà §. 1. n. 1. jam intelleximus ex eodem Stiltingo l. c. n. 51. 52. VI. Vetuſtiſſima traditio eſt, & ab omnibus ferè omnium Seculorum Scriptoribus, qui de XL. Martyribus Sebaſtenis tractârunt, confirmata à Seculo IV., quo coronati ſunt, usque ad noſtrum: Sanctos illos paſſos fuiſſe in ſtagno prope Sebaſtiam in Armenia minore. Verùm Tillemontius Tomo V. Monum. notâ 3. & 4. in 40. MM. eam traditionem conatur prorſus evertere, aſſerens, eos potiùs in media Urbe nudos fuiſſe conſtitutos, atque aeri frigidiſſimo expoſitos. Quem in finem tres ex Baſilio, duos ex Gregorio Nyſſeno locos adducit. Aſt primus Baſilij locus ambiguus eſt, imò rectè pro ſtagno poteſt exponi: alter eſt veroſimiliùs corruptus alióque modo legendus: tertius verò impertinens & ad litem dirimendam ineptus. Denique utrumque Nyſſeni textum Tillemontius corrupit, & vel invito Nyſſeno

ſeno dicta quædam affinxit, infidus profectò græcanici Sermonis interpres. Vid. *Stilting.* T. III. Sept. p. 357. à n. 12. ad n. 24. in Actis S. Severiani Martyris Sebaſteni: item confer. T. II. Mart. ad diem X. de 40. MM. Sebaſtenis. VII. Vulgaris (ùtùt non certa) opinio atque traditio habet, quam Baronius in Annalibus ad A. C. 44. n. 17. defendit, quòd *ſinguli* Apoſtoli *ſingulos* Symboli Articulos compoſuerint. Auſus tamen eſt Tillemontius Tomo I. Monum. Eccl. p. 649. ſcribere, eam *nullo* fundamento niti, Baroniúmque ad eam tuendam *ſolummodo* ſermonem perperam S. Auguſtino adſcriptum allegare. Miranda profectò duplex hæc Tillemontii aſſertio, aut veriùs audacia! Nam inprimis Baronius l. c. hæc addit: *Hæc apud Auguſtinum; quamvis, an ſit ille ſermo S. Auguſtini, à quibusdam revocetur in dubium. Sed cujus ſit, nihil intereſt, cùm de ſingulis duodecim Apoſtolorum diſtinctis elogiis ſuppetant etiam aliorum teſtimonia.* Deinde citat *S. Leonem* Papam, *Venantium Fortunatum*, aliósque. An hoc eſt, *ſolummodo* apocryphum S. Auguſtini ſermonem allegare, ùt de Baronio Tillemontius finxit? Præterea num rectè poterit dici, *nullo* fundamento ſententiam niti, quam Ruffinus Aquilejenſis presbyter initio commentariorum in Symbolum hiſce verbîs expreſſit: *Diſceſſuri itaque* (Apoſtoli) *ab invicem normam ſibi priùs futuræ prædicationis in commune conſtituunt, ne fortè alii aliò adducti, diverſum aliquid his, qui ad fidem Chriſti invitabantur, exponerent. Omnes igitur in uno poſiti & Spiritu Sancto repleti* BREVE *iſtud futuræ ſibi, ùt diximus, prædicationis indicium* IN UNUM *conferendo, quod ſentiebat* UNUSQUISQUE, *componunt, atque hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt.* Idem docet Hincmarus Remenſis Archiep. in Epiſt. contra Ep. Laudunenſem. Clariùs eandem rem tradit S. Leo M. in Epiſt. 27. (aliàs 13.) ad Pulcheriam Auguſtam, ubi circa finem de Eutychetis pervicacia ita loquitur: *Hoc ſtultiſſima inſultatio audet inceſſere, quod Dominus noſter in Eccleſia neminem ſexûs utriusque voluit ignorare. Siquidem ipſa Catholici Symboli brevis & perfecta confeſſio, quæ* DUODECIM *Apoſtolorum* TOTIDEM *eſt ſignata ſententiis, tam inſtructa ſit munitione cæleſti, ut omnes hæreticorum opiniones ſolo ipſius poſſint gladio detruncari.* Venantius *Fortunatus* lib. II. Symbolum expoſiturus eadem ferè habet, quæ Ruſinus. Unde patet, hanc Baronii opinionem non omni prorſus probabilitate eſſe deſtitutam: quamvis non adeò clara ſint hæc teſtimonia, ut Baronii ſententiam nos cogant amplecti. Hæc *Cuperus* T. IV. Julij p. 8. de Diviſione Apoſtolorum n. 7. Alia quæſtio eſt, an Apoſtoli communi conſenſu ita ſymbolum compoſuerint, prout in Eccleſia Romana conſervatum fuit. Acriter ea de re diſceptatum

fuit

fuit inter *Gerardum Voſſium* heterodoxum libro de tribus Symbolis Diſſert. I. & *Natalem Alexandrum* Dominicanum Sec. I. Hiſt. Eccl. Diſſert. II. Videri etiam poteſt *Chriſtianus Lupus* T. I. cap. 2. in Notis ad Concilium Nicænum, & *Baronius* l. c.

Verùm ulteriùs adhuc progreditur Tillemontiana criſis, atque in dubium revocat, an ullum Symbolum ab Apoſtolis fuerit compoſitum. Fateri cogitur, antiquos Eccleſiæ Patres illud Apoſtolis attribuiſſe. Sed vellet ab iisdem Patribus reſponderi cuidam objectioni, quam ita proponit: *Poſtquam Catholica fides de Ariana hæreſi omnino triumphavit, utebantur in Oriente ſymbolo, quod à Nicæna Synodo propoſitum & à CPolitana auctum fuerat; imò Concilium Epheſinum & Chalcedonenſe prohibuerunt, ne quis alio uteretur, neque invenitur, ut puto, ab ea prohibitione exceptum fuiſſe Symbolum Apoſtolorum. Difficile autem creditu eſt, quòd ſic quodammodo abolere voluiſſent Symbolum, quod exiſtimâſſent ab Apoſtolis compoſitum fuiſſe ad dirigendam totam Eccleſiam. Hæc difficultas videri poteſt magna; interim non minor erit, ſi quis tantùm crediderit, hoc Symbolum antiquitus in Eccleſia receptùm fuiſſe tanquam doctrinam Apoſtolorum: de quo tamen nemo dubitat.* Sed quàm levicula & inſulſa ſit hæc objectatio, pluribûs explicat *Cuperus* l. c. à n. 8. ad n. 12., ubi Symbolum iſtud & Chalcedonenſi Concilio antiquius, & ab Apoſtolis revera traditum, neque tamen ab Epheſina aut Chalcedonenſi Synodo prohibitum, non ſolùm opportuniſſimo ad hominem argumento, ſed & indubitatis Patrum teſtimoniis confirmatur. Conſuli præterea poſſunt *Natalis Alexander* T. III. Hiſt. Eccl. ad Sec. I. Diſſert. XII. à p. 139, ad p. 145. Card *Gotti* in L. de Vera religione cap. XIV. &c. contra Calvinum & Baſnagium: item Tomo II. Theologiæ Scholaſtico-Dogmaticæ Tractatu IX. Quæſt. I. de natura Fidei, Dubio X. §. 1. & §. 2. *Bellarminus* T. III. Controv. Controverſiâ III. generali l. 2. de Miſſa cap. 19. pag. m. 1529. Edit. Ingolſt. de A. 1605. Neque, Symbolum quoddam ab Apoſtolis traditum, diffitetur recentior Anglus *Pinghams* in Originibus Eccleſiaſticis Volumine IV. Lib. X. cap. V. VI. &c.

N 6. Denique VIII. antiquiſſimum canticum, ſive canon, in honorem S. Alexii jam Seculo IX. concinnatus à S. Joſepho Hymnographo: Vitæ item tum manſcriptæ, tum typis excuſæ: receptiſſima inſuper Romanorum traditio, communisque hominum ſenſus atque perſuaſio, nos hactenus docuêre, S. Alexium, qui XVII. Julij colitur, non modò Patriâ fuiſſe Romanum, ſed & à S. Joanne Calybita eſſe diſtinguendum. Contrà Tillemontius T. X. Monum. Eccl. in notis pag. 894. rotundè aſſerit, *præſumi poſſe, eumdem eſſe*

(Alexium

(Alexium) *cum Joanne Calybita CPolitano; de quo eadem ferè historia narratur: & qui potuit unum & aliud nomen habere; aut assumpsisse nomen Joannis, quando se abscondebat.* At præsumptio ista falsa est, quia falso nixa suppositò: nam tantum abest, ut pleraque historiæ Sancti utriusque puncta *ferè* sint *eadem*, ut nonnulla toto potiùs videantur cœlo diversa: nam Cpolim illustravit Joannes; alio die colitur apud Græcos & Latinos; aliud nomen habet; duplex autem habuisse nomen, eadem facilitate negatur, quâ à Tillemontio id adstruitur. Magìs urget, quòd S. Joannes Monachus fuerit Acœmetus in Bythynia; quòd duos habuerit fratres; quòd è monasterio egressus, commutatis cum paupere vestibus: domúmque regressus tribus annis apud parentes habitârit incognitus, atque exhibito, quem ante discessum ab ipsis acceperat, Evangeliorum libro, ante mortem agnitus, & inter eorum manus mortuus fuerit; quòd mater eum jam vitâ functum veste pretiosâ induens, paralysi percussa, sed antiquâ ipsi redditâ lacernâ, sanata fuerit: ut nihil dicam de templo ipsi extructo à parentibus. Atque ex his satis fundamenti colligitur, ut cum Papebrochio (P. I. Responsionum adversus Exhibitionem errorum, ipsi malè imputatorum, p. 249.) uterque hic Sanctus distinguatur. Et verò næ ille ineptus sit, qui duos mox Sanctos in unum confundat, quia vitæ instituto similes! Sic perperam aliquis confundat S. Symeonem Salum (qui die 1. Julij colitur) cum S. Theodoro Salo XXV. Febr. p. 508., ac S. Thoma Salo XXIV. Maij p. 433., qui eodem Seculo VI. vixit, quo laudatus Symeon; ut pluribus exemplis supersedeam. Ita ferme verbotenus *Joannes Pinius* noster T. IV. Julij ad d. XVII. p. 240. n. 10. item p. 238. n. 2.

§. VI.

Tillemontius in dignoscendis Veterum Scriptis, genuinis aut spuriis, non satis exercitatus, aut in examinandis incurius.

n. 7. INter illa, quæ ad contaminandam S. Liberii Romani Pontificis famam nata factáque videntur, non ultimum, si non principem, locum obtinent *Fragmenta* quæpiam, quæ sub S. *Hilarii* Pictavienſis nomine hactenus circumvolitârunt, & veluti ex Operibus ejus extracta, primò quidem edita fuêre à Nicolao Fabro, Baronii quondam amico: postmodum verò recusa in novissima editione Operum

rum S. Hilarii ab Eruditis Benedictinis Congreg. S. Mauri à col. 1279., curante potiſſimùm Petro Couſtantio, ejusdem Congreg. Alumno, qui & Præfationem hiſce Fragmentis præmiſit, & in ea Hilarium hujus Operis ſive Fragmentorum genuinum eſſe Auctorem operosè contendit. Couſtantium ſtrenuè ſequitur aut veriùs præcucurrit Tillemontius, qui Tomo 6. in Hiſtoria Arianorum notâ 54. 55. &c. Tomo VII. in S. Hilario Art. 13. Fragmenta iſthæc tanquam indubitatos Hilarii partus adorare, multoties illa adducere, inde ſua adverſus Liberium monumenta depromere non formidavit, etſi ad ipſum (quod ſanè ſuſcipere debuerat) Fragmentorum examen nunquam venire voluerit, ſeverus duntaxat, ubi voluerit, Ariſtarchus, alibi verò cœcus magis quàm criticus. Vid. *Stiltingus* T. VI. Sept. p. 579. n. 25. 26. p. 581. n. 32. p. 609. n. 160. Hæc ipſa verò Fragmenta adeò S. Hilarii non eſſe, ut potiùs inſtrumenta quæpiam ab imperito librario collecta, & ſine judicio non minùs quàm ſine ordine in unum Volumen congeſta, imò *ſcopas ſolutas* rectiùs quàm *Fragmenta* S. Hilarii ea vocitanda eſſe exiſtimari oporteat, idem Stiltingus l. c. p. 574. n. 8. non modò pronunciat, ſed & toto §. 2. à pag. 574. ad p. 580. ea argumentorum momenta producit, ut de ſententiæ illius veritate nemo facilè dubitare *jam* poſſit, omnésque faſſuri ſint ultrò, eam uni Stiltingo laudem deinceps deberi, quòd primus ipſe ſexcentorum, qui in Tillemontii aliorúmque de Arianis Hiſtoriam irrepsêre, errorum fontem obſtruxerit, cùm Pſeudo-Hilarii Fragmenta ex legitimorum Hilarii Operum Syllabo eliminâſſet, eáque ab imperitiſſimo collectore conſarcinata, quantum per criticæ vires licet, perſpicuè demonſtrâſſet.

N. 8. Sed & eadem facilitate Tillemontius quatuor *Epiſtolas*, quæ hactenus Liberii nomine velut appensâ hederâ gloriari ſunt juſſæ & iisdem Pſeudo-Hilarii fragmentis inſertæ circumferebantur, tanquam certiſſimos Liberii fœtus adoptavit T. VI. in Arianis art. 48. & notâ 55. item T. VIII. in Athanaſio art. 64. 66. & notâ 68. Verùm & iſtarum curatius examen à Tillemontio fuiſſe neglectum, advertit Stiltingus l. c. p. 581. n. 32. p. 609. n. 159. 160. ſimúlque à p. 580. ad 585. easdem penitus ſuppoſititias eſſe, multiplici ex capite probat atque convincit. Certè vel ſolus (ſi etiam cetera taceamus) abſonus, hiulcus, ſcaber, & barbarus ſtylus, qui in 4. illis Epiſtolis illico in lectoris oculos non incurrere non poteſt, à ceteris (quas ex multò certioribus documentis authenticas novimus) Liberii Epiſtolis & ab ipſa Seculi IV. ſive purioris Latii ætate nimium quantum abhorret. Unde meritò ſciſcitari quis poſſit, num

&

& alias Liberii Epiſtolas ſcriptáque perlegerit atque contulerit Tillemontius: num verò laborem hunc ſubterfugerit; Si primum: in dijudicandis Veterum Scriptis ſe hebetem; Si ſecundum: in perverſigando ſocordem, in judicando præcipitem ſanè ſe prodidit. Neque refert, quòd & alii Scriptores graviſſimi tam prætenſa fragmenta Hilarii, quàm Epiſtolas Liberii paſſim antehac ſub utriusque nomine recitârint. Nam aliud eſt, Opus aliquod nomine illius, cui illud attributum invenis, ſine ulteriori examine laudare: aliud inter Opera S. Hilarii *indubitata* illud numerare, nec tamen exactiùs examinare, ſicut facit Tillemontius Tomo 7. in S. Hilario art. 13. Hoc enim videtur magis hominis cœci, quàm critici: præcipuè poſtquam ignorare non potuit aut certè non debuit, jam Baronium, Papebrochium, & ipſummet Conſtantium, circa unam alteramve Liberii Epiſtolam aliud planè ſenſiſſe, & vel certæ vel dubiæ ſuppoſitionis notam iis tribuiſſe. Vid. *Stilting.* l. c. p. 609. n. 160. 159. p. 580. n. 31. p. 583. n. 42.

N. 9. Aliud Tillemontianæ criſeos ſpecimen occurrit in Hiſtoria Arianorum, à S. Athanaſio ad Monachos ſcripta. Leguntur in ea hodie verba, quibus *Liberii* lapſus apertè aſſeritur. Hanc verò Hiſtoriam, adjectis aliquibus de lapſu *Liberii*, lapſúque & morte *Foſii*, interpolatam fuiſſe jam exiſtimaverat Papebrochius ad II. Maij in S. Athanaſio; Aſt Tillemontius T. 8. in Athanaſio illam inquiſitionem fugiſſe videtur, levitérque ſolùm dicit, non videre ſe tantam neceſſitatem admittendi locos illos eſſe interpolatos. Hanc tamen interpolationem, ùt certam prorſus & indubitatam, probandam lenuo ſuſcepit Stiltingus l. c. ſive T. VI. Sept. à p. 601. num. 126. ad num. 145. Denique idem Tillemontius Tomo IX. in S. Ambroſio art. 4. ait, excellentia eſſe præcepta, quæ *Liberius* dedit Marcellinæ (Sermonem intelligit Liberii ad S. Marcellinam, germanam S. Ambroſii Sororem, cùm illa virginitatis velum acciperet: meminitque hujus Liberiani ſermonis Ambroſius ſub initium libri ſui tertii de Virginibus) ſed in iis agnoſcit ſtylum S. Ambroſii, *valde*, inquit, *diſſimilem ſtylo Liberii, qui ſimplex admodum erat, ne dicam ruſticum & barbarum.* Atque hoc Tillemontii judicium etiam aliis deinceps arriſit. „ At (optimè reſpondet *Stiltingus* l. c. p. 630. à n. 244. ad 247.) ignoſcant, velim, eruditi, ſi mihi judicia Tillemontiana de ſtylo Scriptorum Latinorum aut Græcorum tanti non videantur facienda, præſertim quando falſis nituntur rationibus. Ille variis locis *Liberium* omni privat eloquentiæ dono. Tomo VI. in Arianis art. 109. de Epiſtola num. 230. data ait: *Hæc Epiſtola eſt*

" *ſtyli conſueti Liberii, qui certò non habebat donum eloquentiæ.* At ne " quaquam perſpicio, quid in illius Epiſtolæ ſtylo tantopere diſpli- " cere potuerit Tillemontio, ut ejus causâ *Liberium* eloquentiæ de- " nô ſpoliare debuerit: imò tam inepta mihi videtur illa cenſura, " ut dubitare cogar, an cenſuram, de alia quapiam Epiſtola antè " latam, ex errore iſti non appoſuerit Tillemontius. Certè Epiſtola " illa gravis eſt, ſatísque clara & concinna, ut cenſuram illam non " mereatur. Si quid verò inconcinni haberet, hoc interpretibus " attribui poſſet, cùm veriſimiliter priùs ex Latino in Græcum, dein- " de ex Græco in latinum converſa fuerit ſermonem. Quare hanc " Epiſtolam allegare non debuit Tillemontius, ut oſtenderet, ſty- " lum *Liberii* fuiſſe ruſticum & barbarum: ſed quatuor Epiſtolas " (fragmentis ſcilicet Hilarianis inſertas) quas §. 3. ſuppoſititias " probavi. Hæ revera ſunt hominis ruſticè & barbarè ſenſa ſua " enuntiantis, nec minùs ſano ſenſu, quàm peritiâ linguæ Latinæ " deſtituti. Certè ex ſuppoſititiis illis literis Tillemontium aliósque " de ſtylo *Liberii* judicâſſe, prorſus mihi perſuadeo: ideóque mirari " nequeo, eos perperam cenſuiſſe, Latino ſermone ferè barbaro " uſum fuiſſe Liberium: magis certè miror, tam abſurdas ineptás- " que Epiſtolas eidem potuiſſe attribui.

" Verùm ſi quis ſanum de ſermone *Liberii* judicium ferre *deſi-* " derat, legat ejus Epiſtolas §. 4. datas ad Euſebium Vercellenſem, " & maximè ad Conſtantium: legat & Dialogum cum Conſtantio " Mediolani habitum, quem (ex Theodoreti, idonei utique Scri- " ptoris & ſub idem adhuc Liberii Seculum IV. nati, Hiſtoria Eccl. " L. 2. c. 16.) dedi §. 6. Ex illis prudens lector perſpicere poterit, " nec ingenii acumine, nec ſufficienti eloquentiâ deſtitutum fuiſſe " *S. Liberium*: maximè ſi conſideraverit, in id genus Epiſtolis, quæ " ſcribuntur de negotiis peragendis, longè majorem haberi curam, " ut agenda accuratè exponantur, quàm ut ſermo expoliatur. Ita- " que certum mihi eſt, & indubitatum, longè diſertiorem fuiſſe " *Liberium*, quàm ipſum ex ſuppoſititiis literis cenſuerunt Tillemon- " tius aliique. Ipſe Pontificatus *Liberii*, geſtus Seculo IV., quo " Sermo Latinus Romæ erat uſitatus, abunde reſiſtit opinioni adver- " ſariorum, ne cogamur dicere, hominem vernaculi ſui ſermonis " pene ignarum ad Pontificatum fuiſſe evectum.

" Quapropter non invenio rationes, ſatis ſolidas, quibus aſſe- " ram, S. Ambroſii potiùs eſſe ſermonem, quem pro *S. Liberii* ſer- " mone Sorori ſuæ recitat Sanctus Doctor, quàm ipſius *Liberii*. Quo- " modo dicit Ambroſius, ea ſe revolvere præcepta, *ut quò Vir San-*

ctior,

" ctior, eò ſermo accedat gratior; ſi non erat Sermo Liberii? Neque " enim *Liberii* erat Sermo, ſi ejus præcepta Ambroſii verbis expo- " nebantur. Qua igitur ratione ſermo ex Sanctitate *Liberii* fieri po- " terat gratior, ſi non erat *Liberii*, ſed Ambroſii? Quomodo ſtatim " initio Sermonis Ambroſius interponit verbum, *inquit*, ut deſignet " verba ſe dare *Liberii*, ſi hujus non erant verba, ſed ſolùm ſenſa? " Quod verò ſpectat ad ſtylum, ſi quis diligenter ſtylum hujus ſer- " monis conferat cum ſtylo S. Ambroſii, videbit dictionem *Liberii* " magis ſimplicem eſſe, multóque magis conciſam, quàm paſſim ſit " oratio S. Ambroſii; nec tales in Sermone *Liberii* occurrere perio- " dos, quales in Scriptis S. Ambroſii ſunt frequentiſſimæ. Qua- " propter, etſi ſtylus illius Sermonis habeat aliquid ſimilitudinis " cum ſtylo S. Ambroſii, ea non videtur tanta, ut neceſſe ſit il- " lum invito Ambroſio adjudicare, diceréque, *Liberium* tam impe- " ritum fuiſſe linguæ latinæ, ut Ambroſius noluerit ejus dare verba, " cujus exponebat præcepta. Ita *Stiltingus* l. c.

§. VII.

Tillemontius tam in Sanctos & laudatiſſimos Præſules, quàm in Romanos Pontifices injurius.

a. 10. INtelligere id facilè poſſumus I. cùm Tomo XII. à p. 416. non modò omnia Sanctitatis & cultûs publici teſtimonia, pro *S. Attico* Ep. CPolitano jam à Bollando ad diem VIII. Januarii allata, laconico more contemnit, ſed & ejus famam audacter proſcindit. Verùm *Cuperus* T. I. Aug. in Hiſt. Chronol. toto Parergo III. à p. 33. ad 37. hanc Tillemontii temeritatem ex ipſis ejusdem Criticæ regulis (ex quibus ille S. Cyrilli Alexandrini in eadem, quod dicimus, cum Attico navi hærentis Sanctitatem tuetur) ſtrenuè retudit, ac debellavit. II. de S. *Lucifero* Calaritano, cujus Acta & vindicias ad XX. Maij dedit *Henſchenius*, Tillemontius T. VII., nota in Luciferum, ita prorumpit: *Non dubitamus aſſerere, ſecundum omnes regulas & lucem hiſtoricam fatendum eſſe, Luciferum ſe ſeparâſſe à S. Euſebio, S. Athanaſio, à Liberio Papa, ab omnibus illis, qui ſubſcripſerant formulæ Arimineni, aut qui cum illis ad Eccleſiam redeuntibus communicabant, id eſt, ipſum ſe ſeparâſſe à corpore Eccleſiæ Catholicæ, mortuúmque eſſe in illa ſeparatione, & poſt ſe reliquiſſe corpus ſchiſmaticum Luciferianorum.* At multò veriùs ſecundum omnes regulas & lucem hiſtoricam faten-

dum, falsissima hìc Tillemontium jactitâsse: utpote qui & Scriptores veteres pro indecora opinione sua pessimè allegârit, & oppositi Patrum scriptorúmque testimonia non rite expenderit. Vide suprà §. 2. n. 2. in fine. Item Confer. *Henschenius* l. c. & *Stiltingus* T. VI. Sept. à p. 622. num. 212. ad n. 225. toto §. XIII. in Comment. de S. Liberio. III. *S. Faustum*, Regiensem in Gallia Episcopum hostili calamo persequitur T. XVI. in Fausto: hujus Sanctitatem nullatenus agnoscit: adeò autem infirma atque elumbia in rem hanc argumenta profert, ut ignorantiæ potiùs quàm peritiæ Theologicæ asserta videantur; præterea apertè falsa & contumelioſa, per commentum sanè insulsum atque insanum, Eidem Præsuli affingere audet. Vid. *Stilting.* T. VII. Sept. p. 696. 696. à n. 225. ad 231.: & pag. 652. n. 7. in Comment. de S. Fausto. IV. S. *Chrysostomum* contra Socratem in quæstione, de absolutione post relapsum neganda, ita defendit T. XI. Art. 49. ut meliùs tacuisset, & Sanctum Patrem ad Socratis & Novatianorum ineptias potiùs appropinquantem facere, quàm verè defendere videatur. Vid. *Stilting.* T. IV. Sept. p. 522. à n. 602. ad n 611.

N. 11. Neque multò mitiùs cum Romanis Pontificibus egit. Nam V. in examinandis documentis, ad famam S. Liberii maculandam confictis, omnem ferme crisin abjecit: Hilariana fragmenta, & *Liberianas* Epistolas, in hujus opprobrium consutas, promptissima ipse manu calamóque pro genuinis recepit: & quanquam Baronii argumentum adversus secundam Liberii Epistolam ille haud ignorârit, illud tamen maluit dissimulare, & Epistolam (quam T. VI. in Arianis art. 69. *majori etiam dedecori Liberio* esse observat, *quàm præcedentem*) pro certa laudare, quàm veritatem ipsius ad examen revocare. Quin imò severus ille criticus anathema Epistolæ subjectum attribuit S. Hilario, ac si Sanctus ille Doctor *Liberio*, etiam correcto, ob lapsum anathema dixisset. Adeò Sampson ille criticus omne robur criticum, ne dicam sanum judicium, continuò perdidit, ubi agendum erat de documentis, quæ nata erant *Liberio* notam inurere. Vid. *Stilting.* T. VI. Sept. p. 583. 584. n. 42. p. 631. n. 249. Dein eodem T. VI. in Arianis notâ 55. ineptis & verè nullis argumentis cõnatur evincere, quòd *Liberius* Sirmiensi Formulæ subscripserit. Vid. *Stilting.* T. cit. p. 610. §. x. à n. 164. seq. VI. *S. Stephanus* I. Rom. Pontifex ea vitæ integritate & gestorum laude floruerat, ut etiam Petilianus, Donatistarum Episcopus & summus aliàs S. Cypriani æstimator & cultor, Stephanum maximopere prædicârit, &, quòd *Episcopatum illibatum is gesserit*, palam scribere non dubitârit. *Et nos pudet,*

pudet, jure conqueritur Boſchius, *hodie Scriptores quosdam qui ſe Catholicos haberi volunt (Tillemontium dico & pejores alios) Cypriani, Firmilianique literis ad Sanctiſſimi hujus Pontificis* (Stephani) *memoriam, vel ipſis olim Donatiſtis undequaque illibatam, in hoc ſaltem facto* (ſive Baptiſmi non iterandi decreto & adverſus Cypriani errorem latæ ſemel ſententiæ conſtantia) *commaculandam abuti?* Vid. *Boſchius* T. I. Aug. 120. n. 36. & p. 119. 120. 121. à n. 30. ad n. 41. ubi multò alia ex Auguſtino, Vincentio Lirinenſi, Hieronymo, Beda, Facundo Hermianenſi, in Stephani laudem occurrunt, quàm quæ Tillemontius T. IV. Monum. in Stephano ſcripſit atque traduxit. VII. Quid de *S. Hilaro* dicemus, in cujus ſingulis ferè actionibus quæſivit aliquid Tillemontius, quod ſiniſtra interpretatione carperet? Sic Tomo XVI. Monum. in *S. Mamerto* Ep. Vienn. Art. 1. 2. 3. ut Mamertum defenderet, *S. Hilarum* Pontificem ob ſeveriores ad Mamertum (qui ſcilicet ſtatutis S. Leonis M. non rite obtemperaverat) literas non parcè ſuggillat; imò ait: *Eccleſia ſemper magis venerabitur Sanctitatem illius* (Mamerti) *quàm Sanctitatem iſtius Papæ, quamvis hic* ALIIS *geſtis titulum Sancti etiam mereri potuerit.* Quod quid aliud eſt dicere, quàm, Tillemontium quidem de Stephani Sanctitate non multùm altercari, ſanctiorem tamen Stephano fuiſſe Mamertum: & licèt in *aliis* Sancti honores conſequi potuerit Stephanus, in eo tamen, quod adverſus Mamertum egiſſet, minùs illum extitiſſe laudabilem, certè non Sanctum? Ita ſcilicet Sanctitatis præmia gradúsque diſtribuit Tillemontius, & Mamertum inter ac Hilarum velut arbiter ſedens cauſam adjudicat Mamerto, abjudicat Hilaro, fortè non abjudicaturus, niſi Pontifex fuiſſet Romanus, quem non niſi inter pares primum, objurgandíve Mamerti jure deſtitutum ipſe forſitan ſomniârat! At Hilari partes & famam inſigniter tutatus eſt *Stiltingus* T. III. Sept. p. 565. à n. 59. ad n. 65. in Actis S. Hilari. Rurſus in eodem Hilaro obſervat Tillemontius l. c. *qualecunque gaudium* (in literis ad Leontium Arelatenſem datis) *de ſua ad Pontificatum electione ab illo inſinuari*: indéque ait, *ſe valde dubitare, an S. Auguſtinus & S. Gregorius unquam uſi eſſent ejusmodi verbis in ſcribendo.* Rectiùs profectò de Tillemontio quis dubitaverit, num ſui ſemper rite compos extiterit, num verè Pontificio dogmati addictus, num Scripturæ aut genuinæ Aſceſeos ſatis peritus; nam mendax & audax calamus contrarium docet. *Certè* (verba ſunt Stiltingi T. 3. Sept. p. 562. n. 47.) *Apoſtolus dicit in Ep. 1. ad Timotheum cap. 3. Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Atqui ſi deſiderare Epiſcopatum licet, modò deſiderium oriatur ex bona intentione, gaudere etiam licet de obtento Epiſcopatu: præ-*

ſertim

ſertim ſi quis agnoſcat, ſe divino beneficio provectum eſſe, ut fecit S. Hilarus. Poterat S. Hilarus, qui ſemper egregium oſtendit ſtudium ſervandi diſciplinam Eccleſiaſticam, poſt electionem ſuam gaudere, occaſionem ſibi datam eſſe, multa bona operandi. Poterat, inquam, ea de cauſa gaudere, Deóque gratias agere, etiamſi in ea fuiſſet diſpoſitione, ut ſi DEO id gratius credidiſſet, maluiſſet Pontificalem dignitatem humiliter fugere: quemadmodum Sancti non pauci dignitates quaslibet averſati ſunt. Quare ſi fortè SS. Auguſtinus & Gregorius de ſua electione iisdem verbis uti noluiſſent, inde nihil concludere poſſumus, quàm Sanctos modis diverſis ad eundem tendere finem. Itaque non video, S. Hilarum aliquid ſcribere in illa Epiſtola, quod contrarium ſit Chriſtianæ humilitati, quam & in hac ipſa & in aliis ſine affectatione prodit; neque enim illi maximè humiles ſunt, qui maximam in verbis humilitatem, quæ ſubinde affectata eſt, præſeferunt. Hæc breviter reſpondenda credidi ad cenſuram Tillemontii, cui tanta Romanos Pontifices carpendi fuit libido, ut quamlibet arripuerit occaſionem, & ne à Sanctis quidem abſtinere voluerit. VIII. Etiam *Cuperus* T. I. Aug. in Hiſt. Chronolog. Patriarch. CP. p. 48. n. 250., advertit, quòd ſæpiùs Sedem Apoſtolicam & Summos Eccleſiæ Pontifices modeſta malignitate vellicet Tillemontius, & ſubinde ambiguis aut dubiis phraſibus animum prodat, ut mitiſſimè dicam, nonnihil ab Eccleſia Romana alienum. Sic Tomo 16. Monum. Eccl. à p. 725. refert, *quomodo* Præſules Orientales in magno Eccleſiarum ſuarum periculo per literas ad *Symmachum* Papam confugerint, & opem ipſius *fruſtra* imploraverint. Deinde ibidem p. 727., quaſi Orientalium advocatum & ſimul cauſæ judicem agens, contra Sanctum Pontificem & Eccleſiam Romanam ita crudè pronuntiat: *Neſcio, an Orientales etiam recurrerint ad Epiſcopos Galliarum; ſed in regione tam longè à ſe diſſita inter ipſos barbaros & Arianos repererunt plus bonæ voluntatis, quàm Romæ invenerant.* An hæc ſententia digna eſt ſcriptore, qui genuinus Eccleſiæ filius vult videri? An ingenuus filius tàm contemptim de matre ſua loqui ſolet, ut maternum ejus affectum bonæ barbarorum & hæreticorum voluntati poſtponat? Nonne hìc de inhumana duritie & gravi muneris ſui negligentia condemnat S. *Symmachum*, cujus præclara geſta ad diem XIX. Julij ex antiquis Auctoribus ſunt illuſtrata? IX. Ait Tillemontius T. 16. p. 662.: *Quòd ſi Græci, qui exiguo libertatis ſuæ tempore Euphemium ejusque ſucceſſorem Macedonium* (Patriarchas CPolitanos) *tanquam ſanctæ memoriæ Epiſcopos, ſolenniter in Diptycha referri curaverant, tandem Eccleſiaſticæ pacis causâ ceſſerint Romæ urgenti, ut eos expungerent; per Romam non ſtetit, quin S. Flavianus & S. Elias eadem injuriâ afficerentur.* Audax enimverò (inquit Cuperus l. c. p. 51. n. 270.

51. n. 270. 271.) privati hominis judicium de Romana Ecclesia summisque ejus Moderatoribus, quorum Sanctitatem & doctrinam tota Ecclesia veneratur! Quandoquidem adversarius *Flaviano* & *Elia* tam accuratè titulum *Sanctitatis* addit, cur etiam *Hormisdam* honorifico *Sancti* nomine non compellat? Tamen satis noverat, illam injuriam, quam in temeraria sua hypothesi Pontifex iste Euphemio & Macedonio intulit, quámque etiam aliis inferre voluit, non impedire, quò minùs *Hormisdas* die VI. Augusti inter Sanctorum numerum recenseatur. Præterea quisnam Tillemontium inter Orientales Antistites & Romanos Pontifices constituit judicem, ut statim in favorem Orientalium audeat litem dirimere, & Sanctissimos Romanæ Ecclesiæ Pontifices de gravi culpa condemnare? Si quis contubernalium fortè eum ad tale judicium ferendum impellebat, debuisset ipsi respondere, quod in suo libro Apologetico *Paulus Orosius* cuidam Pelagianorum fautori respondit, ùt in Colonienſi Patrum Bibliotheca Tomo 15. sive in Supplem. p. 141, legimus his verbis: *Nos filii Ecclesiæ Catholicæ sumus: non exigas à nobis, Pater, ut Doctores super doctores esse audeamus, aut judices . . . . . Cur interrogas filios, cùm Patres audias, quid decernant?* Non equidem ignoro, presbyterum Orosium hìc de quæstione purè dogmatica agere; sed adversarius etiam in hac materia eandem regulam sequi potuisset, & judicium suum suspendere, aut prudenter supponere, quòd *S. Hormisdas* Papa non sine justa causa nomen Euphemii & Macedonii è diptychis deleri voluerit, ac postea iisdem iterum inseri permiserit, ùt ex sequentibus apparebit. Hæc *Cuperus*. X. Tomo 16. p. 662. ita graviter effatur Tillemontius: *Tota Hormisdæ auctoritas non impedit, quò minùs hodiedum publicè inter Sanctorum numerum recenseatur Macedonius, etsi gravius deliquerit, quàm Euphemius.* At non video (respondet *Cuperus* l. c. p. 51. n. 272.) cur adversarius Sanctitatem Macedonii auctoritati Hormisdæ, vel auctoritatem Hormisdæ Sanctitati Macedonii oppoſuerit: quasi hæ ambæ inter se pugnarent. Potiùs observare atque addere debuisset, nomen Macedonii eadem S. Hormisdæ auctoritate, quâ ex Diptychis sublatum fuerat, postea iis restitutum fuisse, dum Pontifex ille Epiphanio Episcopo CPolitano vices suas in hoc negotio delegavit, ùt post Natalem Alexandrum *Pagius* in Critica ad A. Christi DXXI. num. 15. ostendit: & uberiùs etiam ipse declarat *Cuperus* l. c. à n. 273. ad 282.

§. VIII.

Tillemontius adverſus Romanæ Sedis præcellentiam, auctoritatem, atque Primatum Scriptor malignus.

n. 12. LIquet ſanè iſtud, dum I. non aliam ob cauſam, quàm quòd *Euſtathius* Patriarcha Antiochenus in Oecumenico Concilio Nicæno I. primum in dextra parte locum obtinuerit, & primus Conſtantinum Imperatorem fuerit allocutus, hunc ipſum *Euſtathium*, non Romanæ Sedis legatos, ùtùt præſentes, eidem *Concilio præſediſſe* affirmat T. VI. Monum. in Concil Nicæno art. 2. & T. VII. Monum. in S. Euſtathio. Sed anile hoc ratiocinium poſt alios plurimos abunde refutavit *Pagius* T. I. Crit. ad A. 325. à n. 11. ad 19. item Vid. *Baron.* ad e. a. n. 56. ubi *Euſtathium* Synodi Præſidem non fuiſſe ex ipſomet *Euſtathio* probat. *Boſchius* T. IV. Julij ad diem XVI. Julij p. 130. à n. 5. ad n. 11. II. quantumvis ſat certum atque exploratum ſit, quòd Julius & Hilarus, à S. Leone ad ſecundam Epheſinam Synodum ſeu potiùs Conciliabulum A. 449. ſuo nomine miſſi, juſtas ob cauſas locum in eo capere noluerint, Dioſcorus verò Alexandrinus non niſi per iniquiſſimas artes primam ſibi ſedem ibi arrogaverit: Tillemontius tamen notâ 26. & 27. in S. Leonem imaginariè prorſus contendit, *legatos Pontificios ſuum omnino in ea Synodo locum occupâſſe, primum verò nec ipſis fuiſſe debitum, nec ab iis deſideratum*; quam in rem non tam argumentis pugnat, quàm vana ſomnia narrat. Diſſipavit has nebulas Stiltingus T. III. Sept. à p. 555. à n. 10. ad n. 23. III. Legitur in Antiquiſſimis Actis SS. Tiburtii ac Chromatii cap. I. n. 7. (Vid. T. II. Auguſti p. 622.) *Exclamavit Tiburtius, vir Clariſſimus*, S. Cajo Papæ *dicens*: *Obſecro te, Pater*, & EPISCOPORUM EPISCOPE &c. Diſplicuit verò hæc, Pontifici data, nomenclatio Tillemontio; nam Tomo IV. Monum. notâ 2. in Acta S. Sebaſtiani (quibus ſcilicet immixta ſunt Acta Tiburtii) p. 740. ita ait: *Titulus Epiſcopi Epiſcoporum, Papæ* hìc *datus, & veroſimiliter cujusdam Romani, Seculo IV. poſterioris.* Aſſertio ſanè ſapida admodum hæreticæ factionis Janſeniſtarum palato! Dein pag. 742. nodum in ſcirpo quærit, dum quæſtionem movet heterodoxis Janſeniſtis iterum valde gratam: dicit enim, quæri poſſe, quandonam titulus ille *Epiſcopus Epiſcoporum* cœptus ſit dari ſummis Pontificibus, prout factum fertur à S. Tiburtio. Et reſpondet: *Quantumvis iſte loquendi modus non fuiſſet introductus niſi à paucis ſeculis, nonne ama-*

amanuenſis aliquis eum adjungere potuit? Aſt criticus ille rectiùs conſuluiſſet ſuæ in perſcrutandis antiquorum Patrum ac monumentorum documentis diligentiæ, quam ubique profitetur, ſi ſapiens ad ſobrietatem, locum hunc intactum reliquiſſet. Nam oſtendi dilucidè poteſt, titulum hunc nec eſſe cujusdam Romani, nec Seculo IV. poſteriorem: ſed Petri ſucceſſoribus eum dari cœpiſſe jam à primis Eccleſiæ temporibus, inde deducitur, quòd in teſtimoniis primorum ejusdem Seculorum, quæ ſcripta ad nos pervenêre, iſte titulus, Sedi Apoſtolicæ jure meritiſſimo debitus, non tantùm clariſſimè reluceat, ſed etiam diſertè expreſſus inveniatur iisdem omnino terminis, nullam in iis quodam illo Romano, ſeculo quarto, ùt volebat Tillemontius, poſteriore partem habente. Vid. *Pinius* T. II. Aug. p. 618. 619. 620. à n. 28. ad n. 36. ubi non modò tituli hujus antiquitas clariſſimè aſſeritur, ſed & Tillemontii aſſertionem ſapidam eſſe admodum hæreticæ factionis Janſeniſtarum palato, eúmque quæſtionem movere heterodoxis Janſeniſtis valde gratam, haud obſcurè oſtenditur. Tametſi enim rem ipſam, titulo ſæpe dicto contentam, ne tangat quidem Tillemontius, multò minùs abroget ſummis Pontificibus (fortè quòd idem reipſa cum Janſeniſtis ſibi amicis ſub ea nominis nuncupatione jam intellexerit, & nihilominus verè Catholicus ab aliis haberi voluerit) ſed tantùm de tempore agat, quo is impertiri cœperit: habet tamen, unde ſibi quæſtio hujusmodi complaceat, malè feriata Janſenii ac Queſnelli aſſeclarum colluvies, qui titulum illum tanquam Sedi Apoſtolicæ indebitum totis viribus impugnare, ſubdolis ac fucatis effugiis eludere, nec non fraudulentis contorſionibus convellere, & Pontificem Romanum ſolummodo inter pares primum, minimè verò inter Epiſcopos tanquam ſibi ſubditos ſuperiorem, effingere machinantur. Id quod egregiè oſtendit Conſtitutionis Clementis Papæ XI. theologicè propugnator Auctor in Prolegomenis ante Tomum primum iſtius Operis cap. II. Vid. *Pinius* l. c.

§. IX.

Tillemontius adverſus Romanæ Catholicæque Eccleſiæ identitatem erroneorum propoſitionum ac diſtinctionum Patronus, ac Theologaſter ſemi-Catholicus vel Janſenianus.

n. 13. RIdicula certè, vel miſeranda potiùs argumentatio eſt, quam Tillemontius T. 16. Monum. p. 661. ex occaſione Euphemii

N. 15. Et quod illud? etiam extra Romanæ Ecclesiæ gremium atque communionem dari posse Sanctitatem, dari verum Martyrium. Hinc identidem objiciunt *primò*, exemplum S. Cypriani: quem decisioni Stephani Papæ constanter restitisse, & tamen extra Ecclesiæ Romanæ communionem verâ martyrii laureâ coronatum fuisse contendunt. Ast umbratilem planè hunc clypeum esse ostendunt *Acta* SS. T. II. Aug. in vita S. Stephani I.: T. IV. Sept. de gestis, & Scriptis S. Cypriani p. 300. 301. 309. 310. 311. 312. seq.: libellus item Gallicus, qui Anno 1725. Parisiis sub hoc titulo prodiit: *Dissertatio theologica de celebri controversia inter S. Stephanum Papam, & S. Cyprianum Episcopum Carthaginensem, ubi explicatur genuina mens S. Augustini circa hanc disceptationem;* quò etiam se refert Cuperus l. c. n. 261. Hinc *secundò*; quemadmodum ex uno absurdo sequitur aliud: ita etiam hi Novatores Janseniani & Quesnelliani, ut suprà recitata aliáque plura Patrum testimonia eluderent, inauditæ antehac distinctionis monstrum in lucem effudêre, dum *summum Pontificem* & *Ecclesiam Romanam* ab *Ecclesia Catholica* distinguere attentârunt, proindéque, etsi extra Ecclesiam *Catholicam* juxta Patres dari salus haud possit, hanc tamen extra *Romanæ* Ecclesiæ & Pontificis sinum reperiri posse, per adducta Cypriani aliorúmque exempla pessimè gloriantur.

N. 16. Atque hanc distinctionem, ex perduelli novitate petitam, quâ Novatores suam pertinaciam contra Sedem Apostolicam colorare nituntur, in suo Tomo XVI. Monum. Eccles. *tacitè* & *astutè* indicat atque amplectitur Tillemontius, dum p. 697. de Euphemio & Macedonio II. Patriarchis CPolitanis asserit, eos *non fuisse schismaticos, sed episcopos Sanctissimos, & cum Ecclesia conjunctissimos.* At cum qua Ecclesia (meritò instat *Cuperus* l. c. n. 262.) dic amabo, cum qua Ecclesia tam conjuncti fuerunt? An cum Romana? Hoc sanè Tillemontius affirmare non potest, cùm alibi sæpe repetat illos *extra* communionem Ecclesiæ Romanæ obiisse. Quomodo igitur hi Episcopi *in* Ecclesia, & simul *extra* Ecclesiam esse potuerunt? Quomodo adversarius hoc paradoxum explicabit, nisi dixerit, Euphemium & Macedonium à summo *Pontifice & Ecclesia Romana* fuisse separatos, & tamen cum *Ecclesia Catholica* maximè unitos mansisse?

N. 17. Verùm (ùt pergit Cuperus n. 263.) hac distinctione Tillemontius *occultè* novis Ecclesiæ hostibus subministrat arma, quibus præcipuum Catholicorum telum repellere nequidquam conantur: mirificè enim recentioribus nostræ ætatis schismaticis ac hæreticis placet illa doctrina, quam famosis suis libellis ad nauseam inserunt,

& ſimplicioribus Catholicis importunè obtrudunt. Fortaſſe adverſarius ſenſit, ſeſe hoc modo illis Novatoribus favere, atque ideo opinionem ſuam tam obſcuris verbis involvit, ut ex *duobus* locis *ſimul* ſumptis (quorum *unò* ſcilicet Euphemii & Macedonii *ab Eccleſia Romana ſeparatio*, alterò autem illorum *cum Eccleſia*, ſcilicet *Catholica, conjunctio* & à ſchiſmatis notâ immunitas aſſeritur) genuina illius mens fuerit eruenda, quam alterutro loco clariſſimè aperire potuiſſet. An videbat, ſe perſpicua ſententiæ ſuæ explicatione nimis apertè patrocinaturum fuiſſe Janſenianis & Quesnellianis, qui ubique gloriantur, ſeſe cum Eccleſia Catholica conjunctiſſimos eſſe, dum interea omnem ſummi Pontificis & Romanæ Eccleſiæ auctoritatem procaciter explodunt? An verebatur, ne manifeſta mentis ſuæ declaratione nimium offenderet quosdam Catholicorum animos, quibus olim tradita Chriſtianæ doctrinæ elementa obedientiam ac venerationem erga ſummum Pontificem & Romanam Eccleſiam à teneris inſpirârunt? Quacunque de cauſa id fecerit, ſaltem ex his Tillemontii textibus inter ſe collatis patet, quòd ſummum *Pontificem & Romanam* Eccleſiam ab Eccleſia *Catholica* diſtinxerit, ut ſe præfatis Sanctorum Patrum teſtimoniis extricaret.

§. X.

Janſeniana Tillemontii inter Eccleſiam ROMANAM & CATHOLICAM diſtinctio refutatur.

n. 18. QUoniam verò ipſa materiæ gravitas & ſanior criſis poſtulare videtur, ut hujus pſeudo-criticæ & pſeudo-Catholicæ diſtinctionis recens excogitatæ idolum ſua de ſede deturbemus: erudito probéque Catholico lectori ingratum haud accidet, ſi Cuperi noſtri reſponſa hìc referamus. Huic itaque effugio, ſive diſtinctioni (inquit *Cuperus* T. I. Aug. in Hiſt. Chronolog. Patr. CP. p. 50. ſeq. à n. 264. ad n. 270.) jam diu viam præcluſerunt Sancti Patres, atque inter alios antiquiſſimus *Irenæus*, Sanctitate & Martyrio illuſtris, dum lib. 3. adverſus hæreſes cap. 3. de Romana Eccleſia ſic diſſerit: *Sed quoniam valde longum eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones: maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ eam, quam habet ab Apoſtolis, traditionem & annuntiatam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem usque ad*

nos,

nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt: AD HANC ENIM ECCLESIAM PROPTER POTENTIOREM PRINCIPALITATEM, NECESSE EST OMNEM CONVENIRE ECCLESIAM, HOC EST EOS, QUI SUNT UNDIQUE FIDELES: *in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio.* Sanctus Præſul Lugdunenſis his verbis indicat, quòd omnes particulares Eccleſiæ, earúmque fideles ſubditi, huic Eccleſiæ Romanæ debeant adhærere, adeóque eam agnoſcit Catholicam propter univerſalem rerum ſacrarum, poteſtatem, quam in omnes Eccleſias inferiores jure poteſt exercere. Obſervationes *Franciſci Feuardentii* in hunc S. Irenæi textum legi merentur.

N. 19. Similiter de Romano Pontifice ſenſit inclytus Africæ Martyr *Cyprianus*, qui literas ſuas reſponſorias ad Antonianum p. 91. edit. Pamel. ſic incipit: *Accepi primas literas tuas, frater chariſſime, concordiam Collegii Sacerdotalis firmiter obtinentes, & CATHOLICÆ ECCLESIÆ cohærentes, quibus ſignificaſti, cum Novatiano te non communicare, ſed ſequi conſilium noſtrum, & cum* CORNELIO *cœpiſcopo noſtro* (is tum Romanæ Eccleſiæ præerat, & Pontificatum ſuum non diu poſt gloriosâ Martyrii laureâ decoravit) *unum tenere conſenſum. Scripſiſti etiam, ut exemplum earundem literarum ad* CORNELIUM *Collegam noſtrum transmitterem, ut depoſita omni ſollicitudine jam ſciret, te* SECUM, HOC EST CUM CATHOLICA ECCLESIA *communicare.* Vides, S. Cyprianum hìc inter Pontificem Romanum & Eccleſiam Catholicam non diſtinguere: ita ut cum *Catholica* Eccleſia communicare cenſeret illum, qui cum *S. Cornelio* Papa communicabat? Nonne hinc converſo argumento inferri poteſt, illos ab Eccleſia Catholica ſegregari, qui à communione Romani Pontificis avelluntur, ſicut rectè dicitur membrum à corpore ſeparari, quod à vivo capite abſcinditur?

N. 20. Sanctus *Optatus* Milevitanus lib. 2. de ſchiſmate Donatiſtarum adverſus Parmenianum ita argumentatur: *Negare non potes, ſcire te, in Urbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus eſt, in qua una cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne ceteri Apoſtoli ſingulas ſibi quisque defenderent: ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram, alteram collocaret.* Ergo CATHEDRA UNICA, *quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus.* Deinde enumerat reliquos S. Petri in Romana cathedra ſucceſſores

usque

usque ad Siricium tum viventem, quocum se communicare asserit, & ex ea communione ostendit sese esse in vera Ecclesia, à qua Donatistæ excludebantur, quamvis eam suæ sectæ perperam vindicarent. Tum paulò inferiùs Donatistas ita interrogat: *Unde est ergo, quòd claves regni vobis usurpare contenditis, qui contra* CATHEDRAM *Petri vestris præsumptionibus & audaciis, sacrilegio militatis?* Denique eosdem schismaticos sic hortatur: *Intelligite vel serò, vos esse filios impios, vos esse ramos fractos ab arbore, vos abscissos palmites à vite, vos esse rivum concisum à fonte.* His similitudinibus & argumentis indicat, illos ab Ecclesia Catholica avulsos esse, eoquòd Apostolicæ Sedi nollent adhærere: & contra cathedram Petri sacrilegè militarent.

N. 21. Sed & Sanctus *Maximus*, qui pro orthodoxa fide vincula & tormenta fortiter sustinuit, hanc Tillemontianam distinctionem ignoravit; nam Tomo II. Operum suorum, quæ Combefisius Anno 1675. Parisiis Græcolatinè edidit, pag. 76. ita scribit: *Omnis, qui eos, qui Pyrrhum reprobaverunt, anathematizat,* SEDEM ROMANAM, ID EST, CATHOLICAM ECCLESIAM, *anathematizat.* Quis non hìc videt & palpat, sedem Romanam ab Ecclesia Catholica non distingui, adeóque Tillemontium cum aliis temerè ad talem distinctionem confugere? Paulò pòst idem Sanctus fidei propugnator ibidem citatâ paginâ dicit, Pyrrhum frustra laborare, dum se apud alios excusare nititur, *& non satisfacit & implorat* SANCTISSIMÆ ROMANORUM ECCLESIÆ BEATISSIMUM PAPAM, ID EST, APOSTOLICAM SEDEM, *quæ ab incarnato DEI Verbo, sed & omnibus Sanctis Synodis secundum sacros Canones & terminos universarum, quæ in toto terrarum orbe sunt, sanctarum DEI Ecclesiarum in omnibus & per omnia percepit & habet imperium, auctoritatem & potestatem ligandi & solvendi.* Cùm igitur S. Maximus hìc primò nullum discrimen faciat inter Sedem Romanam & Catholicam Ecclesiam: deinde autem inter Sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ beatissimum Papam ac Apostolicam Sedem non distinguat: juxta axioma Philosophorum, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se,* non ineptè concluditur, *summum Pontificem, Cathedram Romanam, Sedem Apostolicam,* aliáque id genus synonyma, quibus Sancti Patres promiscuè utuntur, in materia *dogmatica* ab *Ecclesia Catholica* non differre. Plura de hac re videri possunt in quodam Tractatu de schismate, qui non ita pridem in Belgio primùm gallicè ac postmodum latinè impressus est. Hactenus *Cuperus* l. c. qui præter hæc etiam ex S. Fulgentii vita, ab ejusdem discipulo scripta, testimonium S. Eulalii Episcopi Syracusani in hanc rem attulit n. 267. p. 51.

N. 22. Addi hiſce teſtimoniis alia non minùs luculenta merentur. Nam I. *S. Cyprianus* in Ep. 67. ad Stephanum Papam, Cornelii ſucceſſorem, de Novatiano Romani Pontificatûs quondam uſurpatore ita ſcribit: *Cùm ad nos legatos in Africam miſiſſet* (Novatianus) *optans ad communicationem* NOSTRAM *admitti, hinc à Concilio plurimorum Sacerdotum, qui præſentes eramus, ſententiam retulit, ſe foris eſſe cœpiſſe*, NEC POSSE A QUOQUAM NOSTRUM SIBI COMMUNICARI, QUI EPISCOPO CORNELIO IN CATHOLICA ECCLESIA DE DEI JUDICIO & *Cleri* (Romani) *ac plebis ſuffragio ordinato*, PROPHANUM ALTARE ERIGERE, ET ADULTERAM CATHEDRAM COLLOCARE . . . TENTAVERIT. Nonne hìc *Romana & Catholica* Eccleſia pro Synonymis audiunt? Nonne à Romanæ Eccleſiæ & Pontificis Romani legitimè ordinati communione deficere, idem erat atque à Catholicæ Eccleſiæ ſive ceterorum quoque per DEI Eccleſiam Epiſcoporum ſocietate excludi, etſi Novatianus cum Africæ Epiſcopis voluerit eſſe conjunctus? II. idem *Cyprianus* in Ep. 45. ad Cornelium Pontificem, recèns electum: *Placuit, ut . . . per omnes omnino in Provincia iſta poſitos literæ fierent, ſicuti fiunt, ut Te univerſæ Collegæ noſtri*, & COMMUNICATIONEM TUAM, ID EST, CATHOLICÆ ECCLESIÆ UNITATEM *pariter & caritatem probarent firmiter ac tenerent.* Itaque qui cum Romano Pontifice non communicat, Catholicæ quoque Eccleſiæ unitatem diſcindit, & cum Catholica Eccleſia conjunctus eſſe non poteſt. III. dum S. Cornelius in Ep. ad Cyprianum (quæ inter Cyprianicas eſt 46.) Maximi, Urbani, Sidonii, & Macharii à relictis Novatiani intruſi partibus ad eundem Cornelium tranſitum ac publicam pœnitentiam deſcribit, *propria ipſorum verba* ita commemorat: *Nos*, inquiunt, *Cornelium* EPISCOPUM SANCTISSIMÆ CATHOLICÆ ECCLESIÆ *electum* (agitur autem hìc de electione ad Sedem Romanam) *à DEO omnipotenti & Chriſto Domino noſtro ſcimus* . . . . *Nec enim ignoramus, unum DEum eſſe, & unum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus, unum Spiritum Sanctum*, UNUM EPISCOPUM IN CATHOLICA ECCLESIA ESSE DEBERE. Num qui ſe ab uno Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopo dividit, Catholicæ Eccleſiæ membrum poteſt cenſeri? IV. ut Romanos, Novatiani ſectatores, ad Cornelii communionem reduceret Cyprianus, literas ad eosdem per Mettium hypodiaconum miſit, aliasque ad ipſummet Cornelium addidit (eſt hæc Epiſtola 43.) in quibus ita ad Pontificem ſcribit: *Religioſum nobis & neceſſarium exiſtimavi, frater Cariſſime, ad Confeſſores, qui illic* (Romæ) *ſunt, & Novatiani ac Novati obſtinatione & pravitate ſeductli*

ſeducti de Eccleſia receſſerunt, literas breves facere, quibus eos pro affectione mutua convenirem, ut ad MATREM SUAM, ID EST, ECCLESIAM CATHOLICAM *revertantur.* Quòd ſi Eccleſia *Romana* (de qua hìc agitur) ceterarum Eccleſiarum *Mater* & antonomaſticè *Eccleſia Catholica* dicitur: quomodo Eccleſiæ Catholicæ adhuc filius erit, qui repudiat Matrem? Plura, quæ ex Cypriano huc facere poſſunt, vide T. IV. Sept. à p. 314. §. 45., ubi de Romanæ Catholicæ Primatu agitur.

N. 23. Quintò: *S. Ambroſius* in Oratione funebri de exceſſu fratris ſui Satyri: *Advocavit ad ſe Satyrus Epiſcopum . . . percontatúsque eſt ex eo, utrumnam cum* EPISCOPIS CATHOLICIS, HOC EST, CUM ROMANA ECCLESIA *conveniret.* VI. S. Hieronymus Ep. 14. (Edit. Pariſ. de A. 1706.) ad Damaſum ita inquit: *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens* BEATITUDINI TUÆ, ID EST, CATHEDRÆ PETRI, COMMUNIONE *conſocior, ſuper illam* PETRAM *ædificatam* ECCLESIAM *ſcio. Quicunque extra hanc* DOMUM *agnum comederit, prophanus eſt. . . Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque* TECUM *non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui* CHRISTI NON EST, ANTI-CHRISTI EST. Et in Ep. 16. *In tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat. . . . Ego interim clamito: Si quis* CATHEDRÆ PETRI *jungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis atque Paulinus* TIBI *hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc unus aſſereret. Nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco obteſtor Beatitudinem tuam per crucem Domini. . . . ut mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices.* Idem Hieronymus in Apologia adverſus Ruffinum: *Fidem ſuam quam vocat? eàmne, quâ* ROMANA *pollet Eccleſia? an illam, quæ in Origenis Voluminibus continetur. Si* ROMANÆ *reſponderit: ergò* CATHOLICI *ſumus, qui nihil de Origenis errore tranſtulimus.* Superſedeo hìc complura, quæ ſuppeterent, quà antiquiorum, quà poſteriorum Patrum effata, prorſus ſimilia, hìc attexere; quandoquidem allata hactenus ſufficiunt, ut lector intelligat: *primò*: quòd *Cathedram Petri, Apoſtolicam Sedem, Eccleſiam Romanam, Eccleſiam Catholicam,* pro una eadémque re Antiquitas orthodoxa receperit. *Secundò*: quòd Romani Pontificis communionem ſpernere, idem fuerit, atque ab Eccleſia Catholica ſegregari. *Tertiò*: quòd proinde neque ſalus neque ſanctitas extra Eccleſiæ Romanæ & Pontificis communionem poſſit aut potuerit dari. *Quartò*: quòd Tillemontiana de Sanctis, extra Eccleſiæ Romanæ unitatem concordiámque demortuis, aſſertio, & inter Eccleſiam Romanam Catholicámque diſtinctio (quantum ad ſchiſma, ad hæreſin, atque ad rem dogmaticam ſpectat)

ctat) unanimi Sanctorum Patrum ſententiæ è diametro refragetur, neque aliter atque inſanæ novitatis inventum peſtilens ſit explodenda ac execranda.

N. 24. Sed nempe quid mirum, quòd Tillemontius in tales ſubinde abierit opiniones, ut non modò communi Catholicorum ſententiæ de dignitate Sedis Apoſtolicæ, ſed vetuſtis quoque monumentis palam ſe opponere ſuſtinuerit? Nôſſe enim oportebit, Virum illum in Abbatia Portûs Regii Campenſis (quæ ſub ſeculi hujus initium ob nimium *Janſenianorum* dogmatum amorem juſſu Regis Ludovici XIV. deſtructa eſt) vivere voluiſſe, quamdiu licuit, & ibidem poſt mortem ſepeliri; Unde & factum, ut in *Kalendario Janſeniano* locum non infimum ſit conſecutus Vid. *Acta SS.* T. III. Sept. p. 556. n. 16. in Actis S. Hilari Pontif. item *Perraultius*, qui Tomo II. Virorum Illuſtrium p. 14. &c. in elogio Tillemontiano Ejusdem cadaver Pariſiis ad Portum Regium Campenſem fuiſſe translatum teſtatur.

Conſuli præterea de Tillemontii Monumentis poſſunt *Memoriæ* ſive *Ephemerides Trivoltienſium*; v. g. ad A. 1703. Menſem *Septemb.* Art. 148. p. 1521. 1522. ubi mentio fit de primis ſeptem Tillemonii Tomis.

2dò ad A. 1707. Menſem *Decembrem*, Art. 154. p. 2049. 2050. & p. 2057. n. 4. 5. ubi ſermo eſt de XI. Tillemontii Tomo.

3.tiò ad A. 1710. Menſem *Aprilem*, Art. 46. p. 559. 560. 565. 566, ubi de Tomo XIV. diſquiſitio inſtituitur.

4tò ad A. 1713. Menſem *Junium*, Art. 86. p. 1013. 1027. 1031. 1032. 1033. 1035., ubi plures animadverſiones occurrunt in Tomum XVI. Monum. Eccleſ. qui Pariſiis in forma quarta prodiit Anno 1712.

TURPINUS. TURPINUS (quo nomine intelligendus venit *Tilpinus*; neque enim Remenſi Eccleſiæ ullus unquam Turpinus præfuit) ſub Carolo M. ab A. ſaltem 775. Archiepiſcopus Remenſis, Auctor creditus eſt Hiſtoriæ ſive *Vitæ Caroli M.* atque *Rolandi*; quæ lucem aſpexit *Francofordiæ* A. 1566. inter IV. Scriptores Rerum Germ. Simonis Schardii: rurſus *ibidem* A. 1584. & *Hanoviæ* A. 1619. inter Scriptores Germ. Juſti Reuberi, atque iterum *Francofordiæ* in recentiori Collectione plurium Scriptorum Germ., quam Georgius Chriſtianus Joannis adornavit. Verùm inter eruditos jam convenit, non Turpini aut Tilpini Remenſis, ſed anonymi cujusdam otioſique fabulatoris Opus hoc eſſe, qui Romanciam potiùs & ludicra Epiſodia, quàm genuinam hiſtoriam, in curioſi credulique lectoris oblectamentum conſarcinârit, verè Turpinus, quia turpiter mendax. Attamen Caſimirus Oudinus apoſtata eò dementiæ progreſſus eſt, ut infor-

informis hujus partûs hiſtoriæque parentem ipſummet Calixtum II. Romanum Pontificem pronuntiare ſit auſus. *Vide* ſuprà p. 316, 317. verbô: *Oudinus*. Nobis in alterius Operis, quod meditamur, proxima lucubratione paulò prolixior de hoc Pſeudo-Turpino diſſerendi materies erit.

V.

VICTOR, Tunnunenſis in Africa Epiſcopus ſub Juſtiniano Imperatore, Chronicon edidit, quô Proſperum Aquitanum continuavit uſque ad Juſtini II. ſive junioris imperium, videlicet uſque ad Annum 565., initium ſumens à XVIII. Conſulatu Theodoſii Junioris, & Conſulatu Albini, qui juxta Pagium incidit in Annum Chriſti 444. Vid. *Pagius* T. II. Crit. ad e. a. n. 1. Ita verò Chronicon ſuum inchoat Victor: *A XVIII. Conſulatu Theodoſii Junioris, Victor, Epiſcopus Tunnunenſis Eccleſiæ Africæ, hiſtoriam proſequitur, ubi Proſper reliquit.* Finis Chronici ita habet: *Colliguntur omnes anni ab Adam primo homine uſque ad Nativitatem D. N. J. C. ſecundum carnem, quæ facta eſt MMMMMCXCIX., à Nativitate verò D. N. J. C. ſecundum carnem, quæ facta eſt XLIII. Auguſti Octaviani Cæſaris Imperii Anno, uſque in annum Juſtini primum Principis Rom. qui Juſtiniano in Imperio ſucceſſit, Anni DLXVII. fiunt ſimul ab Adam uſque in primum memorati Principis Rom. Anni V. M. DCCLXVI.* Quòdſi autem Victor, ex ſuomet teſtimonio, *ibi* incipit, *ubi* finiit *Proſper*: duo inde concludere licet; *primum*, quòd Du Chêſnii & Labbei opinio corruat, qui (ùt in *Euſebio* pag. 134. diximus) Proſperi Chronicon uſque ad Annum 455. pertexuêre. Ille itaque Annorum undecim exceſſus, atque auctarium, quod in Du Cheſnii & Labbei editionibus extat, alterius potiùs anonymi, ſed vetuſtiſſimi continuatoris ac tranſcriptoris labor erit exiſtimandus. *Secundum*: quòd etiam Iſidorus Hiſpalenſis c. 25. de Script. Eccleſ. à vero aberrârit, cùm ſcriberet: *Victor Tunnunenſis Eccleſiæ Africanæ Epiſcopus* A PRINCIPIO MUNDI, *uſque ad primum Juſtini junioris Imperii annum, brevem per Conſules annuos bellicarum Eccleſiaſticarúmque rerum nobiliſſimam hiſtoriam promulgavit, laude & notatione illuſtrem ac memoriâ dignam.* Nam (ùt *Henr. Caniſ.* in Præfat. ad Victoris Chronicon. edit Ingolſtad. & Tomo IV. Hiſpaniæ Illuſtratæ p. m. 117. rectè obſervat) quod Iſidorus ait, hunc Victorem *à principio mundi*, uſque ad primum Juſtini annum, brevem quandam hiſtoriam ſcripſiſſe (cùm hunc à XIIX. Theodoſii junioris Conſulatu, ubi Proſper deſiit, VICTOR TUNN.

inchoâſſe palàm ſit) ad ea, opinor, reſpicit, Iſidorus, quæ in fine hujus Operis habentur; dum videlicet Victor rationem annorum à condito mundo iniens ita ſcribit: *Colliguntur omnes anni ab Adam primo homine* &c. Quibus verbis minimè ſignificare voluit, ſe hiſtoriam ab exordio mundi texuiſſe, ùt Iſidorus exiſtimâſſe videtur; ſed enumerans omnes annos, qui à principio mundi effluxerunt, Chronicíſque Euſebii, Hieronymi, Proſperi, & ſuo comprehenduntur, aſſerit tot & tot annos ab Adamo protoplaſto, uſque ad primum Juſtini Junioris annum, elapſos eſſe. Et quî, quæſo, Victor Chronicum ab exordio mundi contexuit, cùm ipſemet fateatur, finem Proſperi ſibi eſſe principium ſcribendi? Ita *Caniſius*. Falluntur proinde, qui mutilum Victoris Chronicon (utpote cujus ea tantummodo pars extet, quæ ab a. 444. ad a. 565. perducitur) ad nos perveniſſe, cum Labbeo ob unius Iſidori auctoritatem exiſtimârunt: ſimul autem ex his, quæ hoc loco ex Schotto retulimus, ea lector ſupplebit ac corriget, quæ nos alibi in Euſebio pag. 135. lin. 1. de Victoris Chronico ex eodem Labbeo ùt vera aſſumpſimus. Editum eſt Victoris Chronicon *primò* Ingolſtadii A. 1600. unà cum Chronico Joannis Biclarienſis per Henricum Caniſium; *ſecundò* per Scaligerum in Theſauro Temporum A. 1606. Lugduni Batavorum & 1658. Amſtelodami; *Tertiò* Francofordiæ A. 1608. Tomo IV. *Hiſpaniæ* Illuſtratæ à pag. 121. *Quartò* per Jacobum Baſnagium Antverpiæ A. 1725. inter Lectiones Antiquas Henrici Caniſii. Ejusdem Chronici ex antiquioribus Scriptoribus meminêre *Iſidorus* tum l. c. tum ſuimet Chronici initiô: *Ado* Viennenſis in primo ſui Chronici limine: *Honorius* Auguſtodunenſis l. 3. de luminaribus Eccleſiæ cap. 29. *Otho* Friſing. l. 5. c. 6. &c.

N. Etſi verò Iſidorus Victoris Chronicon non parùm dilaudet (ùt ſuprà intelleximus) & Critici paſſim Scriptores illud ſequantur: ſua tamen quà Chronologica quà Hiſtorica menda Victori non deſunt. Et *Sollerius* quidem T. IV. Julij in Hiſtoria Chronolog. Patriarch. Antioch. p. 93. n. 428. *Victoris Tunnunenſis Auctoritatem ob anachroniſmos frequenter non admodum gravem* eſſe affirmat. Sic v. g. Datii Mediolanenſis Epiſcopi, & Totilæ Gothorum Regis obitum cum anno 554. ſive decimo quarto Conſulatûs Baſilij anno connectit; quorum tamen uterque biennio antè, ſive A. 552. fuêre extincti. Vid. *Pagius* T. II. Crit. ad A. 552. n. 25. De Juſtiniano Imperatore ſcribit Victor, quòd XL annis imperaverit, & Indictione XV. anno DLXVII. vitæ finem ſuſceperit. Aſt Juſtinianum non annis 40. ſed 38. imperâſſe, neque Anno 567. ſed 565., neque Indictione XV.,

XV., ſed XIV., die XIV. Novembris exſpirâſſe, ſatis eſt exploratum. Vid. *Pagius* l. c. ad 565. n. 3. Quàm malè item in Patriarcharum Antiochenorum chronotaxi & ſucceſſione verſatus fuerit Victor, Vid. *Boſchius* T. IV. Julij in Hiſt. Chronolog. p. 88. n. 403. *Pagius* ad a. 482. n. 12. Dein vix ullam occaſiunculam Victor prætermittit, quin trium Capitulorum, quorum ipſe ad exilium uſque defenſor obſtinatiſſimus extitit, orthodoxos impugnatores apertè vellicet, & indecoro *prævaricatorum* agnomine notet, imò eapropter divinitus etiam fuiſſe punitos non obſcurè prætexat. Sic de S. Dacio Mediolanenſi Præſule inquit; *Dacius Mediol. Ep. CPolim venit, & damnationi eorundem III. Capitulorum conſentiens, eo die percuſſus obiit.* De Vigilio Romano Pontifice ita habet: *Vigilius Rom. Ep. poſtquam prævaricatus eſt ſub excommunicatione totius Africanæ Eccleſiæ Pontificum, in inſula Siciliæ moritur.* De Pelagio I.: *condemnans ea, quæ dudum conſtantiſſimè defendebat, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus à prævaricatoribus ordinatur*

N. 3. *Ruinartius* eruditiſſimus, dum in Hiſtoria Perſecutionis Vandalicæ Parte II. cap. 8. de S. Eugenii Carthaginenſis Epiſcopi Ordinatione pertractat, alios non leves Victoris Tunnunenſis parachroniſmos, & in diverſarum Sedium Epiſcopis recenſendis errorem non unum obſervat. Sic v. g. de ejusdem Eugenii conſecratione ita loquitur Victor: *Viviano V. C. & Baſilio Conſulibus Carthaginenſis Eccleſiæ poſt Capreolum QuodvultDEus, Eugenius Epiſcopus ordinatur.* Altera verò ejusdem Victoris editio per Scaligerum curata ſic habet: *Leone Auguſto II., Viviano V. C. Coſſ. Carthaginenſis Eccleſiæ poſt Capreolum QuodvultDEUs, Eugenius Epiſcopus ordinatur.* Aſt ſanè juxta Faſtos Conſulares memoratorum Virorum Conſulatus incidit in annum Chriſti 462. vel 463.; unde hæc Epocha S. Eugenii ordinationi convenire haud poteſt, prout l. c. Ruinartius probat. *Ex alterius,* inquit, *Victoris Vitenſis ſcilicet hiſtoria certum eſt, Eugenium huic Eccleſiæ præfectum fuiſſe ſub Hunerico Rege, cùm nimirum iſte barbarus ad Zenonis Imperatoris Placidiæque Olibrii relictæ preces, Catholicis Carthaginenſibus permiſiſſet Epiſcopi electionem, ùt fuſiùs narrat ille Auctor libri ſecundi initiò. At anno* 462. (imò & 463.) *Genſericus Hunerici Pater & præceſſor adhuc in vivis agebat, & Zeno his temporibus nondum conſcenderat imperialem thronum, & ex ipſo Victoris Tunnunenſis Chronico probari poteſt. Sanè ex aliis compluribus Victorini hujus Chronici locis certum eſt, hunc Auctorem, cùm Epiſcopos diverſarum Sedium recenſet, ſimul in unum annum plures congeſſiſſe, quos tamen variis & plurimùm diſſitis temporibus ordinatos fuiſſe, nemo inficiabitur. Sic paulò inferiùs Hilarium, Simplicium, & Felicem*

Ponti-

Pontifices Romanos in unum congerit: ſicut & Gennadium, Anatolium & Acacium Epiſcopos CPolitanos, & ut ceteros taceam, Alexandrum, Martyrium & Julianum Antiochenos.

N. 4. Dein argumentum ſuum ſic urget atque confirmat Ruinartius: *Adde Victorem eo loci nullam DEOgratias Epiſcopi feciſſe mentionem; quem tamen inter Quodvultdeum, qui pro fide in exilium pulſus eſt, & Eugenium Eccleſiæ Carthaginenſi præfuiſſe conſtat. At Eugenii ordinationis tempus ex longè certioribus argumentis colligere licet, ex iis ſcilicet, quæ ſuprà cap. VI. de beato DEogratias ejus deceſſore obſervavimus: cùm enim ex his pateat, DEogratias anno circiter* 457. *ad Superos abiiſſe, aliundéque ex Victore Vitenſi lib. II. num.* 1. *certum ſit, Eccleſiam Carthaginenſem annis XXIV. poſt ipſius obitum Epiſcopo deſtitutam manſiſſe: patet quoque Eugenii ordinationem, qui, ut ex eodem Auctore diſcimus, beato DEogratias ſucceſſit, anno circiter* 481., *debere conſignari. Et quidem hoc anno nondum aperta erat gravis illa perſecutio, quâ Hunericus poſtea tam graviter turbavit Eccleſiam, ut ſuprà cap. præced. num.* 10. *& ſeq. expoſuimus.* Ita *Ruinartius*, & cum eo *Cuperus* T. III. Julij p. 490. n. 16. 17. 18. in Comm. præv. ad Acta S. Eugenii Carthag. E quibus manifeſtum eſt, aut Victorem Tunnunenſem plura in unum confudiſſe, aut memoriâ lapſum, Eugenii conſecrationem ante tempus memorâſſe. Hæc tamen non obſunt, quò minùs in aliis multoties Victoris auctoritas ſuum habeat locum, aut ceteris ſubinde Scriptoribus præferatur. Vid. *Cuperus* l. c. n. 6. 19. 25.

N. 5. Aliam hujuſce Victoris de S. Læto, Neptenſi in Africa Epiſcopo, narrationem in dubium vocare videtur noſter *Limpens* T. II. Sept. p. 682. n. 20. Nam ad quartum Juſtiniani Auguſti Conſulatum hæc habet Tunnunenſis: *Juſtinianus Imp. viſitatione Læti Epiſcopi, ab Hunerico Vandalorum Rege Martyris facti, exercitum in Africam, Beliſario Magiſtro militum Duce, contra Vandalos mittit.* Similia, ex ejusdem Victoris Chronico haud dubiè accepta, leguntur apud S. Iſidorum Hiſpal. in Chronico. At utroque antiquior Procopius Cæſareenſis (qui CPoli degebat, cùm bellum adverſus Vandalos Juſtinianus A. C. 533. ſuſciperet) Epiſcopum quendam DEi monitu ex Oriente illuc adveniſſe aſſerit, cujus exhortatione incitatus Imperator bellum iſtud decreverit. Rem ita enarrat Procopius, à Claudio Maltreto noſtro Pariſiis A. 1662. Græco-latinè editus l. c. de bello Vandalico cap. 10. *Joannis*, prætorio præfecti expeditionem diſſuadentis, *Orationi aſſenſus Imperator, ſtudium ingens belli remiſit. Tum quidam ex ordine Sacerdotum, quos Epiſcopos vocant, ab Oriente profectus, habere ſe dixit, qua cum Auguſto communicaret. Ad colloquium intro-*

introductus, asseruit, se à DEO secundum quietem mandata hæc accepisse, ut Imperatorem adiret incusarétque, quòd cùm Africæ Christianos tyrannide exempturum se recepisset, vano deinde metu esset deterritus. At, inquit, hæc dixit Dominus: Bellanti ipsi adero, subque ejus imperium Africam subjungam. Quo audito, continere se Augustus non potuit, quin milites ac naves cogeret, arma & commeatus pararet, ac præciperet Belisario, uti se accingeret ad exercitum, primo quoque die ducendum in Africam. Bellum successu mirè felici confecit Belisarius, capta Carthagine, victo Gilimere ultimo Vandalorum Rege, subjugatâ Africâ & Justiniano subjecta, restituta religione Catholica. Ast Imperatorem istum ad Vandalos debellandos inductum fuisse *visitatione Læti Episcopi*, ùt Victor scribit, tutò credi nequit, nisi Procopii adversantis gravior auctoritas elevetur. Hæc *Limpenus* l. c. ad diem 6. Septemb. in Actis *SS. Donatiani*, LÆTI &c. Epp. Africanorum. Verùm si rite divinem, adeò Procopius non repugnat Victori, ut simul etiam stare utraque assertio possit. Neque enim de Læto adhuc superstite loquitur Victor, sed de mortuo, & jam sub Hunerici tyrannide martyrium passo; id quod accidit anno 484. paulò ante ejusdem Hunerici eodem anno interitum, prout ipse Limpenus l. c. p. 682. n. 19. advertit: Justinianus verò Imp. Anno primùm 527. Augustus est renunciatus. Quare *visitatio Læti* (de qua Victor) aliud non dicit, quàm apparitionem sive visionem, Cæsari à Divo Præsule & Martyre factam; Procopius autem verba facit de homine, velut adhuc superstite, cùm dicit: *ab Oriente profectus*: &: *secundum quietem*, sive in somno. Nunquid autem contingere potuit, ut & apparitio Læti, & alterius ex Oriente Episcopi adventus vel simul concurrerint, vel alter alteri supervenerit, duplicique tam viventis quàm mortui Præsulis alloquio firmatus Cæsar expeditionem tandem decreverit? quod si factum (ùt fieri potuit) unam quidem Procopius, alteram Victor, quarum tamen neutra invicem pugnat, expeditionis decretæ causam attigêre. Imò dubitare fortasse quis possit, an non una prorsus eadémque res sub diversis verborum involucris hìc delitescat. Nam si genuina rei series, seu ipsius Sancti Læti apparitio atque hortatio, ab Imperatore non sit temerè in publicum sparsa, sed sub peregrini cujusdam Præsulis, cœlitus moniti missíque, schemate enarrata de Læto res fuerit: etiam Procopius huic narrationi, qualis circumferebatur, calamum aptare potuit; dum tandem fortunatæ expeditionis eventus (post subactam scilicet Africam) cœlicæ visionis monitionisque veritatem comprobârit, proindéque insolitæ apparitionis gratiam, à Divo Læto ejus-

dem Africæ quondam Antiſtite ſibi factam, illius quoque Provinciæ Præſulibus (unde ſua hauſerit Victor) ad Divi hortatoris ſui gloriam gratitudinis ergò Imperator apertiùs manifeſtârit, Aſt nunc gravior exoritur

QUÆSTIO CRITICA

De Vigilii literis, quas adhuc Pſeudo-Pontifex ſcripſiſſe dicitur.

§. 1. ITa enim ad ſecundum Baſilii Conſulatûs annum Victor Tunnunenſis rem narrat: *Hic* (Vigilius) *Papa effectus* (ſcilicet Theodoræ Auguſtæ juſſu per Beliſarium in ſuperſtitis adhuc Sylverii locum intruſus) *ab Antoniana patritia Beliſarii Patritii uxore compellitur, ut Theodoſio Alexandrino, Anthemio CPolitano, & Severo Antiocheno, jam pridem ab Apoſtolica Sede damnatis, tanquam Catholicis ſcriberet, & ita de fide, quemadmodum & illi, ſentiret; cujus Epiſtolæ illius tenor ita ſe habere probatur.* " Dominis & in Chriſti DEI Salvatoris noſtri charitate conjunctis fratribus Theodoſio, Anthemio & Severo Epiſcopis, Vigilius Epiſcopus. Scio quidem, quæ ad Sanctitatem veſtram antè fidei meæ credulitas, DEO juvante pervenit, ſed quia modò glorioſa Domina & filia mea Patritia & Chriſtianiſſima, deſideria mea facit impleri, ut fraternitati veſtræ præſentia ſcripta transmitterem, ſalutans ergo gratia, quâ nos in Chriſto D. N. Salvatore conjungimur, eam fidem, quam tenetis, DEO jubente & tenuiſſe me & tenere ſignifico, ſcientes illud inter nos, quod prædicamus & legimus, quia anima una & cor nobis ſit unum in DEO, profectûs mei, qui eſt veſter, DEO juvante, nunciare vobis gaudia maturavi ex meo animo fraternitatem veſtram, quæ optat, libenter amplectitur. Oportet ergo, ut hæc, quæ vobis ſcribo, nullus agnoſcat, ſed magis, tanquam ſuſpectum, me ſapientia veſtra ante alios æſtimet ſe habere, ut faciliùs poſſit DEus, quæ cœpit operari, perficere. *Et ſubſcriptio*: Orate pro me Domini mei fratres in Chriſti DEI noſtri Salvatoris charitate connexi. "

N. 2. Hanc Victoris narrationem ea firmare videntur, quæ *Liberatus*, Diaconus ſimiliter Africanus ſive Carthaginenſis, in Breviario ſuo cap. 22. hiſce verbîs commemorat: *De Agapeto* (Pontificis Romani, qui CPoli X. Kal. Maij A. 536. diem obiêrat) *deceſſu audiens Romana Civitas, Silverium Sub-Diaconum . . . elegit ordinandum*, die octava Junij. *Auguſta verò vocans Vigilium Agapeti Diaconum* (CPoli tunc

tunc commorantem) *profiteri ſibi ſecretò ab eo flagitavit, ut ſi Papa fieret,* TOLLERET SYNODUM (Chalcedonenſem) *& ſcriberet Theodoſio, Anthimo, & Severo, & per Epiſtolam ſuam firmaret fidem; promittens dare ei, præceptum ad Beliſarium, ut Papa ordinaretur, & dari centenaria ſeptem. Lubenter ergo ſuſcepit Vigilius promiſſum ejus amore Epiſcopatûs & auri: & facta profeſſione, Romam profectus eſt, ubi veniens invenit Silverium Papam ordinatum. Quin & Ravennæ reperit Beliſarium in eadem urbe ſedentem, eámque obtinentem. Cui tradens præceptum Auguſtæ, promiſit ei duo auri centenaria, ſi Silverio remoto ordinaretur ipſe pro eo; Beliſarius verò Romam reverſus, evocans Silverium ad Palatium, intentabat ei calumniam, quaſi Gothis ſcripſiſſet, ut Romam introiret. Fertur enim, Marcum quendam Scholaſticum & Julianum quendam prætorianum fictas de nomine Silverii compoſuiſſe literas Regi Gothorum ſcriptas, ex quibus convinceretur Silverius Romanam velle prodere civitatem. Secretò autem Beliſarius & ejus conjunx perſuadebant Silverio implere præceptum Auguſtæ, ut* TOLLERETUR CHALCEDONENSIS SYNODUS ET PER EPISTOLAM SUAM HÆRETICORUM FIRMARET FIDEM. . . . *Alia die Beliſarius convocatis Presbyteris & diaconibus & Clericis mandavit eis, ut alium ſibi Papam eligerent. Quibus dubitantibus & nonnullis renitentibus favore Beliſarii ordinatus eſt Vigilius. Silverius autem in exilium miſſus eſt in civitatem provinciæ Lyciæ, quæ Patara dicitur... Poſt ordinationem ergo ſuam compellebatur Vigilius à Beliſario implere promiſſionem ſuam, quam Auguſtæ promiſerat, ut ſibi redderet duo auri centenaria promiſſa. Vigilius autem timore Romanorum, & avaritia patrocinante, nolebat ſponſiones ſuas implere. Sed Silverio veniente Pataram, venerabilis Epiſcopus civitatis ipſius venit ad Imperatorem, & judicium DEI conteſtatus eſt de tantæ Sedis Epiſcopi expulſione: multos dicens eſſe in hoc mundo Reges, & non eſſe unum, ſicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam mundi totius à ſua Sede expulſus. Quem audiens Imperator, revocari Romam Silverius juſſit, & de literis illius judicium fieri: ut ſi approbaretur, ab ipſo fuiſſe ſcriptas, in quacunque civitate Epiſcopus degeret: ſi autem falſæ fuiſſent approbatæ, reſtitueretur Sedi ſuæ. Pelagius verò currens cum voluntate Auguſtæ, volebat irritum facere Imperatoris præceptum, ne Silverius Romam reverteretur; ſed prævalente Imperatoris juſſione, Silverius ad Italiam reverſus eſt. Cujus adventu territus Vigilius, ne Sede pelleretur, Beliſario mandavit: Trade mihi Silverium, alioquin non poſſum facere, quod à me exigis. Ita Silverius traditus eſt duobus Vigilii defenſoribus & ſervis ejus. Qui in Palmariam Inſulam adductus, ſub eorum cuſtodia defecit inedia. Vigilius autem per Antoninam Beliſarii conjugem implens promiſſionem ſuam, quam Auguſtæ fecerat, talem ſcripſit epiſtolam:* Dominis & Patribus Vigilius.

" Scio quidem, quia ad Sanctitatem veſtram antea fidei meæ credu-
" litas, DEO adjuvante, pervenit. Sed quia modò glorioſa filia
" mea Patritia Antonina Chriſtianiſſima deſideria mea facit impleri,
" quod fraternitati veſtræ præſentia ſcripta transmitterem: ſalutans
" ergo vos gratia, qua nos DEO noſtro Chriſto Salvatori con-
" jungimur, & *eam fidem, quam tenetis*, DEO adjuvante *& tenuiſſe*
" *& tenere* ſignifico; ſciens quia illud inter nos prædicamus & legi-
" mus, ut & anima una ſit, & cor unum in DEO. Profectûs mei,
" quia veſter eſt, DEO adjuvante, vobis gaudia maturavit ex meo
" animo, ſciens fraternitatem veſtram, quæ optat & libenter am-
" plecti. Oportet ergo, ut hæc, quæ vobis ſcribo, nullus agno-
" ſcat, ſed magis tanquam ſuſpectum hìc me ſapientia veſtra ante
" alios exiſtimet habere, ut poſſim hæc, quæ concepi, faciliùs
" operari & perficere. *Et ſubſcriptio*: Orate pro nobis DEum, mihi
" fratres in Chriſto Domino noſtro charitate conjuncti.

Sub hac, pergit Liberatus, *Epiſtola Vigilius fidem ſuam ſcripſit, & re-ſolvens Tomum Papæ Leonis ſic dixit*: " Nos non duas Naturas in Chri-
" ſto confitemur, ſed ex duabus naturis compoſitum DEum Fi-
" lium, unum Chriſtum, unum Dominum. *Et iterum*; Qui dicit
" in Chriſto duas formas, unaquaque agente cum ſua communione,
" & non confitetur unam perſonam, unam eſſentiam: anathema
" ſit. Qui dicit, quia hæc quidem miracula faciebat, hoc verò paſ-
" ſionibus ſuccumbebat, & non confitetur miracula & paſſiones
" unius ejusdémque, quas ſponte ſua ſuſtinuit carne nobis conſub-
" ſtantiali: anathema ſit. Qui dicit, quòd Chriſtus velut homo
" miſericordiâ dignus eſt: & non dicit, DEum Verbum & crúci-
" fixum eſſe, ut miſereatur nobis: anathema ſit. Anathematiza-
" mus ergo Paulum Samoſatenum, Dioſcorum, Theodorum &
" Theodoretum, & omnes qui ſtatuta eorum coluerunt. „ *Et hæc Vigilius ſcribens hæreticis occultè, permanſit ſedens. In quo impletum eſt illud teſtimonium, quod Salomon in Proverbiis dicit*: Edent viæ ſuæ fructus, & conſiliis ſuis ſaturabuntur. *Ab ipſa hæreſi afflictus, nec coronatus, qualem vitæ terminum ſuſcepit, notum eſt omnibus.*

N. 3. Hæc *Liberatus*: unde ſua veroſimiliùs hauſerit *Victor*, aut Victoris interpolator: niſi quòd iſte Liberati narrationem ſuccinctiùs contraxerit, & quæ Liberatus in variis Breviarii locis ſparſim aſſeruerat, hujus exſcriptor in unum locum congeſſerit, aliqua omiſerit, aliqua etiam addiderit. Sic *Liberatus* c. 24. ait: *hoc offendun-tur* (Eutychiani) *in Synodum Chalcedonenſem, quòd laudes ſuſceperit Theo-*

dori

dori Mopsveſteni Epiſcopi, epiſtolámque Ibæ, quæ per omnia Neſtoriana cognoſcitur, quam Synodus ipſa judicio ſuo pronuntiavit Orthodoxam. Cap. verò 10. inquit Liberatus: *Tunc Joannes Antiochenus Epiſcopus, Synodo congregata, tres pro Theodoro Mopsveſteno dictavit Epiſtolas: unam quidem direxit Theodoſio Imperatori, aliam autem Cyrillo Alexandrino, & tertiam Proclo CPolitano Epiſcopo, & ejus exponens ſapientiam. Ad hæc autem Imperator dirigens ſacram Joanni, derogatores illos Theodori contra ſalutem propriam venire judicavit. Cyrillus autem præſcripto ſuo* (reſcripto) *tale de ejus accuſatoribus tulit judicium, eoquòd dogmate veritati contrario uterentur, interponens de Symbolo in Concilio ſibi oblato teſſeradecadas factas à Cariſio presbytero. Nihilominus & Proclus per Mennam Diaconum ſuum reſcribens, cujus eſſent illa Capitula, quæ Theodori dicebantur, quæſivit. Qui* (Joannes) *pro ejus* (Theodori) *excuſatione ignorare ſe dixit. Veruntamen duas memorati Joannis Epiſtolas, id eſt, primam & tertiam, laudes Mopsveſteni continentes, Chalcedonenſis Synodus poſtea per relationem ſuam Marciano Imperatori directam cum Tomo Procli, quem ad Armenos direxit, & aliis Sanctorum Patrum Epiſtolis ſuſcepit & confirmavit.* Aſt Victor ad eundem Baſilii Conſulatûs annum ſecundum ita habet: *Theodoræ factione Auguſtæ, quæ occulta eſſe Synodi Chalcedonenſis nunquam deſtitit inimica, ex quo regnare cœpit, proſcriptionum inſidiæ præparantur. Sylverius Rom. Ep. exilio mittitur, & pro eo Vigilius ordinatur, à quo Theodora memorata Aug. priusquam ordinaretur, occulto chirographo elicuit, ut Papa effectus, in proſcriptione Synodi Chalcedonenſis tria Capitula condemnaret, id eſt, Epiſtolam Ibæ Edeſſeni Epiſcopi ad Marim Perſam, quæ judicio Synodi Chalcedonenſis approbata & orthodoxa judicata eſt, & geſtis ſynodalibus ſociata, Theodorum dein Mopsveſtenum Epiſcopum, ſynodaliter geſtis apud Antiochiam ſub Joanne Epiſcopo ejusdem Eccleſiæ, & Chalcedone laudatum, & Theodoreti Cyri Epiſcopi dicta, cum eodem Theodoreto Synodi Chalcedonenſis vocibus collaudata. Hic itaque Papa effectus* &c. ùt ſuprà num. 1. Conferat hæc Lector cum iis, quæ hìc num. 3. & num. 2. ex *Liberato* retulimus: quis non illico in Victore aut Victoris interpolatore ejusdem Liberati exſcriptorem atque Epitomatorem agnoſcat? Scipſit enim *Liberatus* ante Victorem, & ſcriptionem ſuam finiſt Anno 560. (ùt notat *Sollerius* T. V. Junij in Hiſt. Chronol. Patriarch. Alexand. p. 65. n. 343.: etſi contrarius ſit *Natalis Alex.* T. V. Hiſt. Eccleſ. p. 408. art. 6.) vel certè Theodoſio Alexandrino adhuc ſuperſtite ſcripſit; Ait enim de illo cap. 20. *Perſiſtente & nolente eo Chalcedonenſem ſuſcipere Synodum . . . foras civitatem regiam ſexto milliario in exilium miſſus eſt* . . . VIVITQUE USQUE NUNC. Victor autem de eodem Theodoſio jam demortuo ad Ju-

ſtini Junioris, necdum Auguſti, Conſulatum ita inquit: VIXIT *Theodoſius prædictus hæreticus uſque ad* PRIMUM *Juſtini junioris* AUGUSTI *Conſulatum*, qui juxta Sollerium l. c. n. 344. & Pagium T. II. Crit. ad a. 567. n. 1. & 2. incidit in annum Chriſti 567. Quare in præſente, de qua agimus, Controverſia pro Vigilianis ad hæreticos Præſules literis eadem omninò, certè non major, Victoris quàm Liberati, imò una eadémque (ſcilicet Liberati) auctoritas ſtabit, atque hic unus potiſſimùm meretur attendi, ex quo Chronici Victorini ſive auctor ſive depravator ſua mutuatus non immeritò creditur.

§. II.

Recentiorum de literis Vigilianis judicia.

n. 4. ET ſanè de Recentioribus Scriptoribus non defuêre, qui & Victoris & Liberati patrocinium ſuſciperent, & Eutychianam Vigilii Epiſtolam ùt genuinam ſatisque conteſtatam admitterent. Hos inter facilè locum principem tenent *Natalis Alex.* T. V. Hiſt. Eccleſ. Sec. V. cap. 3. §. VIII. p. 98. *Ant. Pagius* T. II. Crit. ad A. 538 à n. VII. ad n. X. quorum uterque Baronii in oppoſitum argumenta conatur refellere. His accedunt *Franc. Pagius*, Antonii nepos, & ejusdem plerumque exſcriptor, T. I. Breviarii Geſt. Pontif. p. 285. *Du-meſnilius* T. III. Doctr. & Diſcipl. Eccleſ. l. 28. n. 20. *Card. Gotti* in L. de vera Religione cap. X. §. IV. col. 1. p. m. 103., ubi Epiſtolam Vigilii, tanquam ſinceram, liberaliſſimè prorſus ſupponit. Diſſentiunt verò ab hiſce Auctoribus *Baronius* T. VII. Annal. ad A. 538. à num. XIV. ad n. XX. *Bellarminus* L. 4. de Rom. Pont. cap. 10. *Henricus Caniſius* in Præfat. ad Victoris Chronicon. *Gretſerus* T. VII. Operum p. 251. in Examine Pleſſæani Myſterii iniquitatis: *Nicolaus Alemannus* in Annotationibus ad caput I. Hiſtoriæ Arcanæ Procopii Cæſarienſis p. m. 342. col. 1. T. II. Hiſt. Byzant. Edit. Venet. *Du-Bail* T. I. Summæ Conciliorum p. m. 286. col. 2. *Labbeus* T. VI. Concil. Edit. Venet. p. 459. ex *Severino Binio*. Equidem haud me latet, quòd ſi etiam prætenſam Vigilii Epiſtolam ùt authenticam miniméque ſuppôſtam admitteremus, nullum inde Romanæ Sedi, Chriſtíque Vicario præjudicium poſſit creari; quandoquidem quidquid hic Vigilius ſcripſerat, adhuc pſeudo-Pontifex, errori utique hæreſique obnoxius, ſcripſit: utpote qui ab anno 537. & 538. (quo tempore hanc Epiſtolam exarari debuiſſe omnes concedunt)

cedunt) usque ad A. 540. sive usque ad Sylverii, legitimi violenterque extrusi Pontificis, obitum citra jus fásque occupaverat. Veruntamen cùm ad Historiæ veritatem ac puritatem quàm plurimùm referat, summos Præsules ac Principes à calumniis, temerè impactis, & vel maximè ab hæreseos nota, citra veri speciem affictâ, vindicari; suprà dictam Vigilii, ex Victore Tunnunensi & Liberato, Epistolam iterato paulóque prolixiori Examini hìc subijci peropportunum existimavi, tum ut Vigilii in fide eluceret integritas & calumnia dispelleretur, tum ne Victori & Liberato præceps adhiberetur assensus.

N. 5. Quatuor itaque *Baronius* conjecturas adducit, quibus hoc Epistolare figmentum confutet. I. quòd Vigilii adversarii, qui diversis temporibus eum impetiêre, eam illi Epistolam nunquam improperârint. Ast (respondet *Pagius* l. c.) neque etiam Vigilio improperârunt, quòd fuisset Schismaticus, Antipapa & Simoniacus: neque enim *Mennas*, neque Quintæ Synodi Patres, neque Justinianus Imp. quantumvis adversus Vigilium irritati hoc eidem objecêre. Noluêre nimirum ejus hostes, id, quod Pseudo-Pontifex gesserat, & verus Pontifex rescíderat, ei crimini vertere: vel denique metu Imperatoris ac Theodoræ Augustæ nemo id illi objecit. Præterquam quòd argumentum negativum, si cetera desint, minimè urget. Et quid mirum (inquit *Natalis Alex.* l. c.) ejusmodi silentium? latebat enim illa Epistola. . . Præterea, Vigilius spopondit ablaturum se è medio Synodum Chalcedonensem: quidni ergo duas naturas in Christo negaverit perfidus? Cur denique Liberatus, qui hac ipsâ floruit tempestate, non est subordoratus impostúram? Adde Facundum Hermianensem improperare Vigilio anathema dictum in universam Ecclesiam. Sic enim scribit lib. contra Mocianum: *Ob hoc etiam de ipsius Episcopi Romani chirographis, vel priùs ambitionis impulsu, cùm fieri arderet Episcopus; vel postea venalitate, parti alteri factis, necessarium duximus non tacere, ne auctoritate nominis ejus præjudicium fides vera sufferret. Quòd si hoc non fuisset, neque ipse priùs universam anathematizâsset Ecclesiam, servare nos in illo oportuit sententiam suam, sequi, quod nobis præbuit prisca integritatis exemplum.*

N. 6. Altera Baronii conjectura est, quòd ad *Dominos & Christos*, vel ad *Dominos & Patres* (prout in *Liberati* editionibus legitur) præter Romanorum Pontificum morem ea Epistola inscribátur: sive dein ad Episcopos sive ad Imperatores datam hanc Epistolam velis. Sed respondet *Pagius* cum *Natali*, falli in hac inscriptione Baronium: eam enim mendosam esse, genuinam verò in Victoris Chronico

(quod

(quod Baronius ſuo tempore nondum viderat) multò aliter legi. *Vide* ſuprà §. I. n. I. Ait Baronius *Tertiò*: quòd in hac Epiſtola anathema Vigilius dicat *Dioſcoro* cum aliis hæreticis, ac proinde contra ſe ipſum pugnet; qui duas cum Dioſcoro naturas apertè dicitur profiteri. Verùm & hanc Baronii conjecturam inanem pronunciat *Natalis*; qui enim, *inquit ipſe*, ordinem obſervaverit, quô illos hæreticos anathemate percellit Vigilius, facilè animadvertet, *Diodorum* aut *Neſtorium*, reſtituendum eſſe pro *Dioſcoro*. Et, ùt *Pagius* magìs explicat: poſt *Paulum Samoſatenum* nominari debuit *Diodorus Tarſenſis*, poſtea *Theodorus Mopsveſtenus*, tum *Theodoritus*; cum certum ſit, aliquot annis poſt *Theodori* mortem *Dioſcorum* hæreſim ſuam promulgâſſe. Denique IV. advertit Baronius, quòd Vigilii nomine ſcriptas ab hæreticis literas certò conſtet ex Actione XV. Synodi Sextæ, in qua hæc habentur: *Anathema libro, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, & qui eum finxerunt, ſive ſcripſerunt. Anathema libellis, qui dicuntur facti fuiſſe à Vigilio ad Juſtinianum & Theodoram divæ memoriæ, & qui ſunt demonſtrati.* Aſt falſo hìc ſuppoſito Baronius nititur; Libelli enim (ùt Pagius atque Natalis reponunt) Vigilii nomine ſcripti ad Juſtinianum & Theodoram, neutiquam iidem ſunt cum hacce Epiſtola, quæ ad *Theodoſium*, *Anthemium*, & *Severum* Epiſcopos data eſt: ùt ipſa apud Victorem ſincerior inſcriptio docet. *Ita* quidem *Pagius* & *Natalis*, qui opinione ſuâ Baronium (cujus argumenta etiam amplexi ſunt *Caniſius*, *Severinus Binius*, & *Du Bail*) leviſſimo brachio debellârunt, adeò, ut de Vigilianæ Epiſtolæ veritate nullum dubitandi locum jam ſupereſſe Pagius exiſtimârit. Credideſim tamen, quòd ſi Pagii & Natalis temporibus ſuperſtes fuiſſet Baronius, tam perfunctoria utriusque reſponſa, quàm Epiſtolam ipſam aliquantò magìs is triturâſſet, & procul dubio meriſſimum furfur & rus in illa deprehendiſſet.

§. III.

Diſcutiuntur Pagii & Natalis adverſus Baronium reſponſa.

n. 7. TAmetſi enim ultimam Baronii conjecturam nihil habere roboris, cum Pagio & Natali ultro concedam: attamen enervandis ceteris falſitatis & ſuppoſitionis indiciis Baronianis ambo haud ſatisfecêre. Nam ad hoc ut utriusque, ad ſecundam & tertiam

tiam Baronii conjecturam, reſponſionibus momenti quidpiam ineſſe poſſet, idoneis ante omnia argumentis aliunde oportebat oſtendi, quòd & Eutychianam hujusmodi Epiſtolam ad damnatos Præſules reipſa ſcripſerit Vigilius, & tam Liberatus, quàm Victor nos minimè deceperint, aut ipſimet à Vigilii hoſtibus decepti non fuerint, aut denique eorum ſcripta à malevolis vel imperitis tranſcriptoribus nihil interpolationis atque additamenti acceperint. Hoc ubi aliquando rite fuiſſet oſtenſum: tum enimverò licebat concludere, ſinceriorem eſſe Epiſtolæ inſcriptionem, quæ apud Victorem, quàm quæ apud Liberatum legitur: nomen item *Dioſcori* per librarii & graphionis imperitiam (cui fortè character antiquior minùs legibilis, & *Dioſcorus* notior erat, quàm *Diodorus*) perperam in Liberati apographum irrepſiſſe. Aſt undenam legitimè conſtat, aut conſtare poterit, quòd vera ſcripſerint Liberatus & Victor? quòd neque ipſi deceperint, neque ab aliis decepti, neque fuerint interpolati? Aut ubinam alius *Liberati* Codex atque exemplar poteſt expromi, in quo alia Epiſtolæ inſcriptio, aliud pro *Dioſcoro* nomen? Nunquid geminatum quà imperitiæ quà contradictionis ſpecimen apertiſſimum Totius Epiſtolæ non à Vigilio, ſed ab impoſtore malè conſarcinatæ figmentum eo uſque ſat indicat, donec firmiora pro ſinceritate Epiſtolæ argumenta aliunde promantur? nunquid multò rectiùs ſuſpicari fas erit, quòd aut Victor, qui poſt Liberatum ſcripſit & veroſimiliùs eundem exſcripſit: aut Victoris tranſcriptor poſterior, fortè *Hiſpanus*, utrumque Vigilianæ Epiſtolæ errorem craſſiſſimum in Liberati Breviario advertens, inſcriptionem ex aliis Pontificum literis emendârit, anathema verò Epiſtolæ Vigilianæ ſubnexum penitus prætermiſerit? Dixi, fortè *Hiſpanus;* nam & in Toletana apud Hiſpanos Bibliotheca Victoris Chronicon noſter Andreas Schottus primò detexerat, & ex eadem Hiſpania inter ceteras Iſidori Mercatoris quisquilias etiam Sylverii ad Vigilium Epiſtola latáque per eandem anathematis ſententia ad nos pervenit; quam tamen non minùs, atque ejusdem Sylverii ad Amatorem Auguſtodunenſem Epiſcopum, & hujus ad Sylverium Epiſtolam pſeudepigraphan & commentitiam eſſe, communis hodie Criticorum conſenſio tenet. Vid. *Pagius* T. II. Crit. ad A. 539. n. 3. & 4. *Nat. Alex*, T. V. Hiſt. Eccl. Sec. VI. cap. II. Art. VIII. col. 2. p. 377. *Labbeus* T. V. Concil. à col. 1269. ad 1272. Edit. Venet. *Severinus Binius* apud eundem Labbeum loc. cit. *Du Meſnil* T. III. Doctr. & Diſcip. Eccl. p. 230. n. 20. ad A. 537. & 538. *Graveſon.* P. I. Hiſt. Eccl. Tomo II. Colloq. IV. p. m. 113. col. 2. Edit. Venet. *Papebrochius* in Propyl. Maij ſive Co-

natu Chronico-Hiſtorico ad Catalogos Pontif. Diſſert. XIII. de S. Sylverio p. 81. col. 2. *Franc. Pagius* T. I. Breviar. Geſt. Pontif. p. 286. 287. & ipſe *Baronius* quoad Sylverii ad Amatorem literas.

N. 8. Sed neque firmiora ſunt tela, quæ adverſus primum Baronii argumentum Pagius & Natalis intorquent atque retorquent. Valet enim, & quàm plurimùm valet commune omnium, Eutychianam hæreſin Epiſtolámque Vigilio nunquam objectantium, ſilentium: & inepta prorſus videntur, quæ hîc regerunt Anti-Baroniani. Quomodo enim *Theodora* (cujus operâ & data ad Beliſarium juſſione) Quomodo *Juſtinianus* (cujus ſaltem conniventiâ & in conjugem ſtudiô Vigilius in Pontificatum irrepſit) Quomodo *Mennas* Patriarcha CPolitanus (qui Imperatoria pro Vigilii Pontificatu molimina quàm optimè noverat) Quomodo demum Africani Præſules (qui & ipſi tum Cæſareos in Vigilium adhuc pſeudo-Pontificem favores, tum abolitam poſtmodum per Sylverii obitum pſeudo-Pontificis notam ignorare non poterant, imò ùt legitimum deinceps Pontificem ipſimet agnoverant) Quomodo, inquam, hi omnes Vigilio ſive Schiſmatici, ſive Anti-Papæ, ſive Simoniaci crimen tutò poterant improperare, quin ſimul ipſimet aut proprium ſui nominis opprobrium palàm manifeſtarent, qui Vigilium antehac promoviſſent: aut ſummum Imperialis offenſæ diſcrimen incurrerent, *qui* ſua hac exprobratione non modò Vigilium per Cæſares promotum aut toleratum, ſed & in Vigilio Imperatores ipſos, ejusdem Patronos, apertè vellicâſſent? Demus jam Natali Alexandro, quòd Epiſtola illa aliquamdiu *latuerit Cæſarem*, latuerit *Mennam*, latuerit nonnullos Africæ Præſules. Num verò latere potuit *Theodoram* Auguſtam, cujus hortatu & juſſu Vigilius ſcripſiſſe dicitur? Num latuit *Anthimum*, num *Severum*, num *Theodoſium*, ad quos Epiſtolam ſuam deſtinavit Vigilius? Quòd ſi verò iſtos non latuit, cur Eutychianas Vigilii literas (etſi aliquamdiu ex ipſius Epiſtolæ præſcripto illas occultaverint) nunquam in apricum produxêre? Conſtat certè ex Vigilii ad Mennam Epiſtola, Anno 540. ſcripta & ipſius etiam *Dominici*, Domeſticorum Comitis, exconſulis & Patricii chirographo ſubſignata, quòd non modò Mennæ adverſus hæreticos Acta ſummè laudârit Vigilius, ſed & ipſemet nominatim *Severum*, *Anthimum*, *Theodoſium*, tanquam hæreticos Eutychianos condemnârit, ac Oecumenicam Synodum Chalcedonenſem apertè confirmârit. Quis verò jam ambigat, has ipſas Vigilii literas à Menna per Orientem fuiſſe vulgatas, ut non modò de Orientis & Occidentis in fide conſenſu, ſed & de iis, quæ adverſus Patriarchas Eutychianos ipſe Mennas rite egiſſet, palam

palàm omnibus innoteſcére poſſet? nunquid autem hoc idem fuerat, atque claſſicum cani, ut ſuo tandem ab exilio prorumperent illi hæretici, & Vigilii ſchediaſma hæreticum, ſi quod uſpiam extitiſſet, nunc ſaltem ſuis è tenebris protraherent: ad Theodoræ, complicis ſuæ, imò & ad Mennæ atque Juſtiniani aures querimonias ſuas deferrent: Vigilium ſuomet chirographo impugnarent, & adverſus illum, à quo ſe unà cum Theodora turpiſſimè deluſos cognoverant, novas turbas novósque tumultus concitarent, ut vel ipſe, ùt perfidus, aut ſimiliter in fide ſuſpectus, ſua è ſede deturbaretur, vel certè illius auctoritas penitus ſubverteretur? Aſt horum quidpiam ab hiſce hæreticis, & maximè à Theodoſio per 20. adhuc annos ſuperſtite & ſexto duntaxat à CPolitana Urbe milliario in exilium miſſo, actitatum fuiſſe nec Liberatus, nec Victor, neque alius in Oriente aut Occidente ſcriptor ſynchronus vel literulâ prodidêre. Quod ſanè univerſale Scriptorum, alia non diſſimulantium, ſilentium quid aliud indicat, quàm prætenſam Vigilii Epiſtolam inter alterius Eutychiani impoſtoris commenta eſſe connumerandum, nec niſi poſt Vigilii obitum (ut mortuo faciliùs poſſet inſultari) per clancularias adverſariorum manus circumvolitâſſe?

N. 9. Præterea ſi etiam quospiam, de quamplurimis, Africæ Antiſtites hæc Epiſtola latuit: num latuit *omnes*? Non latuit ea *Liberatum*, Carthaginenſem Diaconum, ſcriptorem ſynchronum: non latuit *Victorem*, Tunnunenſem Epiſcopum, *Africanum* utrumque: ùt ipſimet Anti-Baroniani diffiteri non poſſunt; nam ab hiſce duobus eæ Vigilii literæ ad poſteritatem transmiſſæ conſervatæque creduntur. Aſt ſi Liberatum atque Victorem iſtud Vigilii ſcriptum non latuit: quis compluribus aliis aut omnino plerisque Africæ Præſulibus illud cognitum atque tralatitia manu communicátum fuiſſe addubitet? Communis erat omnium cauſa: eodem in Vigilium odio ardebant omnes: Solemne etiam, ſi *Victori* ad decimum & tertium ſeptimum Conſulatûs Baſilii annum ſit fides, anathema Vigilio, legitimo quantumvis ſummóque Pontifici, dicere non formidárunt, poſtquam ille Quintam Synodum Oecumenicam ſuæ Vocis & Conſtituti acceſſione conſolidárat, & tria Capitula palàm proſcripſerat: rati videlicet, per hoc Vigilii Conſtitutum ipſam Synodum Chalcedonenſem everſam, & cum hac Univerſam Eccleſiam anathemati fuiſſe ſubjectam, prout *Facundus* Hermianenſis (quem ſuprà num. 5. allegavimus, & Natalis Alexander ad Vigilianæ Epiſtolæ, de qua agimus, ſinceritatem commonſtrandam ineptiſſimè profectò traxit atque detorſit) luculenter teſtatur & criminatur. Jam

verò quis ſibi facilè perſuadeat, Africanos Epiſcopos (qui vel ob ſola 3. Capitula Vigilium ùt Chalcedonenſis Synodi prævaricatorem palàm execrabantur) multò magis tale, quale Liberatus & Victor recenſent, Vigilii ſchedion in medium non fuiſſe prolaturos, neque per Africam & Orientem ebuccinaturos? tum quòd ipſa hæc ſyngrapha indubitatum contra Vigilium teſtimonium diceret, eúmque Chalcedonenſis Synodi hoſtem & hæreticum Eutychianum multò luculentiùs demonſtraret: tum ut ſuam, qui pro tribus Capitulis eadémque Chalcedonenſi Synodo hactenus contra Vigilium & Synodum Quintam ſtetiſſent, cauſam ſententiámque magis ſpecioſam aut tolerabilem redderent: tum denique ne ex Vigilii ſcriptis roboris quidpiam Quintæ Synodo accedere poſſet, utpote qui nunc frigidum, nunc calidum eructaret, & in Cæſaris fortè gratiam dignitatísque amittendæ metu perſonatum ſolummodo orthodoxum palam ſe gereret, reipſa tamen Eutychianus & Synodi Chalcedonenſis everſor exiſtere, propria ſua manu, poſſet convinci. Quare cùm nihil ſimile ab Africæ Epiſcopis factum, nihil Eutychianæ Epiſtolæ ab his Vigilio unquam improperatum legatur: nunquid æquus arbiter meritiſſimo jure arguere poſſit, eam Epiſtolam tum quidem Africanis prorſus incognitam, à Monothelitis recenter conſutam, poſt Vigilii fata primùm protractam, dein ob commune in Vigilium odium (etſi diverſa fuerit odientium ratio) etiam ad Africanos transmiſſam, ab his pro nimia credulitate (prout nempe odium perinde, ac amor, res credula eſt) ùt legitimam mercem admiſſam, ac demum in Liberati Breviarium & Victoris Chronicon absque debito falſitatis examine fuiſſe translatam?

N. 10. Atque hæc, quæ præced. num. 8. & 9. paulò prolixiùs retulimus, paucîs ita contrahi poſſunt. Vel vivente adhuc Vigilio Monothelitis Eutychianis & Epiſcopis Africanis cognita fuit ea Epiſtola, de qua diſputamus? vel primùm poſt Vigilii deceſſum? Si *primum:* cur neque Monothelitæ à Vigilio deluſi damnátíque, cur neque Africani Antiſtites, eorúmque complices Itali atque Illyrici adverſus Vigilium irritati, ejusmodi ſcriptum in rem ſuam & ad conflandam Vigilio invidiam unquam produxêre? Si *ſecundum*: quis non alienam conſarcinatoris fraudem atque perfidiam hìc ſuſpicetur? Certè quemadmodum libellus quispiam Mennæ ad Vigilium, Vigilii quoque, libelli ad Imperatores, tanquam ab impoſtoribus adulterati ſuppôſtíque in ipſo primùm Concilio Oecumenico VI. ſive poſt centum annorum ſpatium fuêre detecti atque rejecti: ita & graviſſima falſi atque impoſturæ ſuſpicio in Eutychianam Vigilii ad Monothelitas

thelitas Epiſtolam cadit, utpote de qua ante Liberatum & Victorem (quorum uterque primùm poſt Vigilii deceſſum ſive poſt annum 555. ſcripſit) nemo Scriptorum domeſticorum & contemporaneorum ſive in Oriente ſive in Occidente quidquam in literas miſit.

§. IV.

Expenditur Liberati & Victoris auctoritas.

n. 11. ET quæ denique in re præſenti tam Liberati quàm Victoris auctoritas erit, etſi ipſosmet (de quo tamen non immeritò dubitare licebit) abſonam illam Epiſtolam lucubrationibus ſuis jam primitus inſeruiſſe concedam? Quòd ſi enim in aliis ambo fuêre decepti: quidnî & hìc deceptioni obnoxios fuiſſe exiſtimemus? Sic I. Aſſerunt ambo (Vide ſuprà num. 3.) quòd Synodus Chalcedonenſis tria Capitula tanquam *orthodoxa* pronunciaverit. Aſt falſiſſimum eſſe iſtud aſſertum demonſtravit *Baronius* T. V. annal. ad A. 435. & poſt Baronium quàm plurimi alii, ùt *Natalis Alexander* T. V. Hiſt. Eccl. *Ant. Pagius* T. II. Crit. *Fr. Pagius* T. I. Breviarii Geſt. Pontif. *Chriſtianus Lupus* in Scholiis ad V. Oecum. Synodum. *Severinus Binius* in notis apud *Labbeum* T. VI. Concil. col. 458. 459. II. orthodoxos Armeniæ Monachos, Theodori Mopsveſteni Scripta inſectantes, pro more Neſtorianorum *Apollinariſtas* vocat Liberatus cap. 10. *Vid. Binius* l. c. III. de Silverio ſcribit Liberatus c. 22. *Silverium* Pontificem *duobus Vigilii defenſoribus & ſervis ejus traditum*, dein *in Palmariam Inſulam adductum*, *ſub eorum cuſtodia defeciſſe inediâ*. Aſt *Procopius* Cæſarienſis, qui cum Beliſario & Antonina Beliſarii conjuge in Italia velut individuus itinerum comes, rerúmque geſtarum oculatiſſimus teſtis tum temporis degebat, non Vigilium nec Vigilii ſervos, ſed ipſam *Antoninam* Silverianæ necis artificem facit: cujus juſſu *Eugenius*, ejusdem Antoninæ famulus & atrociſſimi ſceleris ſatelles, violenta morte Silverium è medio ſuſtulerit: ídque eodem cap. 1. Hiſtoriæ Arcanæ duobus in locis apertè teſtatur; cujus teſtimonium tantò minùs poteſt eſſe ſuſpectum, quantò magìs ille Antoninæ domeſticus, ejusdémque geſtis vicinior fuit, quàm remotiſſimus in Africa Liberatus, mendaciſſimo rumore ſeductus. Vid. *Nicolaus Alemannus* in notis ad dictum Procopii locum. IV. Ait *Liberatus* eodem cap. 22. quòd non ſolùm Vigilio Theodora Auguſta,

guſta, ſed & Beliſarius & Antonina Silverio Synodi Chalcedonenſis abrogationem dandámque ad hæreticos Epiſtolam, cum eorum dogmate conſentientem, velut ex Theodoræ præcepto, ſuggeſſerint. Aſt *Liber Pontificalis* in *Silverii* geſtis nihil de abroganda Synodo Chalcedonenſi, nihil de Eutychianis ad hæreticos Præſules literis exarandis, ſed de ſola exauctorati *Anthimi reſtitutione*, jam à Vigilio Imperatrici promiſſa, & ab hac deinde etiam Silverio, jam in Pontificem ante Vigilii adventum ordinato, per literas imperata meminêre. Utríne verò potior habenda ſit fides? num Liberato, Scriptori extero, in Africa longè poſito, Vigilii adverſario? an Scriptori Romano, teſti domeſtico, coævo, fors etiam oculato? Nam Silverii geſta à contemporaneo Scriptore fuiſſe conſcripta, ex hiſce verbis ſat intelligimus: *Eodem tempore tanta fames fuit per univerſum mundum, ut* DATIUS (Sylverio ſynchronus) *Epiſcopus Civitatis Mediolanenſis* RELATIONE SUA HOC EVIDENTER NARRAVERIT, *quòd in partibus Liguriæ* &c. Sed & ejusdem Libri Pontificalis Auctor in geſtis *Vigilii* non de alia re, quàm de Anthimi reſtitutione, Vigilio demandata, teſtatur. Et quomodo Theodoram Auguſtam eo uſque audaciæ progreſſam arbitremur, ut Chalcedonenſem Synodum publica Romani Pontificis ſanctione tolli, & hæreticorum dogmata Pontificiis literis firmari poſtulârit? Theodoram, inquam, quæ ipſo Liberato teſte c. 20. etiam Theodoſio Alexandrino perſuadere ſategerat, *ut Synodum Chalcedonenſem ſuſciperet*, cúmque ille pervicaciter iſtud renueret, in ejus denique exilium etiam *ipſa* conſenſerat? Theodoram, quæ quàm optimè noverat, quanta contentione non modò Romani Pontifices & tam Occidens quàm Oriens orthodoxus, ſed & ipſe maritus Auguſtus Juſtinianus in eum uſque diem Synodum Chalcedonenſem propugnârint, & refractarios Patriarchas atque Epiſcopos ſuis è ſedibus deturbatos in exilium uſque ejecerint? Theodoram, quæ facilè præſentiſcere poterat, quantas turbas hæc inſolita Chalcedonenſis Synodi proſcriptio publica apud Latinos æquè ac Græcos foret concitatura, in ipſius haud dubiè Vigilii & incentricis Auguſtæ caput redundaturas? Abſit itaque, ut Theodoram, quantumvis protervam, callidam tamen ſuisque rebus intentiſſimam (prout eandem pluribus in locis deſcribit Procopius) adeò ſui improvidam fuiſſe fingamus, ut publicam Synodi Chalcedonenſis damnationem ſeu Silverio ſeu Vigilio imperare præſumpſerit. Falſis verò rumoribus (quales in longinquum ſæpiſſimè pertingere ſolent) Liberatum deceptum, aut certè à ſubleſta alterius manu illius Breviarium poſteriùs adulteratum fuiſſe, quis porro

nega-

negaverit? V. Ut Simoniacum quoque Vigilium faceret Liberatus, addit l. c. *duo* etiam *auri centenaria*, ſciente & conſentiente Theodora, Beliſario à Vigilio fuiſſe promiſſa, ſi remoto Silverio in hujus locum ſufficeretur. Aſt neque Silverii neque Vigilii geſta in Libro Pontificali Uſurpatoris Simoniaci labem Vigilio aſpergunt: etſi alia ipſius crimina (quorum tamen aliqua falsò afficta videntur) eidem imputata recenſeantur. Unde profectò ſuſpicio ſuboriri nonnemini poſſit, an non fama mendax, & Liberati deceptor, aut interpolator, id, quod de *Joanne* II., vulgò *Machiota* aut *Nicæota*, Patriarcha Alexandrino narratur, ad Vigilium, jam aliàs Africanis & Eutychianis exoſum, mala fide tranſtulerit. Nam hic Joannes *ducentas auri libras*, ſive duo auri Centenaria, *Imperatori* (Anaſtaſio) *ſe daturum pollicitus* fuerat: *ſi modò celebratam Chalcedone Synodum funditus abrogaret.* Vid. *Theophanes* ad A. DX. *Sollerius* T. V. Junij in Hiſt. Chronol. Patr. Alex. p. 62. n. 324. VI. de eodem Vigilio (ùt ſuprà ad calcem numeri ſecundi jam attigimus) inquit Liberatus: *Ab ipſa hæreſi* AFFLICTUS *Vigilius, nec coronatus, qualem vitæ terminum ſuſcepit, notum eſt omnibus.* Hac ſcilicet loquendi ratione Liberatus tacitè Lectori perſuadere conatur, in hæreſeos pœnam Vigilium ignominioſo mortis genere fuiſſe ſublatum. At ex calculi doloribus, haud utique inſolito morbi genere, Vigilium deceſſiſſe, Liber Pontificalis affirmat. Imò & hic ipſe locus ſuſpectum Liberati Breviarium reddit, an non alius ipſummet Librum Pontificalem præ manibus habuerit, & quæpiam de ſuo addens, Liberatum corruperit. Nam & Acta Pontificalia aſſerunt: *Vigilius* AFFLICTUS, *calculi dolorem habens, mortuus eſt.* VII. iniquiſſimum prorſus erga *Pelagium*, Diaconum Romanum, & primò Agapiti, dein Vigilii in Oriente Apocriſiarium, ſeſe exhibet *Liberatus* cap. 23., & 24. utpote per quem *ſcandalum*, ob *Origenem* illius operâ hortatúque damnatum, *in Eccleſiam fuiſſe ingreſſum* mendaciſſimè ſcribit. Ceteros Liberati nævos hìc prætermitto. VIII. Præter ea, quæ jam p. 510. 511. num. 2. 3. de *Victoris* Chronico obſervavimus, alieniſſimum omnino à vero eſt, quod *Victor* ad Juſtini, nondum Auguſti, Conſulatum ſcripſit: *Agapitus Archiep. Rom. CPolim venit, & Anthemium Ep. CP. Eccleſiæ perverſorem, Chalcedonenſis Synodi inimicum deponit.* THEODORAM AUGUSTAM, EJUS PATRONAM, COMMUNIONE PRIVAT, & *Mennam protinus CPolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum facit.* Nam, quæ de Theodora Auguſta hìc narrat Victor, pinguem fabulam ſapere oſtenditur *primò* non modò ex ipſius Liberati & Libri Pontificalis, ſed & omnium aliorum tam Græcorum quàm Latinorum Scriptorum ſilentio,

lentio. *Secundò*: ipſe *Agapitus* in Epiſtola ad *Petrum* Jeroſolymitanum de exauctoratione Anthimi & ſubrogatione Mennæ teſtatur, quòd novo Præſuli Mennæ *etiam Sereniſſimorum Imperatorum* (Juſtiniani ſcilicet & Theodoræ) *electio arriſerit.* Vid. *T. V. Concil. apud Labb.* col. 1011. Edit. Venetæ, Actione I. Concil. CPolit. ſub Menna. Quomodo autem hæc Electio arridere potuit Auguſtæ, ſi adhuc pro Anthimo ſtetit, & Eccleſiaſticis diris eapropter fuit addicta, aut à communione repulſa? *Tertiò*: an tam improvidum fingemus Agapitum, ut intempeſtivum fulmen primus ipſe in Auguſtum caput vibraret, & ipſius Cæſaris, uxoris ſuæ ſtudioſiſſimi, irritandi manifeſto diſcrimini ſe unà atque Orientis res Eccleſiaſticas exponeret? Atque hæc, quæ de diverſis tam Liberati quàm Victoris falſitatibus excerpi placuit, ſatìs ſufficient, ut & Eutychianam Vigilii Epiſtolam inter ſpuriæ originis ſcripta detrudamus: utqote quam nemo Vigilio objecit, nemo alius meminit (ſolis autem duobus Africanis, infenſiſſimis Vigilii hoſtibus, toties alibi lapſis, aut interpolatis quis credere poſſit?) imò quam ipſe Vigilius ſat luculenter impoſturæ convicit;

§. V.

Referuntur cetera impoſturæ indicia.

n. 12. VOlvantur enim & revolvantur complures Vigilii Epiſtolæ, tam ab intruſo quàm à legitimo Pontifice ſcriptæ, quæ à Criticis ùt genuinæ habentur, & in Tomis Conciliorum apud Labbeum & Harduinum ſunt editæ; comparentur dein illæ cum ea, quam ſeu verus ſeu ſuppoſititius Liberatus & Victor exhibent: conſtabit enimverò, quantum Vigilius à Pſeudo-Vigilio diſcrepet. Tam enim inſulſus, obſcurus, affectatus, hiulcus, ſemi-barbarus atqne ſine ulla temporis nota vagus eſt ſtylus in Epiſtola Eutychiana, ut, ſi cum ceteris conferatur, non ex Vigilii, multò terſiùs, ordinatiùs, atque diſtinctiùs ſcribentis, ſed ex imperiti cujusdam tenebrionis figlina productam quivis non obſcurè ſit judicaturus. Dein in hac ipſa pſeudepigrapha Epiſtola ita ad Eutychianos Præſules ſcribere fingitur Vigilius: *eam fidem, quam tenetis, DEO jubente,* & TENUISSE ME ET TENERE *ſignifico.* Audiatur verò jam ipſe Vigilius in Epiſtola, ſeu potiùs *profeſſione Fidei*, quam poſt Silverii obitum ad Juſtinianum Imperatorem ille transmiſerat. In hac, poſtquam

quam Severum, Anthimum, Theodoſium, Dioſcorum, tanquam hæreticos, condemnaverat: poſtquam Nicænam, CPolitanam, Epheſinam, & Chalcedonenſem Synodum ſe libenter amplecti iterúmque ſua auctoritate firmatam velle declaraverat: poſtquam orthodoxas Leonis M. Epiſtolas ſua pariter conſenſione comprobârat, atque ita fidei ſuæ rationem copiosè reddiderat, hæc demum ſubjungit: *Rationem his igitur (prout Chriſtianitatis veſtræ meritum poſtulabat) in quantum valuimus, reddidiſſe ſufficiat; quamvis* NOS NIHIL CONTRA SYNODALIA, VEL PRÆDECESSORUM NOSTRORUM PRÆSULUM SEDIS APOSTOLICÆ CONSTITUTA, AUT COMMISISSE ALIQUID, AUT TENTASSE, *quisquam*, LICET ASTUTUS ET SUBTILIS, *inveniet.* Quî verò fieri potuit, ut *nihil* à ſe *commiſſum*, *nihil* contra Synodorum aut Pontificum conſtituta *tentatum*, tam audacter & confidenter aſſeverârit Vigilius, ſi jam antea *eandem cum hæreticis* Patriarchis *fidem ſe tenuiſſe atque tenere* ſcriptitârat? An neque Theodora Auguſta, neque Severus, Anthimus, ac Theodoſius (à quibus modò defecerat Vigilius) tam *aſtuti* atque *ſubtiles*, fuêre, ut Vigilium proprio ex chirographo ſuo palmaris mendacii reum palàm convincere poſſent? An timere non debuit Vigilius, ne ad ultionem ſe verteret hæreticorum aſtutia, & anathema, recenter iis inflictum, ipſiusmet Epiſtolæ hæreticæ, ab eo datæ, publicatione ulciſcerentur, ſi quidem aliquando eam dediſſet? Nonne potiùs ipſa prudentiæ ratio poſtulaverat, ut in hoc ipſo, quod ad Juſtinianum deſtinaverat, publico fidei ſuæ inſtrumento id omne retractaret atque irritum redderet Vigilius, quod antea clanculum ad hæterodoxos Antiſtites ùt dogmatis illorum conſors atque Patronus exarâſſet: ne alioquin tam in Romanæ Sedis quàm Chalcedonenſis Synodi injuriam atque contemptum privatô ſuô, ùtùt adhuc pſeudo-Pontificis, ſcriptô ullatenus hæretici poſſent abuti. Certè idem Vigilius tam in Epiſtola ſua decretali, quâ ſub annum 553. Synodum quintam confirmârat, quàm in Conſtituto, quod anno 554. emiſerat, ea omnia exertè revocat, & ſuo robore privat, quæ antehac pro tribus Capitulis, non damnandis, ſcripſiſſet. Nunquid multò certiùs idem facturus erat Vigilius, ſi ejusdem, quæ circumfertur, Epiſtola foret, tantò utique futura nocentior, quantò apertiùs fuiſſet hæretica? Hoc cùm non fecerit Vigilius, ſimúlque contra Synodos aut Conſtituta Pontificum nihil à ſe actitatum aut tentatum fuiſſe, rotunde pronuntiet: totum Epiſtolare commentum animo præjudiciis libero manifeſtum ſe facit, dicendúmque omnino erit, quòd quemadmodum pluribus ejusdem ævi Pontifici-

bus v. g. Silverio, Vigilio, Pelagio, aliæ Epiſtolæ fuerunt ſuppoſitæ, ita & hæc ipſa, de qua hactenus egimus, ſcriptiuncula hæretica Vigilio penitus ſit abjudicanda, atque hac in parte tam Liberati quàm Victoris auctoritas, prout nunc editi extant, jure merito ſit repudianda. *Vid. Labb.* T. VI. Concil. Edit. Venet. col. 246. in *Decretali Epiſtola* Vigilii ſub finem: & col. 310. n. 28. ſub finem *Conſtituti.*

S. VICTOR VITENSIS. S. VICTOR, VITENSIS in Byzacena (non *Ulticenſis* prout in Martyrologio Romano ad 23. Aug. legitur, in Proconſulari ſive Carthaginenſi Africæ Provincia) Epiſcopus ſanctitate illuſtris ſcripſit *tres Libros de Perſecutione Vandalica ſub Genſerico & Hunerico crudeliſſimis Vandalorum Regibus*: quos primus excudit *Coloniæ* A. 1537. Reinhardus Lorichius Hadamarius. Recuſi dein fuëre *primò* Baſileæ A. 1539. poſt Euſebii & Ruffini Eccleſiaſticam ac Caſſiodori Tripartitam Hiſtoriam. *Secundò* in Hiſtoria Veterum PP. per Laurentium Barræum. *Tertiò* in Bibliotheca PP. per Margarinum Bignæum edita Pariſiis A. 1610. *Quartò* in Bibliotheca PP. editionis Colon. *Quintò* per Sirmondum noſtrum, qui editionem Lorichii ad MSS. Codicum fidem exactam, multis in locis caſtigavit. *Sextò* per Petrum Franciſcum Chiffletium noſtrum Divione A. 1664. unà cum Elucidationibus ad hanc Hiſtoriam. *Septimò* per Theodoricum Ruinartium Pariſiis A. 1694. unà cum Notis; quam editionem ceteris accuratiorem ſequitur *Limpenus* T. II. Sept. in Comm. præv. ad Acta VII. Confeſſorum & Epp. Africæ p. 677. n. 2. Primus autem, qui hunc Victorem, Vandalicæ perſecutionis Scriptorem, *Ulticenſem* Epiſcopum compellârit, atque alios cum Baronio & poſt Baronium in errorem induxerit, fuiſſe videtur is ipſe Lorichius, de quo antè; aſt errorem hunc confutârunt *Cuperus* T. IV. Aug. à p. 628. de S. Victore Vitenſi: *Ruinartius*, & *Chiffletius* in ſuis annotationibus ad Victorem: *Lucas Holſtenius* in Animadverſionibus ad Martyrologium Romanum: *Pagius* T. II. Crit. ad A. 484. n. 21. 28. Porro *Sanctitatis* titulum huic Victori jure optimo vindicavit *Cuperus* l. c. idémque affirmavit *Tillemontius* T. 16. Monum. Eccleſ. p. 598. *Hiſtoriæ* verò, quam *Victor* edidit, fidem & auctoritatem ipſa maximè Scriptoris ætas commendat, quia ſynchronus fuit, multarúmque rerum teſtis occulatus. *Limpenus* noſter l. c. Hiſtoriam iſthanc *piè fidelitérque conſcriptam* aſſerit, imò *Aureum S. Victoris Opus* compellat. Similiter *Tillemontius* l. c. impensè laudat Victoris Opus, in quo pietas Auctoris, fervor Catholicæ fideì, aliæque Virtutes eluceant. Tillemontii judi-

judicium hìc ſequitur *Cuperus* l. c. n. 4. *Tempus* denique, quo ſcripſerit, ipſe Victor ſat indicat. *Sexageſimus*, inquit, *nunc agitur annus, ex quo populus ille crudelis ac ſævus Vandalicæ Gentis Africæ miſerâbilis attigit fines, tranſvadens facili tranſitu per anguſtias maris* &c. Anno proin 487. ſcripſiſſe Victor videtur, ùt obſervant *Ruinartius* & *Chiffletius* l. c. *Cuperus* T. III. Julij p. 497. lit. f. in notis & T. IV. Aug. p. 632. n. 21. *Limpenus* l. c. p. 630. *Labbeus* T. II. de Script. Eccl. p. m. 465. Contrà *Pagius* hujus lucubrationis Epocham cum anno 488. aut 89. connectit, eoquòd Vandalorum in Africam ingreſſum ipſe in annum 429. diſtulerit: quem tamen Ruinartius atque Chiffletius anno 427. affigunt. Vid. *Pagius* T. II. Crit. ad a. 428. à n. 2. ad n. 7. & ad A. 484. n. 28. *Stiltingus* T. VI. Aug. pag. 351. n. 685. 686. & p. 357. col. 2. ad a. 428. in vita S. Auguſtini ait, quòd vel cum Tillemontio ad A. 428., vel cum Pagio ad A. 429. (certè poſt annum 427.) Vandalorum in Africa adventus ſit referendus. Denique notandum, quòd Anno 1708. Pariſiis prodiêrit Anonymi cujusdam *Diſſertatio Gallica de duobus Victoribus Vitenſibus*: quorum unus Collationi Chartaginenſi A. 484. non interfuerit, alter verò Vandalicæ perſecutionis Hiſtoricus priori ſucceſſerit, & anno duntaxat 487. ad cathedram Vitenſem fuerit evectus. Meminêre hujus Diſſertationis *Memoriæ* ſive *Ephemerides Trivoltianæ* ad A. 1707. menſem Aprilem Art. 52. ſive p. 677. & ſeq. *Stiltingus* T. III. Aug. p. 454. ad 17. Aug. de SS. MM. Monachis Carthagine in Africa paſſis; maximè verò *Cuperus* T. IV. Aug. p. 630. n. 12. 13. 14. 15. ubi recentem hypotheſin Gallicam rejicit, & unum unicum S. Victorem Vitenſem, eúmque Vandalicæ perſecutionis Scriptorem admittit. *Labbeus*, aliique etiam exiſtimârunt, huic S. Victori, tanquam Auctori, *Rationem Fidei*, exigente Hunerico redditam, deberi; aſt rectiùs illud negavit *Cuperus* T. III. Julij in Actis S. Eugenii Ep. Chartag. p. 492. n. 27. eámque Scriptionem, quæ tertium Victoris librum conſtituit, eidem S. Eugenio veroſimiliùs adjudicavit.

Vincentius Bellovacenſis, Ord. Præd. & Conventûs Bellovac. Vincentius Bellov.

Seculi XIII. Scriptor, notiſſimum illud *Speculum* Triplex conſcripſit, *Naturale*, *Doctrinale* & *Hiſtoriale*. *Triplex*, inquam; nam vulgatam hactenus opinionem de *quadruplici* Speculo (quô ſcilicet in hodiernis Editionibus Speculum quoque *Morale* comprehenditur) falſam deprehendit Jacobus Echardus T. I. de Script. Ord. Præd. ex antiquiſſimo MS. Codice in Collegii Sorbonenſis Bibliotheca detecto: ex quo ſole clariùs pateat, quòd Vincentius non in IV. ſed III. ſolum-

tummodo partes Speculum ſuum diviſerit, ſcilicet in *Naturale*, *Doctrinale* & *Hiſtoriale*; unde & illa quæſtio toties agitata ceſſat de Speculo Morali, num videlicet inde S. Thomas ſuam *Summam*, an Vincentius ex S. Thoma Speculum ſuum *Morale* conflaverit. Et Speculum quidem *Hiſtoriale* ab orbe condito uſque ad ſua tempora Vincentius perduxit, ſive uſque ad A. 1244., ut lib. 31. c. 105. ipſe teſtatur. Solius autem Compilatoris ſe officio functum profitetur in Operis totius prologo c. 4. *Quantò minus ergo*, inquit, *nunc arguendus videor, quia multorum librorum florem quendam atque medullam in unum Volumen compegi, iterúmque ſub certis titulis ordine congruo redegi. Non autem hoc dico, Sanctorum Patrum vel etiam ceterorum Auctorum Scriptis præſumptuosè derogando, meúmque jactanter & inaniter extollendo; præſertim cùm hoc ipſum Opus utique meum ſimpliciter non ſit, ſed eorum potiùs, ex quorum dictis ferè totum illud contexui. Nam ex meo ingenio pauca, & quaſi nulla addidi. Ipſorum igitur eſt auctoritate, meum autem ſolà partium ordinatione.* Dein ex coævorum etiam Auctorum Scriptis hauſit plurima, ac ſua fecit, ut ait cap. 3. in prologo: *Interdum etiam ea, quæ ipſe vel à Majoribus meis didici, vel in quorundam Scriptis notabilia reperi, nomine meo, id eſt Auctoris, intitulavi.* Sic pleraque ex Actis Sanctorum huic Operi inſeruit, multa *ex Helinandi, Monachi Frigidi Montis, Viri religioſi & facundiâ diſerti*, Chronicis mutuatus, ut lib. 29. c. 108. ipſemet fatetur, idem obſervante *Bollando* T. I. Janu. in Præfatione Generali p. XIX. col. 1. in fine, ubi de Vincentio fit Sermo. Quanquam non omnia ex Auctoribus excerpſit ipſe Vincentius, ſed pleraque à nonnullis fratribus excerpta ſuſcepit, atque in Opus ſuum tranſtulit, non eodem penitus verborum Schemate, quo in Originalibus ſuis jacent, ſed ordine plerumque tranſpoſito: nonnunquam etiam mutatâ paululùm ipſa verborum forma, manente tamen Auctoris ſententiâ, ut affirmat in Prologo cap. 10. ubi & hanc methodum à calumnia vindicat. Demum de toto hoc Opere ſuo inquit: *Hoc opus novum eſt ſimul, & antiquum, breve pariter & prolixum: Antiquum auctoritate & materia: Novum partium compilatione & earum aggregatione: breve propter multorum dictorum in breve perſtrictionem: longum propter immenſam materiæ multitudinem.* Vid. *Nat. Alex.* T. VII. Hiſt. Eccl. p. 138. de Vinc. Bellov. Editum eſt hoc Speculum Vincentii 1. *Baſileæ* A. 1481. apud Joannem Amerbachium. 2. *Norimbergæ* A. 1485. 3. *Venetiis* A. 1591. apud Dominicum Nicolenum. 4. *Duaci* 1624. apud Bellerum ſub hoc titulo: *Bibliotheca mundi.*

Cete-

Ceterum nemo eruditorum eſt, qui neſciat, quòd plurima in hoc Speculo, maximè Hiſtoriali, occurrant, quæ uti falſa, ita correctione ſunt digna. Sic v. g. ex apocryphis ſcriptis ſeptuaginta duorum Chriſti diſcipulorum nomina, quorum pleraque certè habentur incognita, Vincentius diſtinctè expreſſit. *Vid. Acta SS.* T. IV. Julij p, 17. n. 6. Sic in Spec. Hiſt. l. 13. cap. 50. & ſeqq. de Sylveſtri Pontificis ac Judæorum de Chriſto diſputatione (utique ſuppoſititia) multa recenſet. *Vid. T. III. Aug.* p. 560. n. 53. in Comm. præv. ad Acta S. Helenæ. Sic Lib. IX. cap. 83. & ſeq. in Geſtis S. Bartholomæi Pſeudo-Abdiam fabulatorem liberaliter deſcripſit. *Vid. T. V. Aug.* in Actis S. Barthol. p. 28. n. 91. Rectè tamen eodem Tomo V. Aug. in Comm. præv. ad Acta S. Ludovici Regis p. 282. n. 34. notavit Stiltingus: *Quamvis Bellovacenſis auctoritatem in rebus, ætatem ſuam* DIU *præcedentibus, non magnam habeat apud eruditos: in rebus tamen ad S. Ludovicum ſpectantibus eam obtinere debet fidem, quam adhibere ſolemus Auctori* SYNCHRONO, PIO, ET SINCERO; *quod notâſſe oportuit, quia Nangium multa ex eo hauſiſſe jam diximus.* Idem cum Stiltingo ſenſiſſe videtur *Cuperus* T. I. Aug. in Comm. præv. ad Acta S. Dominici, Vincentio ſynchroni, pag. 361. n. 17. & n. 155. 247. 248. & T. IV. Aug. p. 17. n. 7. in Actis S. Amatoris Eremitæ.

Severius nonnullis videbitur judicium *Melchioris Cani*, qui lib. XI. de locis Theologicis c. 6. p. 540. & 541. de hiſtoricis Vincentii & D. Antonini Collectionibus, ſic easdem virgulâ cenſoriâ notat: *De Vincentio Valvacenſi & Divo Antonio* (nunc communiùs Antonino dicto) *liberiùs judico, quorum uterque non tam dedit operam, ut res veras certásque deſcriberet, quàm ne nihil omnino præteriret, quod ſcriptum in ſchedulis quibuslibet reperiretur. Ita ad hiſtoriam unamquamque exiſtimandam, momentóque ſuo ponderandam non artificum ſtaterâ, ſed ne populari quidem trutinâ uſi ſunt. Quamobrem boni licèt ac minimè fallaces viri, qui tamen nec Auctores eos, à quibus ſuos exſcripsêre libros, diligenter examinârunt, nec res juſtis libratas ponderibus memoriæ prodîderunt, apud Criticos graves atque ſeveros auctoritate carent.* Diſplicuit hæc Cani rigidior Cenſura Graveſonio, qui P. II. Hiſt. Eccl. T. V. Colloq. V. p. m. 160. contra Canum advertit, quòd noluerit Vincentius proprio Marte hiſtoriam ſcribere, ſed ſolùm referre atque in ordinem redigere, quæ aliunde acceperat. „ Qua in re, inquit, non cul- " pandum, ſed laudandum potiùs eſſe cenſeo Vincentium Bello- " vacenſem; quippe qui multa Hiſtoriæ monumenta, velut varia " Auctorum, ex quibus ea excerpſit, fragmenta aliàs peritura,

" posteris servavit. Unde sicut etiamnum iis gratias referre solemus, " qui vel veterum Opuscula in Bibliothecarum angulis deliteſcen- " tia producunt in lucem, vel scripta, ùt vocant, fugitiva, vel " Epistolas, Dissertationes leviores, & similia suis Diariis inserta " ab interitu secura reddunt, quamvis in his haud pauca sunt, quæ " accuratum lectoris examen ac delectum postulent: ita etiam fa- " teamur necesse est, nos plurimùm debere Vincentio Bellovacensi, " qui in suo Opere quàm plurima Historiæ Monumenta quasi frag- " menta ex variis Scriptoribus collecta, expedita methodo dispo- " suit, digessit, ordinavit & ab interitu vindicavit: *ut deinceps pru-* " *dens & sagax lector ea non promiscuè & indiscriminatim, sed prævio* " *adhibito examine ac delectu accipere ac discernere posset.* Ita quidem *Graveſonius.* Verùm cùm non quilibet Lector tantum perspicaciæ, tantum voluntatis aut otii habeat, ut verum à falso (præcipuè quod speciosæ antiquitatis præjudicatione quadam firmatur) rite discerne- re possit, aut velit: consultiùs omnino feciſſet Vincentius, si solas suorum aut proximè præcedentium temporum historias collegisset, aut, si de vetustioribus etiam rebus sermonem ingerere placuit, ge- nuina à spuriis separando non nisi ex probatissimis fidéque dignissi- mis Scriptoribus collectionem suam instituisset. Quo quidem pa- cto minor evasisset hujus Speculi moles, sed & major ejusdem se- lectus, minúsque in Lectore deceptionis periculum extitisset. Certè falsitatis etiam antiquissimæ monumenta (quantumvis summa cum diligentia colligantur atque ad posterorum notitiam conserven- tur) nisi ab ipsomet Collectore confutentur aut saltem obiter de falsitatis vitio atque suspicione lector commoneatur, adeò ad rem historiam nihil prosunt, ut potiùs obsint, proindéque ab Opere quodam historico multò utiliùs resecentur ac prætermittantur.

VIRDUNENSE CHRONIC. VIRDUNENSE Chronicon, de quo egimus lit. C. p. 159. 160., inter alia etiam illud erravit, quod ad a. 990. de Carolo, Lotha- ringiæ Duce, hisce verbis commemorat: *Principes Francorum expel- lunt Carolum, Regem suum de Regno, quem Otho Imperator restituit, gravi bello Sueſſionis eisdem Principibus superatis, & ob hoc, Lotharienſe Reg- num, ab eo, dono accepit &c.* Ficta enim hæc esse, ostendit *Pfeffinge- nus* T. II. Vitriarii Illustrati p. 268. n. 5. *Cuperus* verò T. V. Julij p. 73. n. 4. advertit, quòd Hugo, hujus Chronici Auctor, secum ipso pugnet, sibíque contradicat circa Virdunensis obsidionis tempus, quæ exeunte Seculo V., vel ineunte VI. contigit.

De Vitriaco Jacobus, qui ex Canonico Regulari Ogniacenſi primùm Acconenſis Epiſcopus in Palæſtina, dein ſub Gregorio IX. S. R. E. Cardinalis & Ep. Tuſculanus, Romæ ad Superos tranſiit A. 1244., præter Vitam B. Mariæ Ogniacenſis, ſincera fide conſcriptam (*Vid. Acta SS.* T. V. Junij ad diem XXIII. Junij) lucubravit pariter tres libros *Hiſtoriæ Orientalis & Occidentalis. Primus* incipit à defectione Mahometis, & deſinit in coronatione Joannis Brennenſis, facta anno 1210. *Secundus* res Occidentis perſequitur. *Tertius* in Orientem regreditur, atque ea narrat, quæ poſt generale Concilium Lateranenſe in Oriente uſque ad expugnationem Damiatæ contigiſſe Auctor ipſe conſpexit. Edita eſt hæc Hiſtoria (quæ etiam *Jeroſolymitana* dicitur T. IV. Aug. p. 134.) *Duaci* A. 1597.: at non niſi primos duos libros complectitur. Conſtat autem ex ipſa Operis præfatione, quæ in Duacena Editione deſideratur & poſtmodum ab Henrico Caniſio in Tomum VI. Lect. Antiq. à p. 1321. fuit inſerta, quòd tres libros ſcripſerit Vitriacus. Unde tertium librum poſthæc publicavit Gretſerus, ùt videre eſt Tomo III. Operum. Ejusdem Hiſtoriæ librum I. & III. etiam Bongarſius recenſuit inter *Geſta DEI per Francos*, *Hanoviæ* A. 1611. Notat verò Gretſerus, l. c. pag. 22., quòd tertium hujus Hiſtoriæ librum *Matthæus Pariſius* ferme integrum à p. 289. uſque ad 297. in Henrico III. exſcripſerit, atque in Hiſtoriam ſuam tranſtulerit. Ceterùm ipſummet Vitriacum falſa ſubinde relatione fuiſſe deceptum dubitari non poteſt. *Vid. ſuprà* p. 326. 327. n. 3. in Matthæo *Pariſio*: & infrà in *Wilhelmo Tyrio*. Sed & pleraque omnia, quibus ſynchronus aut etiam oculatus interfuit Vitriacus, maximam fidem mereri eſt certum.

De Voragine Jacobus, Ligur, Ord. Præd. & ab A. 1292. Archiepiſcopus Januenſis, ſive Genuenſis (unde & *Jacobi Januenſis* nomen inhæſit) inter cetera Scripta etiam concinnavit *Vitas Sanctorum*, quæ nunc *Legenda aurea* vulgò ſolent nuncupari. Dicta etiam hæc Legenda antehac fuit *Hiſtoria Lombardica*, ùt monet Bollandus T. I. Janu. in Præfatione Generali pag. XIX. col. 2. in fine. Edita eſt *Pariſiis* A. 1475. *Coloniæ* A. 1483. *Lovanii* A. 1485. *Lugduni* A. 1519. & 1531. Varia de hoc Opere ſunt eruditorum judicia. *Graveſonius* P. II. Hiſt. Eccl. T. V. Colloq. V. p. m. 168. ait: *pro ea ſinceritate, quam in deſcribenda Hiſtoria Eccleſiaſtica profiteri teneor, diſſimulare non poſſum, noſtrum Jacobum de Voragine nimis credulum fuiſſe, & in Vitis Sanctorum ſcribendis haud ſatis accuratum, ſicut teſtatur diligentiſſimus Scriptor Melchior Canus* &c. Idem ſentit *Natalis Alex.* T. VII. Hiſt. Eccl. De Voragine.

Eccl. p. 146. n. 6. *Canus* l. 11. de locis Theolog. c. 6. Legendæ hujus Auctorem ita perſtringit: *Nec ego hiſtoriæ ejus Auctorem excuſo, quæ* LEGENDA AUREA *nominatur; hanc homo ſcripſit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parùm ſeveri & prudentis.* Cano ſuffragatur Ludovicus *Vives* l. 2. de cauſis corruptarum artium; neque benigniore cenſura uſus eſt Georgius *Wicelius* in præfat. ad Hagiologium. Jacobus *Echardus* T. I. Script. Ord. Prædic. p. 456. de Scriptoris iſtius fide ita diſſerit: *fatendum tamen. in hoc Opere non pauca eſſe, quæ Viris eruditis meritò diſplicuerunt, neque ſolùm Ludovico Vives aut Melchiori Cano Seculi XVI. Scriptoribus, ſed longè antea Magiſtro Ordinis XIII. Berengario de Landora, Archiepiſcopo poſtea Compoſtellano; qui propterea Bernardo Guidonis juſſit, ut Legendam alteram ex ſincerioribus Actis colligeret, ac ederet; quod & fecit . . . Quod tamen non impedivit, ne Legenda Jacobi de Voragine ſua brevitate commoda paſſim ab omnibus conquireretur, & avidè legeretur. Juſta porro Jacobi defenſio eſt, quam ipſe innuit, Vitas has Sanctorum non à ſe compoſitas, ſed, ut ipſe ait, compilatas tantùm, id eſt, jam diu antea à variis ſcriptas, ſed & apud varios diſperſas à ſe collectas, in ordinem digeſtas; & ex hiſtoricis ſacris, qui ſuæ ætate in pretio erant, locupletatas in lucem prodiiſſe, additis paſſim ſuis annotationibus.* Aſt meritò ad hæc Echardi verba ſubjicit *Cuperus* T. VI. Aug. p. 215. n. 13. *Nos tantùm diſcere cuperemus, ex quibus Auctoribus Jacobus de Voragine acceperit illas hiſtorias, quas inter geſta S. Doctoris* Auguſtini *(addo ego quam plurimas narrationes alias) refert.* Attamen inter eos, qui pro Jacobi Legenda ſtetêre, non ultimus fuit *Bollandus*, qui T. I. Janu. in Præfatione Generali totius Operis §. IV. p. XIX. & XX. contra Wicelium, Ludovicum Vives, aliósque Criticos eam Jacobi Legendam tuetur, aliud, ſi hodiedum viveret, fortaſſe facturus. Plurimas enim fabulas quà hiſtoricas quà Etymologicas huic Legendæ eſſe immixtas, nemo jam dubitat.

Sic v. g. I. fabuloſum planè & fictitium apparet, quod refert Jacobus cap. 119. *Legitur quoque* (inquit) *quòd dum Auguſtinus in carne viveret, & quædam relegeret, ante ſe tranſire vidit dæmonem, librum humeris bajulantem: qui ab ipſo protinus adjuratur, ut quæ ibi ſcripta lateant, ſibi pandat. Qui peccata hominum ibi eſſe aſſerit ſcripta, quæ undecunque colligit & reponit. Móxque ei præcepit, ut ſi aliquid peccatorum ſuorum ibi ſcriptum retineretur, ſibi legendum continuò manifeſtet. Oſtenſo autem loco nihil ibi Auguſtinus reperit, niſi quòd quadam vice Completorium ex oblivione dimiſit. Præcipiénsque diabolo, ut ſuum præſtolaretur adventum, Eccleſiam eſt ingreſſus, & Completorium devotè dixit, & ſolitas orationes completè peregit. Reversúsque dixit ei, ut prædictum locum ſibi oſtenderet*

iterum

terum relegendum. Qui dum crebrò revolveret, & tandem locum vacuum reperiſſet, iratus dixit: Turpiter me decepiſti: pœnitet me, quòd librum meum tibi oſtendi, qui peccatum tuum orationum tuarum virtute deleſti. Et his dictis, confuſus evanuit. Enimverò ſeriam refutationem non meretur tam inepta hiſtoriuncula, quæ fingi non potuit, niſi ab homine planè indocto, ùt ait *Stiltingus* T. VI. Aug. p. 359. n. 713.

II. Ex luculentis Veterum teſtimoniis evidenter patet, Sancti *Auguſtini* natale ſolum fuiſſe oppidum *Tagaſtenſe*; At Jacobi Legenda in edit. Pariſ. A. 1475. cap. 119. Vitam hujus Sancti ſic exorditur: *Auguſtinus Doctor egregius in Provincia Africana, civitate* CARTHAGINENSI *ortus eſt.* Neſcimus (*reſpondet Cuperus* T. VI. Aug. p. 216. n. 19.) ubi Carthaginenſem illam S. Auguſtini patriam repererit Vir iſte ſimplex, qui bona fide, ſed ſine ſevero examine plurimas hiſtorias fabuloſas in chartam conjecit. Fortè deceptus fuit ab illo impoſtore, qui ſub ficto S. Ambroſii nomine Sermonem nonageſimum ſecundum compoſuit. Illud ſanè eo Seculo, artis Criticæ paſſim ignaro, quo Jacobus de Voragine vixit, non eſt magnopere mirandum.

Et quid ridiculum magis aut abſonum eſſe poſſit, quàm Etymologica illa, quibus Legenda hæc ſcatet, commenta? Unum alterúmve hìc commemoro. Sic *I.* in S. Alexio ita valde ineptit: ALEXIUS, inquit, *dictus eſt ab A, quod eſt* valde, & LEXIS, *quod eſt* Sermo: *unde Alexius, qui valde in verbo DEI robuſtus: vel* ALEXIUS, *qui ab* EXIUS, *vel ab* ambio, ambis; & EXIOS, *quod eſt* circulus: *& inde Alexius quaſi ambiens circulum à Creatore incipientem & in Creatore deſinentem.* Quam nomenclationem commemorâſſe, refutâſſe eſt: ut ſuperfluum ſit, ſingula ipſius membra caſtigare; prout advertit *Pinius* T. IV. Julij p. 238. n. 1. II. non minùs futilem nominis à S. Auguſtino uſurpati etymologiam excogitavit Jacobus, eámque poſteris in hunc modum explicuit: AUGUSTINUS *hoc nomen ſortitus eſt propter excellentiam dignitatis vel fervorem dilectionis, vel propter etymologiam nominis. Propter excellentiam dignitatis: quoniam ſicut Imperator* AUGUSTUS *præcellebat omnes Reges, ſic & iſte præcellit omnes Doctores . . . Secundò: propter fervorem dilectionis; quoniam ſicut menſis* AUGUSTUS *valde fervet æſtu caloris, ſic & ipſe valde incaluit igne divini amoris . . . Tertiò propter etymologiam nominis; dicitur enim Auguſtinus ab* AUGEO, & ASTIN, *quod eſt civitas,* & ANA, *quod eſt ſurſum; inde Auguſtinus, quaſi augens ſupernam civitatem.* Ita ſcilicet ſimplex ille Vir (ùt mox ſubdit *Cuperus* T. VI. Aug. p. 217. n. 22.) eruditis riſum movet, dum poſtremam illam

nominis etymologiam ex verbo latino *augeo*, & duabus vocibus græcis miſcet & ineptè coagmentat. Nihilominus Jacobus *Echardus* l. c. p. 456. ſimiles Jacobi Genuenſis ineptias excuſare nititur hîs verbîs; *Præfationes cuilibet vitæ à Jacobo additæ, quæ ferè in nomine Sancti luſus ſunt, palato hujus Seculi ſauiori non placent; ſed is erat Seculi XIII. & ſequentium guſtus; & quid Patribus noſtris non condonandum, ubi de fide non agitur?* Verùm licet Echardus id ſuo Sodali ejúsque Seculo condonandum exiſtimet, tamen non parùm dubitamus, an adeò benignus futurus ſit erga Cornelium Lancillotum Auguſtinianum, qui Seculo præterito floruit, & in Vita S. Auguſtini typis Plantinianis Antverpiæ editâ l. 1. c. 1. ad nomen ejusdem Sancti Doctoris eo modo alludit, qui ferme cum Jacobi Genuenſis argutiis congruat: *Nomen ipſum* &c. Vid. *Cyperus* l. c. p. 217. n. 22. Multò adhuc mitior in Jacobum fuit *Bollandus*, qui T. I. Janu. Præfat. cit. p. XX. col. 1. inſulſas hujusmodi alluſiones, à notatione nominis ductas, non ipſimet Jacobo, ſed anonymis Jacobi tranſcriptoribus aut depravatoribus tribuendas exiſtimavit. Verba Bollandi ſunt: *Addidit alius, ut puto, quiſpiam vitis nonnullis ineptam & ridiculam nominum interpretationem, indignam ſanè Jacobi eruditione; ut cùm dicitur* ÆGIDIUS *formari ab* e, *quod eſt* ſine, & geos, *quod eſt* terra, & dyan, *quod eſt* clarum, *ſive* divinum; TIMOTHEUS, *quaſi* timore tenens, *vel à* timore & theos; SYMPHORIANUS *à* ſymphonia; HIPPOLYTUS *ab* yper, *quod eſt* ſuper, & litos, *quod eſt* lapis; SIXTUS à Sios, *quod eſt* DEus; & ſtatus, *quaſi* divinus ſtatus; VEDASTUS *quaſi* verè dans æſtus. *Omitto cetera non minùs abſurda, quæ cùm indocti homines pro pulpitis identidem declamarent, naſeam & riſum movebant eruditis, ſéque ipſos & Sanctorum hiſtorias in ſummam adducebant contemptionem.* Ita *Bollandus*; qui tamen nullum pro Auctore anonymo conjecturæ ſuæ argumentum adducit, niſi quòd haſce nugas *eruditione Jacobi indignas* ſit arbitratus. Verùm eruditos etiam, paulò antiquiores, ùtùt in alio eruditionis genere floruerint, in re tamen hiſtorica non rarò ſimplices fuiſſe & fabellis plus juſto indulſiſſe, Critici hodierni compertiſſimum habent. Sive autem ipſe Jacobus, ſive alius quiscunque nominalibus hujusmodi gerris Legendam oppleverit, nihil inde plus minùsve auctoritatis affaniis illis accedet, & utroque modo contemni merentur.

W. WALA-

W.

WALAFRIDUS Strabo, ab A. 842. Augienſis prope Conſtantiam Cœnobii Abbas, vitam ibidem & regimen finiit A. 849., ætatis 43., natus A. 806. *Vid. Hepidannus* in Annalibus ad A. 849. *Mabillonius* T. II. Annal. Benedict. ad A. 842. n. 62. *Cleus* T. VI. Sept. p. 895. n. 1. *Suyskenus* T. II. Sept. p. 703. n. 13. p. 705. n. 26. Scripſit Walafridus *primò*: librum de *officiis divinis*: cujus etiam fit mentio in vita B. Victoris III. Pontif. Rom. inter libros, quibus hic Bibliothecam Caſinenſem locupletaverat, Tomo V. Sept. p. 426. n. 92. *Secundò*; vitam S. Galli. *Tertiò*: vitam S. Othmari. *Quartò*: Gloſſam ordinariam in S. Scripturam. *Quintò*: Poëmata varia, quæ in Antiquis Caniſii Lectionibus extant T. V. & VI.: & ipſe adhuc junior, aut certè pleraque multò edidit antè, quàm Abbas eligeretur. *Vid. Cleus* l. c. *Sextò*: Thegani de Ludovico pio Opuſculum ordine diſtinctiori ipſe recenſuit, ùt diximus pag. 448. verbò: *Thegamus*. Multam Walafrido laudem Scriptores tam antiqui, quàm RR. meritò detulêre. *Vir literatus* dicitur ab Hepidanno l. c. *Vir doctus & ſapiens, & literarum ſcientiâ ante alios illuſtris* vocatur ab Iſone Monacho San-Gallenſi, ejusdem Seculi IX. Scriptore, in præfat. ad ejusdem S. Othmari translationem & miracula, à ſe conſcripta. *Vid.* etiam *Labb.* T. II. Script. Eccl. *Nat. Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. p. 58. 59. *Poſſevinus* in Apparatu. *Graveſonius* P. I. Hiſt. Eccl. T. III. Colloq. V. p. m. 190. 191. &c. Attamen non ubique Walafridi narrationes hiſtoricas ſuis carere nævis, obſervat *Suyskenus* l. c. p. 743. lit. K. p. 744. lit. s. in vita S. Magni Abbatis. Sic. v. g. in vita S. Galli, de Fridiburga, Ducis Gunzonis filia, per S. Gallum à Dœmonio liberata narratur, quòd tum temporis deſponſa fuerit Sigeberto, Theodorici filio: at expulſo per S. Gallum dœmone religioſam vitam regali thalamo prætulerit, & Parthenoni S. Petri in urbe Metenſi ab ipſomet Sigeberto fuerit præfecta. Hanc tamen narrationem multiplici ex capite ad fabulas eruditi ablegant, ùt ex Cointii Tomo II. Annal. Eccleſ. ad A. 614. à num. 6 notat *Suyskenus* l. c. lit. k. Similiter in eleganti aliàs illius ævi Poëmate (quod ad Conradum Comitem, Mecænatem ſuum, de Martyribus Thebæis ſive Legione Mauritiana Walafridus inſcripſerat) antiquiorem quandam Paſſionis, jam antea interpolatæ, Hiſtoriam præ oculis habuiſſe Walafridum, non immeritò conjectat *Cleus* l. c. WALAFRIDUS.

WALTHRAMUS.

WALTHRAMUS, WALTRAMUS, WALRAMUS (nam promiſcuè ſcribitur) Naumburgenſis in Saxonia Epiſcopus, Henrici IV. Imp. aliquamdiu ſectator & fautor, *primò* juxta Goldaſtum (in ſua adverſus Gretſerum replicatione) ſcripſiſſe fingitur famoſam illam pro Henrico IV. *Apologiam*, quam Huttenus, Aventinus, Illyricus, & tandem Freherus Tomo I. Script. Germ. edidêre. Quanquam enim hi editores de genuino Apologiæ hujus auctore ipſimet addubitârint: juvenculus tamen Calviniſta Goldaſtus Auctorem mox ſubodoratus, præcoce judicio Waltramum tanquam Apologetam indubitatum pronuntiavit. Aſt frivolas Goldaſti argutias & puerilia ſanè ratiocinia attrivit atque protrivit *Gretſerus* l. 1. adverſus Replicatorem c. VII. Dein ſi etiam Waltramus Apologetici hujus conditor admitteretur, nihil inde Henrici IV. cauſam poſſe fulciri, tum maximè intelliges, cùm didiceris, quis quantúsve fuerit Waltramus. Quantus verò iſte? Tantus certè, ut *S. Anſelmus*, Cantuarienſis Archiepiſcopus, ſanctitate non minùs quàm eruditione ſuo ſeculo celebratiſſimus, *Waltramum* ne ſalute quidem, ſemper aliàs in Epiſtolis præmitti ſolita, dignari ſit auſus. Ita enim Sanctus hic Præſul in Epiſt. de Fermentato & Azymo ſcribit: *Anſelmus Servus Eccleſiæ Cantuarienſis, Waltramo Nuenburgenſi Epiſcopo. Scienti breviter loquor. Si certus eſſem, prudentiam veſtram non favere ſucceſſori Julij Cæſaris, & Neronis, & Juliani Apoſtatæ contra Succeſſorem & Vicarium Petri Apoſtoli, libentiſſimè vos & amiciſſimum & reverendum Epiſcopum ſalutarem.* Magis adhuc vivido colore Waltramum nobis depingunt *Dodechinus* in Append. ad *Mariani* Chron. & *Stephanus* (qui & *Herrandus*) Halberſtatenſis Epiſcopus in Epiſtola, quam is nomine Ludovici, Thuringiæ Comitis, cognomentô *Saltatoris*, anno 1123. demortui, ad eundem Waltramum exarârat, teſte Dodechino l. c. & Geſnero in Bibliotheca. Ita ergò ſcribit *Dodechinus* ad A. MXC.

N. 2. *Anno MXC. Valtramus Megdeburgenſis* (legendum, *Naumburgenſis*) *Eccleſiæ Antiſtes, cùm eſſet favens præcipuè Henrico Regi, miſſis literis ad Ludovicum Comitem, ſuggerens ei, ut ſe ſubdens ſæpe jam dicto Regi tueretur partes ejus. In quibus literis tanquam pro defenſione ordinationis DEI, re autem vera favendo Regi, laborans, beatæ memoriæ Gregorio Papæ, & piæ recordationis Rodolpho Regi, & aliis Principibus, qui jam in ſomno pacis requieverant, obloquendo detrectârat* (legendum, *detraxerat* vel *obtrectârat*) *dicens, eos, quaſi non fuerint, ſic periiſſe: aſſirmans eis malum principium fuiſſe, quos finem peſſimum contigit habuiſſe; quarum literarum modus iſte eſt:*

N. 3. Re-

N. 3. Recitatis dein Waltrami ad Ludovicum literis, illico subjungit Dodechinus: *Has ſanè literas prædictus Comes Ludovicus ſuſcipiens, vocato ad ſe venerabili Stephano, qui & Herrandus, Halberſtadenſi Epiſcopo, eas tradidit legendas, rogavitque eum, quatenus his diligenti examinatione perſpectis, juxta rationem veritatis congrua obviaret reſponſione, & linguam blaſphemantis, os quoque iniqua proferentis contra juſtitiam, auctoritate Sancti Spiritûs, & teſtimoniô Scripturarum obſtrueret; ne ampliùs contra Eccleſiam DEI latratus proferret inſanos, & fureret. Venerabilis autem Epiſcopus, ſecundum petitionem Comitis ſuſceptis literis ac diligenti Examinatione perſpectis, vocato Notario Epiſtolam dictavit: in quâ primùm præſcriptum Valtramum Epiſcopum hæreticum Simoniacum redarguit, Regem etiam Henricum hæreticum & excommunicatum, ideóque nec Regem dicendum comprobavit: Epiſcopatus pro pecunia, pro gladio, pro adulterio, pro Sodomitica immunditia vendentem declaravit. Sed ipſius jam Epiſtolæ textus exponatur, ut illius venerabilis Viri fervor in tenore juſtitiæ agnoſcatur.*

N. 4. " Comes Ludovicus Domino Valtramo, quidquid tali " vocabulo dignum eſt. Sicut bonus homo de bono theſauro cor- " dis ſui profert bonum: ita malus homo de malo theſauro pro- " fert malum. Unde tibi tanta arrogantia, ut me ad indignationem " tam injurioſis injuriis provocares? Etenim Dominos & Patres " meos, qui me in via juſtitiæ confortant, Viros ſanguinum, ſimi- " les Satanæ, obliquè appellas, & monita ſalutis, quæ ſuggerunt, " inter mulierculas & ſimplex vulgus ſomniare dicis. Nunquid " DEus indiget tuo judicio, ut pro illo loquaris dolos? Docuit " iniquitas os tuum: & imitaris linguam blaſphemantium, ita ut " rectè de te dicat Propheta: *Noluit intelligere, ut benè ageret: ini-* " *quitatem meditatus eſt in cubili ſuo.* Quamvis ergo quantum per- " verſus, tantum perverſa locutus ſis; nos tamen ori noſtro cuſto- " diam ponere decrevimus, & ſiluimus, cùm conſiſteret peccator " adverſum nos. Sed excitat nos ſermo divinus, dicens: *Reſponde* " *ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.* Nunquid enim " fatuitas perſonabit, & ſapientia obmuteſcet? Nunquid loquetur " mendacium, & veritas ſilebit? Nunquid tenebræ operient terram, " & Dominus non orietur? Imò *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam* " *non comprehenderunt.* Qua conſideratione concaluit cor noſtrum, " & in meditatione noſtra exarſit ignis.

N. 5. " Loquimur igitur & clamamus, vulpésque parvulas, " quæ vineas Domini demoliuntur, quantum poſſumus, arcemus, " timentes prophetiam illam exprobrantem: *Non aſcendiſtis ex adver-*

" ſo, *nec oppoſuiſtis murum pro Domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio in die Domini.* Audiant, non tu, qui aures habes, & non audis : qui oculos habes, & non vides : qui lumen, quod in te eſt, tenebras feciſti; audiant, inquam, omnes cordati, qui aures audiendi habent, quàm altè aut non intelligas, aut intelligere diſſimules, neque quid loquaris, neque de quibus affirmes. Ad ſubjectionem Domini Henrici, quem Imperatorem dicunt, nos invitas, & in quantum intelligere datur, ut per omnia ſubditi ſimus, quaſi Apoſtolico argumento neceſſitatem imponis, dicens: *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas, niſi à DEO. Qui ergo poteſtati reſiſtit, DEI ordinationi reſiſtit.* Quam Apoſtoli ſententiam te malè intelligere, pejus interpretari dicimus. Si enim omnis poteſtas à DEO eſt, ùt tu intelligis, quid eſt, quod de quibusdam dicit Dominus per Prophetam : *Ipſi regnaverunt, & non ex me : Principes extiterunt, & non cognovi eos.* Si omnis poteſtas à DEO eſt, ùt tu intelligis, quid eſt, quod ait Dominus: *ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Quid enim eſt poteſtas, niſi oculus? Certè Auguſtinus in expoſitione Apoſtolicæ ſententiæ : *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Quòd ſi poteſtas*, inquit, *aliquid jubeat, quod contra DEum ſit, hic contemne poteſtatem, timendo poteſtatem.* Nunquid iniquitas apud Dominum? Nunquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit. Quid ergo dicemus? Nunquid ab Apoſtolo diverſa ſententia Prophetiæ evulgatur? Auguſtinus: *Minimè diverſas tibias inflat ſpiritus unus.* Itaque audiamus Apoſtolum concordantem, & ſe ipſum exponentem, & inimicum ultorémque ſuum deſtruentem : *Non eſt*, inquit. *poteſtas, niſi à DEO.* Quid ſequitur? *Qui ergo*, inquis. *poteſtati reſiſtit*: & reliqua. Abſit. Non hoc ſequitur ; ſed quid ſequitur? *Quæ autem à DEO, ordinata ſunt.* Nempe hoc eſt, quod quærimus. O lingua doloſa! O cor machinans malum, ſpiritus vadens & non rediens! Cur mentitus es Spiritui Sancto? Arguat te conſcientia tua. *Ecce fugit impius nemine perſequente.* Cur, ut deciperes, ſupprimere veritatem voluiſti? cur medullam, cur animam hujus ſententiæ furatus es? Nam ſi hæc verba de medio ſententiæ Apoſtolicæ tollantur, contra ſibi inconveniens & exanimis jacebit.

N. 6. " Impletur ſermo divinus: *Qui parat proximo ſuo foveam, incidet in eam.* Certè nec culpam furti, nec pœnam evadere poteris. Quid infelix, quid judici venturo, cùm à ſervis negotiatoribus lucrum requiret, reſponſurus es, qui Dominicæ pecuniæ fraudator in medium produceris? Quare non judicium & laqueum

" queum proditoris timuiſti, ne ſimilem reatum ſimilis vindicta
" ſequeretur? Prævidens per Spiritum Sanctum Apoſtolus, te tui-
" que ſimiles hæreticos in Eccleſia emerſuros, qui bonum malum,
" malum bonum dicerent, qui tenebras lucem, & lucem tenebras
" ponerent, qui de ſententiis veritatis occaſionem inducendi erro-
" ris captarent; cùm præmiſiſſet: *non eſt poteſtas, niſi à DEO*: ut
" conjecturam reprobi intellectûs amputaret: *quæ autem ſunt*, inquit,
" *à DEO, ordinata ſunt*. Da igitur poteſtatem ordinatam, & non
" reſiſtimus, imò dabimus illico manus.

N. 7. " Miror autem, ſi in te vel gutta ſanguinis eſt, quòd
" non erubeſcis Dominum Henricum Regem dicere, vel ordinem
" habere. An ordo tibi videtur, jus dare ſceleri, fas nefásque,
" divina & humana confundere? An ordo videtur, tibi in corpus
" ſuum peccare, videlicet (prô pudor, prô nefas) uxorem pro-
" priam ſcelere omnibus ſeculis mundi inaudito, lupanar facere?
" An ordo tibi videtur, cùm Dominus dicat: defendite viduam:
" viduas judicii æquitatem poſtulantes, nefanda contaminatione
" proſtituere? Hæc qui ordinata, qui ſana dixerit; hunc inſani ca-
" pitis eſſe, inſanus juret Oreſtes. Uſque ad hæc miſerrima tempora, na-
" tura ſecretum amavit; ſed traditus in reprobum ſenſumRex veſter, na-
" turæ involucrum detexit: qui omnem pudorem ponit in propatulo.

N. 8. " Ut autem illa, quæ ſine numero ſunt, taceamus, vi-
" delicet concremationes Eccleſiarum, deprædationes, homicidia,
" incendia, truncationes, & his ſimilia, quæ ille poteſt, nos enu-
" merare non poſſumus: ea, quæ maximè Eccleſiam DEI gravant,
" loquamur. Audi ergo vera, non fucata: Audi fortia, non fa-
" ceta. Omnis, qui dignitates ſpirituales vendit, hæreticus eſt.
" Dominus autēm Henricus, quem Regem dicunt, Epiſcopatus
" & Abbatias vendit. Etenim Conſtantienſem, Babenbergenſem,
" Moguntinenſem, & plures alios, pro pecunia: Ratisponenſem,
" Auguſtenſem, Strasburgenſem, pro gladio: Abbatiam Fulden-
" ſem pro adulterio: Monaſterienſem Epiſcopatum (quod dicere &
" audire nefas eſt) pro Sod. . . . immunditia vendidit. Quæ ſi
" impudenter negare volueris, teſte cœlo, teſte terra, omnes etiam
" à furno redeuntes ſcioli concludent: Ergo Dominus Henricus
" hæreticus eſt. Pro quibus nefandis malis ab Apoſtolica Sede ex-
" communicatus, nec regnum nec poteſtatem aliquam ſuper nos,
" quia Catholici ſumus, poterit obtinere. Sanè, quia fratrum nos
" odiis fatigas: intellige, nulli nos odium de inaffectione, ſed de
" pietate intendere. Abſit, ut dicamus, Henricus inter fratres aut

" Chri-

" Christianos reputetur, qui toties corripientem Ecclesiam non au-
" diens, sicut Ethnicus & Publicanus habetur. Cujus odium pro
" magno sacrificio DEO offerimus, dicentes cum Psalmista: *Non-*
" *ne, qui oderunt Te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam?*
" *Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Cujus odii dig-
" nitatem Veritas commendans, ait: *si quis non odit patrem &*
" *matrem, fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non*
" *potest meus esse discipulus.* Non ergo de odio justè reprehen-
" duntur, qui animam nostram, cùm à via DEI exorbitamus: qui
" patrem & matrem, & omnem affectum, qui nobis in via DEI ob-
" stat, odisse præcipimur. Inde est, quòd omni studio, omni conatu labo-
" ramus: ut hostes Ecclesiæ, nos quoque ùt adversarios caveamus: &
" non, quia nostri, sed quia DEI inimici sunt, odio habeamus.

N. 9. " Porro, quod de pace cum omnibus hominibus habenda
" persuades, meminisse debes: quia præmisit Apostolus: *si fieri po-*
" *test.* Fieri autem non potest, ut cum iis, qui DEO contrarii
" sunt, pacem habeamus. Quis autem nesciat, Dominum Salva-
" torem non solùm pacem commendare, cùm dicit: *Pacem meam*
" *do vobis, pacem meam relinquo vobis:* sed etiam ipsam pacem existe-
" re, sicut ait Apostolus? *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.*
" Quid ergo ait *Pax nostra* commendans pacem? *Nolite*, inquit, *ar-*
" *bitrari, quia veni mittere pacem in terram: non veni pacem mittere, sed*
" *gladium.* Quid est hoc? Quare Pax gladium? quare Pax bellum
" indicit? Nimirum ut destruatur pax Diaboli. Habet enim Dia-
" bolus pacem suam, de qua Dominus dicit: *cùm fortis armatus cu-*
" *stodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet.* O quàm potenter
" per vos, satellites suos, atrium suum hoc tempore Diabolus cu-
" stodit! qui scuto falsitatis & galeâ perfidiæ protecti, nulla veri-
" tatis jacula, nulla fidei spicula admittitis! Potest tamen Dominus
" noster, utpote fortior armatus superveniens, fortem vestrum
" vincere, & arma, in quibus confidit auferre. Non ergò rectè
" culpamur, si pacem illam omni bello crudeliorem detestamur,
" quam ipsa Veritas super Hierusalem flendo reprobat, dicens: *Et*
" *quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi*: Et quam Psalmus: *super*
" *iniquos zelavi, pacem peccatorum videns.*

N. 10. " Quod verò Papam Gregorium, Regem Rodolphum, Mar-
" chionem Eggebertum pessimi interitûs damnas: & dominum tuum,
" quia illi superstes est, bonificas; liquet profectò, ab omni spirituali te
" consideratione manere vacuum. Nonne beatius est benè mori, quàm
" malè vivere? Beati enim, qui persecutionem patiuntur propter justi-
" tiam.

" tiam. Jam & Neronem, quia Apoſtolis Petro & Paulo: jam & Hero-
" dem, quia Jacobo Apoſtolo: jam & Pilatum, quia Domino Jeſu
" Chriſto ſupervixerint, beatos æſtimas. Qua opinione quid inſanius,
" aut infelicius dici poteſt? Quapropter & ab hac blaſphemia, linguam
" magniloquam compeſce: niſi forte in numero illorum te conſtituis,
" qui in fine juſtorum videntes gloriam, ſeram & infructuoſam agen-
" tes pœnitentiam præ anguſtia ſpiritûs gementes dicent: *Hi ſunt, quos*
" *aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſa-*
" *ti, vitam illorum eſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce*
" *quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Er-*
" *go erravimus à via veritatis, & ſol juſtitiæ non luxit nobis? Quid nobis pro-*
" *fuit ſuperbia? & divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia*
" *velut umbra.* Quæ nos verba in memoria adamantina ſcribentes, om-
" nem ſimilitudinem extollentem ſe adverſus veritatem Dei, contem-
" nimus, & gloriantes in tribulationibus, calumniari, proſcribi, & ex-
" terminari, denique occidi poſſumus: flecti vel vinci non poſſumus:
" & cum magno tripudio illud, quod tu puer adoleſcens, juvenis fre-
" quentatus, nondum corde ſenex concepiſti, de Patribus noſtris exul-
" tamus, qui contemnentes juſſa Principum meruerunt præmia æterna &c.

N. 11 *Hæc Ludovicus Comes* & ſub ejus nomine *Stephanus* Halberſta-tenſis Antiſtes; unde quanta Waltrami, ſi etiam Henrici Apologetam illum fuiſſe fingamus, poſſit eſſe auctoritas, ipſe criticus & orthodoxus lector judicabit. Imò hæc ipſa Ludovici Epiſtola non ultimus fortaſſe aries fuit, qui Waltrami animum concuſſerit, ut ſeſe ipſum denique reſpiceret, atque ad ſaniora reverteretur; nam ad pacem & unitatem Catholicam eum poſtea rediiſſe, manifeſtum evadit ex alia ejusdem, quem ſuprà nominavimus, Sancti Anſelmi Cantuarienſis de Sacramentorum diverſitate ad Waltramum Epiſtola, quæ ita incipit: *Domino & amico Walteramno, gratiâ Dei Nquenburgenſi venerabili Epiſcopo, Anſelmus Servus Eccleſiæ Cantuarienſis Archiepiſcopus ſalutem, ſervitium, orationes, dilectionis affectum. Gaudeo & gratias ago Deo, quia, ſicut ſcribitis, glorificat eum in vobis Catholica Eccleſia, quoniam in veſtra mutatione divinæ voluntatis apparet gratia, & Domini Papæ Paſchalis amicitiam habetis & familiaritatem, ut jam mihi liceat veſtram amicabiliter ſalutare ſanctitatem &c.* Quare Waltramus ſchiſmaticus, ſiquidem Apologiæ Henricianæ ſit parens, non aliunde magis, quam ex ipſomet Waltramo pœnitente ac reſipiſcente refellitur.

N. 12. *Alterum*, quod Waltramo tribuitur, Opuſculum eſt *Tractatus de inveſtitura Epiſcoporum & Abbatum.* Primus illum ſub Waltrami nomine vulgavit Illyricus; quâ verò fide (inquit Gretſerus L. 1. contra

Replicatorem c. VII.) viderit ipſe: quanquam id omnes vident, quibus Illyrici perfidia nota eſt. Illyrico tamen hìc fidem habuit Goldaſtus, qui in altera Replicationis ſuæ parte (in quam ſcilicet conjecerat, quidquid maledicarum chartarum quondam furioſi ſchiſmatici in S. Gregorium VII. evomuerant) duodecimum huic centoni locum dedit, & Illyrico audacior ſine ullius antiqui exemplaris fide, etiam absque Illyrici exemplo, mox in ejus Tractatûs inſcriptione hæc verba: *contra Paſchalem Papam*: fraudulenter adjunxit. Cujuscunque autem iſtud Opuſculum fuerit, *inepta* ſanè eſt *commentatio, & veræ hiſtoriæ ignorantiis plena*, ùt eam nuncupavit Gretſerus l. c. & in Apologia pro Gregorio VII. ſub finem. Nam in primo ſtatim limine non una, ſed plures falſitates ſe offerunt. Ait enim, *Carolum Magnum electum & coronatum Imperatorem, quòd mulier, excæcato filio ſuo Conſtantino, Græcis imperaret.* Aſt hæc non fuit cauſa, certè non ſola nec princeps: ſed ſumma Caroli M. in Romam & Romanam Eccleſiam merita, & in debellandis Tyrannis, qui Eccleſiam Romanam infeſtaverant, cumulata felicitas. Ait, *Romanos jam antea à Græcis animo defeciſſe.* Imò non ſolùm animo, ſed & re ipſa; ùt manifeſtum ex Hiſtoria Leonis Iſauri, & ejus, quem infauſto ſidere progenuit, Conſtantini Copronymi. Ait, *Carolum M. primum imperâſſe Romanis annos XIV.* & tamen infrà dicit, *Zachariam aſſenſu Romanorum & Francorum in Regem & Imperatorem unxiſſe Pipinum.* Si Pipinus, Pater Caroli Magni, erat Imperator; quomodo Carolus M. Imperator primus? Ait, *ab eodem Zacharia Carolum & Carolomannum fratres, Pipini filios, unctos & in Regia ac Imperatoria dignitate confirmatos.* Si hoc ita, quomodo igitur verum eſt, Carolum M. à *Leone* Papa in Imperatorem inauguratum eſſe, ùt in exordio ſui Tractatûs Pſeudo-Waltramus ſcribit, cùm jam antea à Zacharia Imperator inunctus fuiſſe dicatur? obiit Zacharias A. 752., cùm undecimum ætatis annum ageret Carolus, Leo autem anno primùm 795 Pontificatum conſcendit. Ait, *Carolo M. ejuſque ſucceſſoribus, futuris Imperatoribus, ab Adriano Pontifice conceſſum eſſe Patriciatum Romanum & poteſtatem inveſtiendi Epiſcopos & Abbates.* Et tamen tempore Adriani necdum Carolo Imperiale Diadema erat collatum; itaque neque de ſucceſſoribus ejus, tanquam de Imperatoribus, aliquid ſtatuere poterat. Falſa præterea ſunt, quæcunque Auctor ille de Inveſtituris Carolo M. ab Adriano conceſſis garrit; id quod alibi fuſiùs ſuo tempore demonſtrabimus. Unde ſicut fictitii hujus privilegii Diploma primùm poſt Henricorum, ita etiam poſt Waltrami tempora ſeriùs eſt conſarcinatum, neque imperitiſſimi, de quo agimus, Tractatûs auctor Waltramus eſſe jam poteſt. Omitto falſitates alias, quarum numerus, ùt Gretſerus inquit, ferme grationis periodos

riodos æquat, si non excedit. Dictio certè inconcinna prorsus & invenusta satis apertè prodit, Apologiæ pro Henrico IV & alterius hujus scripti Auctores penitus esse diversos. Nam stylus Apologiæ aliquid eruditionis resipit: iste nihil, nisi merum rus. Et cùm Tractatus de investituris compositus & absolutus (ùtùt falsissimè) dicatur anno MCIX: non potest ad Waltramum referri; quia hoc anno Waltramus cum Ecclesia ejúsque supremo Præsule *Paschale* (adversus quem tamen iste Tractatus conscriptus, à Goldasto fingitur) in gratiam jam redierat: ùt planum fit ex supradicta S. Anselmi ad Waltramum Epistola; quam saltem hoc ipso anno, vel potiùs aliquo ex præcedentibus scriptam oportuit, cùm S. Anselmus anno MCIX. 21. Aprilis fatis concesserit.

N. 13. Equidem jam ante Goldastum *Jacobus* I. Angliæ Rex in sua Apologia pro juramento fidelitatis ad hunc ipsum *Waltrami* Tractatum provocaverat; sed jam tum *Gretserus* in *Basilico Doro* seu *Commentario exegetico* cap. 5. responderat: Ea: quæ Rex ex Waltrami Naumburgensis libello de investituris Episcoporum refert, noverit, apud orthodoxos non esse oracula: quia Walramus unus de grege Schismaticorum fuit; nec historiarum peritissimus, ut tam intrepidè asserat, omnes Hispaniæ, Scotiæ, Angliæ, Hungariæ Episcopos ex antiqua institutione usque ad Gregorium VII. ab Imperatoribus & Regibus *investitos* fuisse. Constat enim, nullum *Pontificem Romanum* ab *Henrico* S. Imp. & Successore ejus *Conrado Salico* electum, confirmatum, multóque minus per baculum & annulum investitum fuisse, ùt docet Onuphrius in vita Gregorii VII adjecta ad (Gretserianum) Tomum II. Defensionis Bellarminianæ. Et tota fides libelli illius Waltramiani nititur fide Illyrici, qui in Catalogo Testium Veritatis (potiùs feritatis) dicit, *se illum bona fide ex membranaceo Codice exscripsisse*: quod fortè credet, cui ignotus Illyricus: at cui notus est, is saltem dicet, *non liquere*, quâ fide exscripserit. *Hæc ad Jacobum Regem Gretserus.*

WILHELMUS APULUS, qui sub finem seculi undecimi vixit, jussu Urbani II, ùt ipse lib. I. testatur, Poëma Heroicum in V. libros redactum de Siculis sui seculi rebus sive de gestis Normannorum in Sicilia, Apulia & Calabria ab Anno 1016 usque ad annum 1085, sive usque ad obitum Roberti Guiscardi Ducis contexuit, illudque Rogerio, Calabriæ Duci, Roberti filio, nuncupavit. Laudatur ab omnibus ùt scriptor exactus, domesticus, atque contemporaneus, ejúsque potissimùm asserta in Normannicis Italiæ rebus sequitur *Pagius* T. IV. Criticæ. Primus istud Poëma luci publicæ dedit Joannes Tiremæus A. 1582. Relatum dein fuit inter Scriptores Siciliæ; à Leibnitio verò inter Scriptores Brunsvicenses T. I. & à Muratorio inter Scriptores Italicos. WILHELMUS APULUS.

WILHELMUS MALMESBURIENSIS.

WILHELMUS Malmesburienſis in Anglia Cœnobii, Ordinis Benedictini Monachus & Bibliothecarius, libros V. de geſtis Regum Anglorum, libros II. Hiſtoriæ Novellæ, libros IV de Geſtis Pontificum Anglorum lucubravit, atque ex his Geſta Regum & Hiſtoriam Novellam Roberto Gloceſtriæ Comiti, Henrici I. Angliæ Regis filio naturali, inſcripſit. Progreditur autem Hiſtoria Novella uſque ad Annum 1142, rerúmque geſtarum teſtis partim extitit ipſe, partim à Viris fide dignis excepit. *Uſſerius* quidem lib. de Britannicis Eccleſiarum Antiquitatibus c. 6. tradidit, Wilhelmi Novellam uſque ad Anni 1143. principia ſe porrigere; aſt Uſſerium falli, eámque in Anno 1142. jam terminari, evincit *Pagius* T. IV. Crit. ad A. 1142. n. 9. 10. Pagio conſentiunt Matthæus *Pariſius*, & ex eo *Baleus* l. de Script. Britan. Centur. 2. cap. 73. An verò tunc etiam vivere deſiêrit Wilhelmus, ùt habet idem Balæus, prorſus eſt incompertum. Vidit autem Malmesburienſis, ùt de illo Pitſeus in lib. de illuſtr. Script. Angl. ſcribit, in vetuſtis Codicibus, multa antiquitatis monumenta, quæ ab interitu liberavit. Nec ſatis officio factum putavit, ſi ſolùm vetera & aliena conſervaret, niſi etiam nova & ſua adijceret; & adeò accuratè Hiſtorias Anglicas tractavit, ut vix quisquam in illo genere ſit illi conferendus, nemo anteferendus. Vid. *Pagius* l. c. Etiam *Janningo* noſtro T. VI. Junij p. 166. n. 5. *iſtorum temporum* (ſcilicet Gregorii VII) *Scriptor non ignobilis* dicitur Wilhelmus. Ipſe tamen hic Author ſapienter inter ſuas lucubrationes diſtinxit, neque æqualem omnibus fidem attribuit. Ita enim de antiquioribus Geſtis in totius Operis prologo ſcribit: *Si quis hæc quoque cæptus amore leget, ſciat me nihil de retrò actis, præter cohærentiam annorum, pro vero paciſci: fides dictorum penes authores erit. Quidquid verò de recentioribus ætatibus appoſui* (ſcilicet in Hiſtoria Novella) *vel ipſe vidi, vel à Viris fide dignis audivi. Cæterùm in utramvis partem præſentium non magnipendo judicium, habiturus, ut ſpero, apud poſteros poſt deceſſum amoris & livoris, ſi non eloquentiæ titulum, ſaltem induſtriæ teſtimonium.*

Et ſanè tam in rebus Hiſtoricis, quàm notis Chronicis, vetus Hiſtoria Wilhelmi ceſpitavit, imò & interpolatam ſubinde fuiſſe, credi meritò poteſt. Aliquas duntaxat exerrationes, & interpolationis indicia, hic ſubnectere juvat. I. Duos *Eanbaldos*, Archiepiſcopos Eboracenſes, malè in unum confudit l. 1. de regibus Angl. c. 3.; neque enim Eanbaldus Senior, qui jam anno 780. Archiepiſcopatum Eboracenſem obtinuit, Alcuini diſcipulus fuit (ùt ſcribit Wilhelmus) ſed condiſcipulus: Solus autem Eanbaldus junior, qui anno primùm 796. Archiepiſcopus fuerat renunciatus, Magiſtrum

habuit

habuit Alcuinum. II. è duobus *Asseris*, Schireburnensibus Episcopis, & è duobus *Werstanis*, unum itidem Asserum, unum Werstanum perperam conflavit l. 2. de gestis Pontif. Angl. III. neque dissimili errore ex duabus *Plegmundi* profectionibus Romanis unam unicam fecit, indéque *Formosum* Papam locò *Christophori* vel *Sergii* III. nobis obtrusit. *Vid. Pagius* T. III. Crit. ad a. 778. n. 12. ad A. 894. n. 8. 10. 11. IV. quæ de Aldredi, Archiepiscopi Eboracensis, Simonia Wilhelmus & ex eo quidam Scriptores Anglici tradidêre, commentitia omnino esse, & ex Simeonis Dunelmensis Historia refutari, notat Pagius T. IV. Crit. ad a. 1069. n. 4. V. Reprehendit Baronius Wilhelmum, quòd lib. I. de gestis Pontif. Angl. asserat, Urbanum II. *muneribus victum* Regi Angliæ, in quem anathema jam ferre decreverat, terminum usque ad S. Michaëlis festum prorogâsse. *Eadmerus* contrà (cujus libri Novorum, Baronii tempore, nondum viderant lucem) id solummodo de Curiæ Romanæ ministris affirmat. *Vid. Pag.* T. IV. ad A. 1098. n. 2. VI. Canuti, Angliæ & Daniæ Regis, iter Romanum, quod ad annum 1027. juxta *Wipponem* synchronum debuerat collocari, Wilhelmus cum aliis Scriptoribus Danicis in alios annos falsò conjecit. *Vid. Pag.* T. IV. ad a. 1027. n. 5. VII. multò autem crassior est illa narratio, sive figmentum, quod apud Wilhelmum l. 2. de gestis Regum Angl. c. 12. in hunc modum legitur de *Cunihilde*, Canuti Danorum & Anglorum Regis filia, prima Henrici III. Rom. Regis, ac postea Imperatoris Romani conjuge legitur: *Ad sponsum perveniens, multo tempore fœdus conjugale fovit. Postremò adulterii accusata, puerulum quendam, fratris sui alumnum, quem secum ex Anglia duxerat, delatori, giganteæ molis homini, ad monomachiam opposuit, ceteris clientibus inerti timore refugientibus. Itaque conserto Duello, per miraculum DEI, insimulator, succiso poplite, enervatur. Cunhildis, insperato triumpho tripudians, Viro repudium dedit; nec ultrà minis aut delinimentis, adduci potuit, ut thalamo illius consentiret, sed velum Sanctimonialium accipiens in DEI servitio, placito consenuit otio* &c. Asseclam vel exscriptorem Wilhelmus hic habet Albericum ad A. 1045. Ast *primò*: neque impacti hujus adulterii, neque commissæ monomachiæ, neque dati à Regina repudii, nec denique vitæ monasticæ deinceps ab eadem susceptæ, ullus uspiam scriptor contemporaneus aç præcipuè domesticus sive germanus meminit; etsi aliàs facta similia veteres Germaniæ historici atque chronographi non segniter adnotare consueverint: ùt de *Juditha* Ludovici pii, de *Richarde* Caroli Crassi, de *Oata* Arnulphi Cæsaris, de *Lautberga* Lotharii junioris conjuge

&c. *Secundò*: conſtat tam ex *Wippone* coævo, quàm ex *Annalibus Hildesheimienſibus*, quòd Henricus III. Anno primùm 1036. in Comitiis Noviomagenſibus, menſe Junio celebratis, Cunihildem regio ritu fecerit inaugurari, inauguratámque in ſui deinceps thori conſortem atque Reginam palàm ibidem ſuſceperit. Similiter ex iisdem Scriptoribus diſcimus, quòd jam Anno 1038. XV. Cal. Auguſti, velut in limine vitæ eadem Cunihildis, adhuc Regina & conjux, jam occubuerit, unicam ſolummodo ex Rege filiolam relinquens, quam poſtmodum Chriſto deſponſam Abbatiſſæ honoribus Pater ornavit. Quomodo igitur juxta Malmesburienſis narrationem *multo tempore* conjugale foviſſe fœdus? quomodo poſt factum à Viro divortium inter ſanctimoniales *conſeneſcere* potuit Cunihildis, quæ mox poſt exactum à nuptiis biennium ipſam cum thalamo vitam amiſit? quæ intra hocce biennium filiolam ex Rege progenuit? quæ à Scriptoribus contemporaneis, etiam cùm illius obitum deſcribunt, nulla repudii, nulla vitæ monaſticæ mentione facta, adhuc *Regina*, adhuc Regis *conjux*, diſtinctè compellatur? Veroſimiliùs igitur iſthæc fabula ſuam inde originem ſumpſit, quòd Wilhelmus, aut (quod ſuſpicari malim) imperitus Wilhelmi interpolator, ſive rumore obſcuro, ſive ſcriptô quodam erroneô aut malè intellecto, atque ipſa nominis ſimilitudine deceptus, S. Henrici Imp. ſanctam pariter conjugem *Cunegundem* cum uxore Henrici III. *Cunihilde* oſcitanter confiderit; nam & hanc *Cunihildem*, cùm regios Noviomagi honores inter ſolemnes ſacræ benedictionis ritus conſequeretur, mutato nomine *Cunigundem* cœpiſſe vocari, teſtatur Annaliſta Hildesheimienſis, & confirmat ipſe Henricus III. in charta Traditionis apud Maderum in Antiquit. Brunſvic. p. 219.: in hac enim *beatiſſimæ memoriæ conjugem* ſuam Henricus *Chunigundam* appellat. Quanquam neque *Sanctæ* Cunegundi ea Wilhelmi narratio ex integro poteſt aptari: utpote cujus adjuncta omnia vitio falſitatis laborant, nihilque ex ea veri aut veriſimilitudinis relinquitur, niſi quòd eadem pariter Sancta adulterii inſimulata dicatur, & inter Virgines DEO ſacras (at primùm poſt fata mariti) ſuam denique vitam finierit. Num verò ipſe Wilhelmus aut alius quiscunque amanuenſis poſterior hanc, quam rejecimus, fabulam ſatis palpabilem nobis obtruſerit, certò equidem, niſi ex ipſomet Wilhelmi autographo, id ſtatui poteſt. Ægre tamen illud de Wilhelmo crediderim, qui & Henrici III., ſub annum 1056. defuncti, temporibus vicinior fuit, & tum fortè adhuc ſuperſtes extiterat, cùm Henricus Sanctus anno 1145. ab Eugenio III. tanquam virgineus Cunigundis maritus

in

in Divorum numerum fuiſſet relatus. Certè hodiernas Wilhelmi editiones non modò à librariis in Chronotaxi fuiſſe corruptas (ùt vidit *Pagius* T. IV. Crit. ad A. 1141. n. 8.) ſed & interpolatas, detexit *Uſſerius* & ex eo *Suyskenus* noſter. Nam VIII. recitatur à Wilhelmo l. 1. de geſtis Regum Anglorum cap. 3. Epiſtola S. Sergii I. Pont. Rom. ad Ceolfridum Abbatem, in qua hodie *presbyteratûs* S. Bedæ fit mentio. Atque hic ipſe præmaturior *presbyteri* titulus non parùm hactenus Criticos exagitavit, ipsámque Pontificiæ Epiſtolam in ſuppoſitionis ſuſpicionem adduxit. Vid. *Henſchenius* ad XXVII. Maij in Comm. præv. ad Acta S. Bedæ n. 8. *Mabillonius* Sec. III. Benedictini Parte I. in Elogio Hiſtorico Vener. Bedæ: *Perierus* T. III. Sept. à p. 440. num. 78. ad n. 85. Aſt vocem: *presbyterum*: omnino abeſſe à vetuſtiſſimo Codice Bibliothecæ Cottonianæ, Anglo-Saxonicis characteribus exarato, teſtatur *Uſſerius* apud Davidem Wilkins Tomo I. Conciliorum Magnæ Britanniæ pag. 63. in Annotatis. Unde hac difficultate ſublata, nihil admodum obſtat, quò minùs dicta Sergii ad Ceolfridum Epiſtola ùt genuina nunc admittatur. Vid. *Suyskenus* T. VII. Sept. p. 132. n. 47. in Comm. Hiſt. de S. Ceolfrido. IX. Gregorius VI. apud Wilhelmum l. 2. de geſtis Regum Angl. ita fingitur loqui: *Laudatus eſt olim prædicandæ memoriæ prædeceſſor noſter Hadrianus primus, quòd inveſtituras Eccleſiarum Carolo M. conceſſerit: ita ut nullus electus conſecraretur ab Epiſcopo, niſi priùs à Rege inſigniretur & annulo & baculo* &c. Verùm quemadmodum ipſis Imperatoribus Henrico IV. & V., ita multò magis Gregorio VI., imò & Malmesburienſi Wilhelmo, Henricorum ſynchrono, commentitium hoc privilegium fuit incognitum. Vid. *Gretſer.* in *Comment. Exeget.* cap. 5. & in libro 2. *adverſus Replicatorem* cap. 1. n. 7. ubi de fictitio Hadriani diplomate. Unde alius à Wilhelmo fuerit oportet, qui veroſimiliter ex Gratiani Decreto, aut Sigeberti Chronico, jam interpolato, hoc figmentum excerpſerit, & inſititio ſimul ac oratorio centone Wilhelmum amplificârit. Edita ſunt Wilhelmi Malmesburienſis Opera inter Scriptores Anglicos I. mò Londini A. 1595, Francofordiæ A. 1601. Oxonii A. 1691.

WILHELMUS NEUBRIGENSIS.

WILHELMUS Litle, hoc eſt Parvus, à Neubrigenſis, ſeu Novoburgenſis Collegii incolatu, prope Silvam Cuculinam in Eboracenſi Provincia, Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, dictus vulgò *Guilielmus* ſive *Wilhelmus Neubrigenſis*, *Hiſtoriam Anglicanam* libris quinque complexus eſt, & ab anno 1066. (quo Guillelmus Nothus Normannorum Dux Angliam conquiſivit, inde *Conqueſtor* nuncupatus) uſque ad Annum 1197 & extrema Richardi Thymoleontis Anglorum Regis

Regis tempora res Anglicanas recenſuit : hoc tamen diſcrimine, quòd ab A. 1066 uſque ad A. 1135. ſingula curſim, cetera verò diſtinctiùs uberiúsque pertractet. Natum ſe A. 1135 in Provincia Eboracenſi, tum in Hiſtoriæ ſuæ præfatione, tum l. 1. c. 15. ipſe teſtatur. Laudatur à *Pagio* T. IV. Critic. ad A. 1134. n. 33. ùt *Auctor graviſſimus & ſuppar* in iis, quæ l. 2. cap. 10. de matrimonio Ramiri, antea Monachi, & poſtmodum Arragonum Regis, commemorat; à *Cupero* T. I. Aug. in Hiſt. Chronolog. Patr. CP. p. 205. 206. à n. 1244. ad n. 1248; ùt *Scriptor coævus & teſtis legitimus* in iis, quæ de tumidis & indiſſolutis mortuorum corporibus, ſubin apparentibus & vivos infeſtantibus, narrat; à *Gretſero* T. III. Operum l. 3. de Cruce cap. 6. p. 187., *ùt Hiſtoricus, qui piè, prudenter, ac profundè* de Cruciatis expeditionibus ſcripſerit.

Excuſa *primò* fuit hæc Hiſtoria Antverpiæ A. 1565, ſed undecim capitibus manca; *ſecundò*: Heidelbergæ A. 1587. *tertiò* Pariſiis A. 1610. per *Joannem Picardum*, S. Victoris Pariſienſis Canonicum Regularem, qui eam non modò integram edidit, ſed & doctis annotationibus illuſtravit. *Vid.* de hoc Wilhelmo *Labb.* T. I. Script. Eccl. verbô : *Guillelmus. Nat. Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. p. 538. art. XVII. cap. 6. n. 1. *Pagius* T. IV. Crit. ad A. 1134. n. 33. A. 1197. n. 7.

WILHELMUS TYRIUS.

WILHELMUS Tyrius, natione Syrus, & ab Anno 1175 Tyrenſis Archiepiſcopus, *Hiſtoriam* ſcripſit *rerum in partibus transmarinis geſtarum*, ſive Hiſtoriam belli ſacri, à tempore Concilii Claromontani, ſeu ab A. 1095. uſque ad A. 1184. Comprehendit ea libros XXIII, edita *Baſileæ* A. 1549: *Hanoviæ* A. 1611. inter geſta DEI per Francos. *Natalis Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. p. 537. 538. n. 7. *accurati & elegantis hiſtorici laudem* illi tribuit. *Pagius* T. IV. ad A. 1175. n. 6. ita de eo habet : *Willhelmo Tyrio plurimùm debet Hiſtoria Eccleſiaſtica, cùm ipſe Princeps ſit inter Hiſtoricos belli ſacri.* Tyrius ipſe in præfatione libri XVI, quem ab iis exorditur, quæ ab anno 1142 accidiſſe crediderat, ait, ea ſe *hactenus* narraſſe; quæ relatione acceperat, ſed in poſterum ſcriptis mandaturum, quæ vel ipſemet vidiſſet, vel à teſtibus oculatis didiciſſet.

Nihilominus ad eundem A. 1142 & ſequentes non pauca refert Tyrius, de quibus conſtat, eum malè fuiſſe edoctum, & in iis illius fidem nutare, ùt monet *Pagius* T. IV. Crit. ad A. 1099. n. 18. Neque minùs verè de Tyrio pronuntiavit idem *Pagius* ad A. 1153. n. 19 : *cùm res ab aliis acceptas, non verò à ſe viſas narrat* Tyrius, *ſæpe fallitur*: quod ipſum Pagii aſſertum etiam adducit *Pinius* T. IV. Aug. p. 301. lit. b. in annot. Quoſpiam hujus hiſtoriæ nævos & ſphalmata hic attingamus. I. Incredibile, ne dicam, ridiculum Tyrii opinamentum eſt, quô Theophilum Ep. Antioch. eundem facit cum eo, cui S. Lucas Evangelium

ſuum

ſuum & Apoſtolorum Acta dicavit. Errorem adeò palpabilem notâſſe, refelliſſe eſt. Adi Halloix T. II. Illuſtrium Eccl. Orient. Script. Vit. & Docum. p. 735. obiit enim hic Theophilus Antioch. Anno primùm 181. Vid *Boſchius* T. IV. Jul in Hiſt. Chronolog. Patr. Antioch. p. 13. in S. Theophilo Ep. Antioch. II. Scribit l. 18. cap. 5. (ex eo Jacobus de *Vitriaco* in Hiſt. Jeroſolym. c. 64. & *Bollandus* T. II. Janu. p. 533.) ordinem Equitum Hoſpitalariorum ſub Patrocinio S. Joannis Eleemoſ. fuiſſe erectum. Aſt *Pagius* T. IV. ad A. 1099. à n. 15. ad 19. id rectiùs negat, & ſub S. Joannis Baptiſtæ auſpiciis eam Ordinis inſtitutionem fuiſſe ſuſceptam oſtendit. III. Erga hos ipſos Equites iniquiſſimum prorſus ſeſe exhibet Tyrius l. 18. cap. 3. & ſeqq. item cap. 8. ut meritò *Pagius* ad A. 1155 poſt relata Tyrii dicta, num. 9. ita demum ſubdiderit: *Ex his perſpicuum eſt, Guillelmum Tyrium adeò fuiſſe adverſus Equites Jeroſolymitanos commotum, ut ipſum etiam Hadrianum IV Pontificem, quem conſtat à muneribus alieniſſimum, ſummáque integritate præditum extitiſſe, in crimen vocet, meliores Cardinales vituperet, & non niſi Octavianum (qui poſtea ſub nomine Victoris IV. Antipapa fuit) & Joannem Cardinalem de S. Martino (qui cum ſolo Guidone Cremenſi, poſtea Antipapa ſub nomine Paſchalis III, Octavianum elegit) laudibus ad cœlum efferat; qua in re eò magis reprehenſione dignus, quò hæc ſcripſit Victore IV. Antipapa demortuo, & Alexandro III tam ab Eccleſia Occidentali quàm Orientali Paſtore univerſali agnito. Fides itaque Tyrio adverſus Cardinales illos & Jeroſolymitanos Equites loquenti non adhibenda, explodendúmque commentum, quod ipſe tot Viris doctis perſuaſit, ſcilicet Jeroſolymitanos Equites, poſtquam divitiis abundârunt, ejurâſſe S. Patronum ſuum Joannem Eleemoſynarium, & S. Joannem Baptiſtam in ejus locum adoptâſſe.* IV. vehementer hallucinatus eſt Tyrius, & qui eum ſecutus eſt Baronius ad A. 1182. à n. 4. cùm de Maronitis ſermonem inſtituunt; nam *primò* Monotheliſmum *univerſæ* Maronitarum nationi impingit Tyrius. *Secundò*: aſſerit, *totam* Maronitarum gentem ad fidem Catholicam ſub Aimerico Patriarcha Antiocheno rediiſſe. *Tertiò*: per annos, omnino *quingentos*, Monothelitas fuiſſe Maronitas. *Quartò*: celebratam propter eos fuiſſe Oecumenicam Synodum ſextam, & Maronem in eadem damnatum. Sed hæc omnia falſiſſima eſſe, oſtendit *Pagius* T. IV. ad A. 1182. n. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Traditiones ſcilicet, quas ſecutus eſt Tyrius, errori perſæpe fuêre obnoxiæ, atque Eutychii Patriarchæ Alexandrini, ſub annum 940 defuncti, Annalibus Arabicis frequenter adhæſit, quos fabulis eſſe refertos nemo eruditorum negaverit. Vid. *Pag.* l. c. n. 11. 12. *Sollerius* T. V. Junii in Hiſt. Chronolog. Patr. Alexandr. num. 5. 6. 7. 37. 38. 39. 40. 143. 144. & apud Sollerium l. c. *Naironus*, & *Raynaudus*. V. fallitur Tyrius, dum Balduinum

num III ſub Eugenio III Regem Jeroſolymæ coronatum fuiſſe commemorat; id enim contigit ſub Innoc. II. qui anno 1143 jam è vita migraverat, cùm ex adverſo Eugenius anno primùm 1145 ad Petri cathedram fuiſſet evocatus. Sed nempe fatetur Tyrius, quæ ante annum 1154 Jeroſolymis geſta fuiſſent, ſe non niſi ex aliorum narratione hauſiſſe: ideóque nec mirum, ſi quandoque de illis minùs rite fuerit edoctus. VI. Joannis Comneni obitum, qui contigit A. 1143, Tyrius l. 15. c. 23. integro ſexennio prævertit, & jam A. 1137 mortuum ſcribit. VII. Ludovici Galliarum Regis, & Conradi III. Rom. Regis in Orientem diſceſſum, cladem item Iconienſem, lib. 16. c. 19 & ſeq. refert ad annum 1146, quæ in annum primùm 1147 reijci oportuerat. Et tamen in præfat. lib. XVI teſtatur, ſe ſequentia partim oculata fide conſpexiſſe, partim ab iis, qui geſtis interfuêre, intellexiſſe. Unde patet, vel Wilhelmum, qui complura ex aliis comperit, vel hos ipſos, qui ſua Wilhelmo ſuggeſſerant, in rebus multò antè præteritis memoriâ lapſos. VIII. Aſcalonenſis Urbis expugnatio, quæ accidit A. 1153, à Tyrio l. 17. c. 21. & ſeq. malè in annum 1154 protrahitur. De hujusmodi erroribus chronicis Vide *Pag.* T. IV. ad A. 1142. n. 3. A. 1143. n. 9. 10. 11. A. 1147. n. 12. A. 1253. n. 19. *Boſchius* T. IV. Julii in Hiſt. Chronolog. Patr. Antioch. p. 136. n. 645. Denique numeros in Tyrio ſæpe corruptos eſſe vel ſolus liber ejus XIX perſpicuum facit, dum præter alia annus Incarnationis MCLXV cum anno II Amalrici Regis & IV Idus Auguſti: & paulò pòſt Annus 1167 itidem cum anno II Regni ejusdem & XV Cal. Nov. copulatur. Vid. *Pag.* ad A. 1163. n. 8. *Boſchius* l. c. p. 138. n. 655. Verùm hæc poſteriora menda editorum potiùs & tranſcriptorum, quàm Tyrii, incuriæ ſunt adſcribenda, & ex ipſiusmet Tyrii hiſtoria facilè deprehendi ac corrigi poſſunt.

Cæterùm in iis (certè plerisque) in quibus errâſſe Tyrium, aliunde probari non poteſt, maximam ille Lectoris fidem ſibi meritò poſcit, quia geſtis, quæ narrat, tum ſynchronus fuit, tum ſuppar.

WIPPO. WIPPO, Imperatoris Conradi II, ſive Salici, presbyter Sacellanus, ejusdem Geſta peculiari libello recenſuit, quem ejusdem filio Henrico III dedicavit. Primus Opus hoc eximium & æſtimatiſſimum è ſexcentorum prope annorum tenebris in deſideratiſſimam lucem protulit Piſtorius inter Scriptores Rerum Germanicarum, *Francofordiæ* A. 1607; quam editionem aliæ deinceps excepêre, ſcilicet altera *Francofordienſis* de A. 1653, & *Ratisbonenſis* de A. 1726 per Burchardum Gothelfium Struvium inter Script. Rer. Germanicarum. Nemo eruditorum eſt, qui non Wipponis laborem tum ob diſtinctiorem, quam

conti-

continet, publicorum Imperii negotiorum ac jurium notitiam, tum ob ingenuæ, quam & in Epiſtola nuncupatoria & in ipſo ſui operis prologo palàm profitetur, ſcriptionis fidem atque ſinceritatem ſummopere probet. Et ſanè ipſius plurimùm Wipponis intererat, ne aliter ille, atque res ipſa & geſtorum veritas poſceret, Conradi facta morésque exprimeret, modicam alioquin tam ab Henrico, Conradi filio (cui paternarum rerum utique ſcientiſſimo Opus ſuum nuncupare non dubitaverat) quàm à reliquis peritioribus aulæ Proceribus gratiam ſibi promeriturus, ſi in rebus ſuo illorúmque tempore geſtis falſitatis ſubleſtæque fidei ſua ex culpa potuiſſet redargui. Unde ut ſuam tam Regi, quàm ceteris Lectoribus fidem & ſinceritatis ſtudium magìs commendabile redderet Wippo, ita in Epiſtola dedicatoria ſapienter præmonuit: "Quòd ſi hinc plus vel minus, vel aliter, quàm ſe integritas rerum habet, ſcribo vel dixero, non erit culpa ſcribentis, "ſed narrantis; quoniam cùm plurimum tempus infirmavi, non potui "in capella Senioris mei (*ſic enim Reges antiquitus appellari conſueverant*) Conradi frequenter adeſſe. De his autem, quæ ipſe vidi & ab "aliis accepi, fructum à vobis colligere volentibus ſtylo veritatis inniexus propalabo. - *Et in Operis ſui prologo ſub finem:* cùm de publicis geſtis paratus ſum dicere, præcipuè duorum Acta Regum complectar, ſcilicet Conradi Imperatoris, atque filii ejus Regis Henrici Tertii. . . Patris verò geſta, quæ meis temporibus acciderant, prout ipſe "vidi aut relatu aliorum didici, calamis pingentibus, ignaris ſucceſſoribus effigiabo." Initium hæc Wipponis narratio ſumit ab S. Henrici obitu ſive ab A. 1024: deſinit autem in Conradi Salici morte, ſive in A. 1039. Annum porro orditur Wippo à Nativitate Dominica, ùt notat Pagius T. IV. Crit. ad A. 1027. n. 1. ſimúlque monet, quòd in Piſtorianam Wipponis editionem mendum quoddam irrepſerit; nam in emortuali Conradi Cæſaris die locò XI nonas Junii, quod apud Piſtorium legitur, II. nonas Junii erat ſubſtituendum.

Eſt & alia Wipponis lucubratio, quæ *Panegyricus Henrici III.* dicitur. Totus metricus eſt, & inter lectiones Antiquas Caniſii extat.

WITIKINDUS, Corbejenſis in Saxonia Monachus, qui juxta *Bellarminum* l. de Script. Eccleſ. & *Nat. Alex.* T. VI. Hiſt. Eccl. p. 77. ab anno 946 uſque ad A. 975 floruiſſe dicitur, *tres* edidit *Libros de rebus Saxonum ad Mathildem Reginam, filiam Othonis Auguſti*, ſive de Henrici I, vulgò Aucupis, & ejus filii Othonis I. Imp. rebus geſtis uſque ad hujus obitum, ſive uſque ad A. 973. Variæ ſunt hujus Hiſtoriæ ſive Annalium editiones. 1. *Baſileæ* A. 1532 per Martinum Frechtum. 2. *Francofordiæ* A. 1577 per Reinerum Reineccium. 3. Denuo *Francofordiæ* WITIKINDUS.

die A. 1580 in Tomis Script. rerum Germ. 4. iterum *Francofordiæ* A. 1621 per Henricum Meibomium, Seniorem cum luculentioribus notis, quæ, ùt ait *Labbeus* T. II. Script. Eccleſ. inſtar juſti Commentarii eſſe poſſint. 5. *Helmſtadii* A. 1688 per Henricum Meibomium juniorem T. I. Script. rer. Germ. 6. *Hanoveræ* A. 1707 per Leibnitium T. I. Script. Brunſvic. ubi variæ leguntur collationes Witikindi editi cum MSS. ineditis, quæ tam in Italiæ quàm Germaniæ Archivis v. g. Caſinenſi, Dreſdenſi & Berolinenſi fuêre detecta. Meminêre hujus Witikindi *Sigebertus* cap. 129 de Viris Illuſtr. & in Chronico ad a. 973. *Adamus* Brem. l. 2. cap. 6. *Gobelinus Perſona* Coſmodromii ætate ſexta cap. 36. *Trithemius* in Chron. Hirſaug. ad A. 952 & 954 & in Catalogis Script. Eccl. & Virorum illuſtr. Germaniæ & Ordinis Benedictini, aliique. Vid. *Labb.* l. c.

Neutiquam verò exploratæ fidei ea omnia cenſentur, quæ Witikindus tradit, in iis maximè, quæ ſuam ætatem anteceſsêre. Sic v. g. L. I. longè aliam belli Thuringici, Seculo VI à Clothario I. ſuſcepti, cauſam recenſet Witikindus, quàm retulerit Gregorius Turonenſis, ejusdem Sexti Seculi Scriptor: ſimúlque res eo tempore geſtas diverſis Epiſodiis exornat. Sed eruditiſſimus Eckhartus in Comment. Franc Orient. T. I. p. 56. 57. lib. 4. n. 8. rectè monet, Witikindum magnam narrationis ſuæ partem ex cantilenis Saxonicis accepiſſe, & falſa veris immiſcuiſse; quod ipſum Eckharti judicium etiam probat *Cuperus* noſter T. III. Aug. in Comm. præv. ad Acta S. Radegundis Reginæ p. 49. 50. n. 16. Dein in Hattonem Moguntinum Archiepiſcopum ſatis apertè malevolum ſuum calamum prodit Witikindus, aut potiùs *Witikindi interpolator*, dum duas continenter de Hattone hiſtoriolas refert, ut perfidum proditorémque depingere poſſet. Nam & ejus verſutiâ, contra datam ſecuritatis fidem, Adalbertum Comitem Bambergenſem, Regi Ludovico traditum gladióque mulctatum: & ab eodem Hattone etiam Henrico Saxoniæ Duci ferales inſidias fuiſſe ſtructas, absque ullius alterius contemporanei teſtimonio narrat. Dixi autem: *Witikindi interpolator*: quæ enim in hodiernis Witikindi editionibus de nece per Hattonem Henrico parata leguntur, minimè reperias licet in Codicibus ineditis, quos Leibnitius vidit, ſcilicet Caſinenſi, Berolinenſi, Dreſdenſi. Unde ſatis interpolatio liquet: quæ tamen ne lectorem adverteret, hiſtoriolæ huic alia de Adalberto Comite proximè antè fuerat præmittenda, ut qui primam falſitatem jam imbibiſſet, tantò faciliori credulitate etiam alteram ſubſequentem admitteret. Quòd ſi tamen primam de Adalberto & fictitia Hattonis perfidia narrationem ipſe Witikindus ex unanimi omnium Codicum etiam

MS.

MSS. conſenſione tradidiſſe probetur, illam haud dubiè ex promiſcuis Saxonum, Francis infeſtorum, narratiunculis haufit. Nam & ipſe hæc verba: *ut fertur*: narrationi ſuæ præmittit.

Y.

YVO. Vide lit. I. p. 241. YVO.

Z.

ZONARAS Joannes, ſub Joanne & Manuele Comnenis Magnus Vigiliarum Drungarius, ſeu ùt Latini efferunt, Vigilum Præfectus, ac Primus à Secretis, dein abdicatîs Palatii curis Monachus San-Baſilianus, & Seculi XII Scriptor, ingenti cum labore *Compendium Hiſtoriarum* confecit, quod alii quidem *Chronici*, plures alii *Annalium* nomine paſſim compellant; ùtùt ipſe Zonaras huic Operi ſuo non aliam, quàm *Compendii* ſive *Epitomes* nomenclationem impertiêrit tam in Præfatione Sect. 3. quàm l. 3. Sect. 26. ſub finem. Univerſum verò Opus ipſe Zonaras duas in partes diſtribuit, prout colligitur tum ex Præfationis Sect. 4. tum ex verbis, quibus pars prior ſive liber IX ſect. ult. clauditur, & ſequens liber X. inſcribitur. *Vid.* Præfatio Ducangiana *Edit. Venetæ* in Hiſtoria Byzantina T. VIII. ad Tomum I. Zonaræ. Et pars quidem prior, Hiſtoriæ, quam vulgò ſanctam vocant, ex ſacris Bibliis & ex Joſephi Archologia, compendium ab initio mundi uſque ad Solymæ excidium complectitur, ſimúlque res Græcorum veterum tangit, ac Romanorum deinde ad ea uſque tempora hiſtoriam perducit, quibus Respublica in unius adminiſtrationem ſeu Monarchiam delapſa eſt. Pars altera à Triumviratu orditur, ac recenſitis ſingulorum Imperatorum geſtis, uſque ad Alexii Comneni obitum, ſive uſque ad annum Chriſti 1118, progreditur. *Hieronymus Wolffius*, primus Zonaræ editor atque interpres, contra Auctoris mentem illius Opus in tres partes diſtribuit; contrà verò *Ducangius* tum ut Lectoris animum à continua lectionis aſſiduitate relaxaret, tum ut Zonaræ partitioni ſatisfaceret, Compendium iſtud in 18 libros diviſit, ſed ita, ut primi novem Partem primam, novem reliqui Partem alteram ex Auctoris inſtituto conſtituerent. Editus eſt Zonaras Græcolatinè 1. *Baſileæ* A. 1557. Interprete Hieronymo *Wolffio*. 2. *Pariſiis* A. 1686 per *Ducangium*. 3. *Venetiis* A. 1729 T. VIII & IX Hiſt. Byzantinæ: quæ editio eadem eſt cum Ducangiana. ZONARAS.

Tametſi verò *Leo Allatius* l. 2. de conſenſu utriuſque Eccleſiæ c. 10. §. 6. Zonaram ùt *Schiſmati addictiſſimum*, *Papæ infenſiſſimum*, *Romanæ Eccleſiæ hoſtem acerrimum* deſcribat: idem tamen Allatius in Diatriba de

Georgiis Zonaram ſummopere laudat, ùt videre eſt in præfatione Ducangii, ubi plura in Zonaram elogia ex aliis quoque Scriptoribus congeruntur. Et certè etiam recentioribus Criticis, ùt Pagio & Hagiographis Antverpienſibus tanta Zonaræ, ſua ſcilicet ex aliis Hiſtoricis antiquioribus colligentis, auctoritas viſa eſt, ut & ipſi hujus Scriptoris aſſertionibus quàm ſæpiſſimè ſua dicta ſuffulciant. Illud tamen in confeſſo eſt, Zonaram in Romanorum Pontificum Hiſtoria parùm fuiſſe verſatum; nam aut aliquos Pontifices penitus ommittit, ùt Marcellum, Marcum, Anaſtaſium I. Bonifacium I. &c. aut regiminis annos nunc juſto plures, nunc pauciores aſſignat; in Silveſtro enim & Damaſo viginti omnino & octo Pontificatûs annos contra omnium Hiſtoricorum fidem utrique tribuit; Leonem verò I. annis XXIV ſediſſe aſſerit. Contrà verò Marcellinum ſolummodò duobus, Liberium ſex annis præfuiſſe affirmat; ut alios Pontifices taceam, de quibus libro XII Sect. 34 pag. 487. 488 Edit. Venet. agitur. Alios adhuc Zonaræ errores (qui utiquè in tam operoſa tot Sæculorum collectione hiſtorica, ex aliis rurſum Scriptoribus mutuata, deeſſe non poſſunt) notavit *Poſſevinus* in Apparatu lit. I. verbô: *Joannes*: & lit. Z. verbô: *Zonaras*.

ZOSIMUS. Zosimus Comes, & Fiſci ex-advocatus, libris ſex Hiſtoricum Opus digeſſit: quorum primus Imperatores omnes ab Auguſto ad Diocletianum uſque percurrit, & nudam quodammodo eorum deſignationem ſucceſſionémque recenſet: reliqui verò quinque à Diocletiano uſque ad Alarici, Attali & Honorii tempora latiùs res geſtas pertractant. Edita eſt hæc Zoſimi Hiſtoria I. *Baſileæ* per Joannem Leunclavium, unà cum luculenta pro Zoſimo Apologia, quam idem Leunclavius Hiſtoriæ huic præmiſit. 2. *Francofordiæ* A. 1590 per Fridericum Sylburgium T. III. Scriptorum Hiſtoriæ Auguſtæ. Ait de Zoſimo *Photius* in Bibliotheca Cod. 98. p. m. 102. *Impiam hic paganorum ſecutus religionem, in pluribus adverſus pios ſæpiùs latrat. Alioqui brevis eſt, dictione perſpicuus ac purus, nec ſuavitatis expers.* Et: *Dixerit autem aliquis, hunc non ſuam hiſtoriam ſcripſiſſe, ſed Eunapianam deſcripſiſſe, & partim brevitate duntaxat ab illa differre, partim etiam, quòd Zoſimus non, ùt ille, Stilichonem convitiis proſcindat. Cetera propemodum idem eſt in hiſtoria, pios præſertim Imperatores criminando. Arbitror autem duas hunc quoque, ſicut & illum, Editiones inſtituiſſe: etſi priorem hujus editionem non vidi: conjicere tamen ex editionis novæ, quam nos legimus, inſcriptione licet, etiam alteram hunc, ſicut & Eunapium, publicaſſe. Verùm magis hic planus eſt & brevior, uti diximus, quàm Eunapius, figuriſque non niſi raro utitur.* Baronius ad A. 306. n 18. ita de Zoſimo ſtatuit: *ethnicus homo addictiſſimus ethniciſmo & in Chriſtianam religionem infenſiſſimus, cùm de Chriſtianorum rebus agit, manifeſtus ſæpe convincitur proditor veritatis, & in Conſtantinum*

ſtantinum pariter iniquiſſimus, quem ut deſertorem Deorum exagitat contumeliis: ut intelligas, ipſum in Conſtantinum Philippicas potiùs, quàm Conſtantini hiſtoriam conſcripſiſſe. Neque à Baronio abludit *Caveus*, qui quantumvis heterodoxus, in Hiſt. literaria Script. Eccleſ. p. 269., ubi de Scriptoribus Gentilibus fidem Chriſti Seculo V. damnantibus fit ſermo, hanc Zoſimi libris cenſuram inurit: *In his libris, quoties de rebus Chriſtianorum agit, religionem eorum acriter perſtringit, eóque nomine in omnes pene Principes Chriſtianos, præcipuè in Conſtantinum M. & Theodoſium Seniorem ſtrenuè debacchatur. Non ſum neſcius, Joannem Leunclavium, Virum quidem eruditiſſimum, prolixam Apologiam in Zoſimi gratiam edidiſſe, quâ eum ab injuriis fictisque in Chriſtianos calumniis à livoris & malitiæ labe, quâ flagrabat maximè, omni, quo potuit, ingenii acumine vindicat. Verùm dum hominem gentilem & Chriſtiani nominis hoſtem infenſiſſimum purgat, laterem lavat, & Æthiopem dealbare conatur: &, ut malevoli, ac ſi unquam alius, virulenti Scriptoris cauſam ageret, non modò in Euſebium, Chryſoſtomum, Innocentium, Theodoritum, Photium aliósque Chriſtianæ religionis Antiſtites, ſed & in Conſtantinum Magnum, ejúsque filios, in Jovianum, Valentinianum, Theodoſium, totámque ſequentium Imperatorum proſapiam ſe parùm æquum, quin & in nonnullos acerbum planè & inverecundum manifeſtò prodit.* Tam Baronii, quàm Cavei judicium amplectuntur, Zoſimúmque ùt impium, impudentem, ac infrunitum Chriſtianorum oſorem, fabulatorem & conviciatorem exhibent *Cuperus* T. VI. Julij in Actis S. Innoc. I. p. 550. n. 6. 7. 8. *Pinius* T. III Aug. in Actis S. Helenæ p. 554. n. 29. p. 557. n. 41. 42. *Papebrochius* T. V. Maij in Actis Conſtantini M. p. 30. Dudum verò ante hos omnes jam Seculo VI. hujus Scriptoris ethnici convitia & mendacia acriter perſtrinxit *Evagrius* l. 3. Hiſt. Eccl. cap. 41.

Atque ut aliqua tam figmentorum & mendaciorum, quàm erratorum aliorum ſpecimina ex Zoſimo referamus: ait I. lib. 2. p. 672. edit. Francoford. quòd Conſtantinus M. ex illegitimo Conſtantii Patris cum Helena concubitu prodierit; ideóque Helenam Conſtantii *concubinam*, in deteriorem ſenſum acceptam, Conſtantinum verò ſpurium S. Helenæ filium facit. Aſt fabulam hanc meritò exploſit *Baronius* ad A. 306. n. 18. maximè verò confutavit *Pinius* l. c. à n. 27. ad n. 35. p. 553. 554. 555. II. fingit lib. 2. p. 685. edit. cit. eum, qui Imperatorem Conſtantinum M. ad Chriſtianam religionem amplectendam induxerit, antea aulæ illius mulierculis fuiſſe familiarem: abolitam inſuper tum primùm à Conſtantino divinationis ſuperſtitionem mentitur, quando Criſpus eſt interemptus: id quod tamen multis annis poſt Conſtantini ad ſacra Chriſtiana tranſitum primùm evenit. Vid. *Pinius* l. c. à n. 40. ad n. 47. *Papebroch.* l. c. III. graviſſima omnino & craſſiſſima Zoſimi in S. Innocentium I. calumnia eſt, dum l. 5. Hiſtoriarum obſidionem Romanam enarrans, exe-

cranda

randa gentilium sacrificia ab Innocentio occultè permissa fuisse, falsissimè scribit. Impostūram hanc satis evertit *Baronius* ad A. 409. n. 7. *Cuperus* l. c. n. 6. 7. 8. & n. 35. 38. 39. p. 556. 557. *Pagius* T. II. ad A. 409. n. 4. ipse etiam *Caveus* in Hist. literaria Script. Eccl. a. 1694. Genevæ edita p. 206. Vid. *Cuper.* l. c. n. 7. Ut proinde mirandum, nonnullos Lutheri aut Calvini Sectatores, qui etiam eruditionis criticæ plausum affectant, tam cœco in Catholicos seu Pontificios furore agi, ut unius Zosimi mendacia omnibus veterum Scriptorum testimoniis præferant, & malint sanctissimos Ecclesiæ patres explodere, & famam Christianorum Principium lædere, quàm isti calumniatori ethnico fidem abrogare. Inter hos Zosimi cultores numerandus haud dubiè venit Leunclavius cum sua Apologia, & Joannes Jacobus Hoffmannus, publicus linguæ Græcæ apud Basileenses Professor, qui in suo Lexico universali ad nomen *Innoc.* I. fine ulla crisi ita inverecundè pronuntiat: *Italiâ & Româ à barbaris miserè vexatâ, cùm fidelibus tot mala imputarentur, imprudens numina gentilium placari permisit.* Ita nempe, subdit (*Cuperus* l. c. n. 8.) quidam hæretici Scriptores, in aliis historiis admittendis tam severi, quidlibet facilè credunt, quod in Romanorum Pontificum dedecus potest cedere. IV. Inter complures alios (quos ex Baronio *Possevinus* enumerat in *Apparatu* p. m. 555. 556. edit. Colon.) Zosimi errores & fabulas censetur, quod scribit, Theodosium in itinere CPolitano defunctum (obiit enim Mediolani) dein Athenas tum beneficio armatæ Minervæ, tum Achillis ad prælium parati ibidem apparentis, Gothorum furorem evasisse intactas (& tamen ex Ruffino l. 2. ex Eunapio, Hieronymo, Claudiano, parem eum Corintho & aliis sortem cladémque perpessas fuisse Athenas compertissimum est) denique eminentissimos quosdam, quos Gainæ & Tribigildo placuit dedi ad mortem, ipse per Arcadii filium fuisse sublatos comminiscitur, etsi lucem tunc necdum aspexerit Theodosius, Arcadii filius &c. Vid. etiam *Pagius* de aliis Zosimi hallucinationibus v. g. ad A. 395. n. 14. ad A. 408. n. 2.

Nihilominus ubi Zosimi Diis nec feritur, nec metitur, plerumque huic Scriptori ethnico securè fidem posse haberi, ipse *Cuperus* non negat l. c. n. 36. & admittit *Pagius*, qui multoties Zosimi assertis inhæret v. g. ad A. 398. n. 14. 23. ad A. 399. n. 4. ad A. 400. n. 7. A. 404. n. 26. A. 406. n. 3. 4. 12. A. 407. n. 6. 7. A. 409. n. 3. A. 410. (ad quem usque Zosimi Historia pertingit) n. 14. & 5. Nec immeritò; nam & antiquus, & in plurimis partim coævus, partim sub æqualis Scriptor is fuit, qui sub Arcadii & Theodosii junioris tempora vixit.

O. A. M. D. G.

INDEX SCRIPTORUM ET RERUM,

Quæ

in hoc Volumine continentur.

A.

ABBO San-Germanenſis, diſtinguendus ab Abbone Floriacenſi. *pag.* 30. neque Gauzlino Epiſc. Pariſino: ſed Gauzlino fratri ſuo Germano Poëma ſuum inſcripſit. *pag.* 30. 31. 32.

ACTA *SS.* Antverpienſia. Eorum collectores & illuſtratores. *p.* 34. Aliorum de iis judicia. *p.* 35. 36. 37. eorundem Actorum in Hiſpaniis fata & vices. *p.* 38. 39.

ADAMUS Bremenſis. Ejus Hiſt. Eccleſ. *pag.* 39. 40.

ADELMUS & ADEMARUS. Malè ſub eorum nomine publicati ſunt *Annales Francici. pag.* 40. 41.

ADEMARUS Cabannenſis. Chronicon illius non ubique ſatis exactum. *p.* 41. 42.

S. ADO Viennenſis. Ejus Chronicon quousque ſe porrigat? *p.* 42. mendoſæ illius Editiones. *Ibid.* ipſius Chronici errata. *Ib.* Magna Martyrologii Adoniani auctoritas. *p.* 42. 43.

ADREVALDUS, modicæ fidei Scriptor. *pag* 43. 44.

ADSO Dervenſis. Fabuloſam S. Manſueti vitam contexuit. *p.* 44. non tamen ubique rejudiandus. *p.* 44. 45.

ADSO Luxovienſis. *p.* 45.

AENEAS Sylvius. *p.* 45. 46. Hutteni in eundem calumnia. *Ib.*

AERA Alexandrina. *p.* 471.

ÆTHIOPIA Septentrionalis quandonam Chriſtianam fidem exceperit? *p.* 477. 486.

AGNELLUS, qui & ANDREAS Presbyter. Ejus in ſcribendo nævi atque audacia. *p.* 46. 47. 48. malè confunditur cum Agnello Archiep. Ravennat. *Ib.*

S. AGOBARDUS. Varia ejusdem Opera per Papyrium Maſſonum fortuitò ab interitu vindicata. *p.* 48. 49.

AIMOINUS. Ejus Hiſtoria ubinam definat? *p.* 49. Ejus Auctoritas. *p.* 50. 51.

ALANUS de Rupe. Auctor ſuppoſititius & fabulator. *p.* 51. 52. 406. 407.

ALBERTUS Argentin. Ejus Chronicon ab Editoribus depravatum, *p.* 52.
ALBERTUS Kranzius. *Vide* lit. K.
ALBERTUS Stadenſis. *p.* 52. Chronicon illius partim corruptum, partim interpolatum. *p.* 53. 54. 55. 56.
S. ALEXANDER I. Pont. Rom. utrum Martyribus ſit accenſendus? *p.* 484. n. 5. Ejusdem S. Alexandri Acta quam fidem faciant? *p.* 481. n. 4. *p.* 483.
ALEXANDER Natalis. Ejus lucubrationes. *p.* 56. illius in Principes ſtudium partium, aut averſio: in S. Gregorium VII. & Eccleſiam Romanam minùs æquus: ſuis etiam principiis & regulis criticis non raro contrarius. à *pag.* 57. ad *p.* 61.
S. ALEXIUS Conf. Rom. an idem reipſa ſit cum Joanne Calybita, ùt exiſtimavit Tillemontius? *p.* 488. 489. n. 6.
ALLATIUS Leo. Ejus Opera. *p.* 61. quædam illius hallucinationes tum circa alia, tum circa lumen Thaborium & Divinam Eſſentiam in hac vita à mortali homine conſpicabilem. *p.* 62.
ANASTASIUS Bibliothecarius. *p.* 62. 63, 64. 119. 262. 263. quorumnam Pontificum vitas ſcripſerit. *p.* 63. 64.
ANDREAS Ravennat. *Vide* Agnellus.
ANDREAS Ratisbon. Quanti Chronicon illius habendum? *p.* 65.
ANGLI Scriptores, in prodigiis Sanctorum enumerandis liberaliores, quàm veraces. *p.* 233.
ANNALES *Bertiniani.* Undenam illorum compilatio, & quinam Auctores? *p.* 65. malè impugnantur à quibusdam heterodoxis. *p.* 66. 67. etſi ſphalmata quædam non deſint. *p.* 67.
ANNAL. *Fuldenſes.* Unde hoc nomen? *p.* 67. 68. de illorum Continuatoribus. *ib.* horum Annalium ætas & commendatio. *ib.*
ANNAL. *Hildeshemienſis.* Diverſi eorundem Auctores fide digniſſimi *p.* 69. 70.
ANNAL. *Lambeciani.* Antiquiſſimi ſunt & Annalium Moiſſiacenſium præambuli. *p.* 70. 71.
ANNALES *Laurisheimienſes*, qui & EGINHARDI dicuntur. Argumenta pro Eginhardo Auctore ex Odilone, Quercetano & Lambecio à *pag.* 1. ad *p.* 7. §. 1. 2. 3. Argumenta contraria Cointii, Pagii & Eckharti, eorundémque ſolutio. à *p.* 7. ad *p.* 25. à §. IV. ad §. X. Eginhardus veroſimilior Auctor ſtatuitur. à *p.* 25. §. XI. Gundlingiana circa hos Annales aberratio. *p.* 28. 29. §. XII.
ANNAL. *Loiſeliani.* ſummo loco habendi. *p.* 71. 72. num Annales *Caniſiani*, qui Tomo III. Lectionum Antiquarum extant, re ipſa diſtinguantur à *Loiſelianis*? *p.* 72. 73.
ANNAL. *Maſciacenſes. p.* 73. Eorum cum Petavianis conſenſio. *p.* 74. recentioribus additamentis non carent. *ib.*
ANNAL. *Metenſes.* Ex variis aliis antiquiſſimis Annalibus ſunt conflati. *p.* 74. num Regino hunc Annaliſtam, an hic Reginonem exſcripſerit? *p.* 74. 152. 153. hodierna illorum Editio paraehroniſmis laborat. *p.* 74. 75.
ANNAL. *Moiſſiacenſes.* pariter ex diverſis Veterum probatiſſimis Scriptis collecti. *p.* 75.
ANNAL. *Nazariani. p.* 75. impropriè ſic dicti *p.* 76. eorum Antiquitas. *ib.*
ANNAL. *Petaviani.* Vetuſtiſſimi quidem, at nonnihil interpolati. *p.* 76. 77.
ANNAL. *Pithœani.* Vid. ſuprà *Fuldenſes.*
ANNAL. *Ratisbon. p.* 77 num Ratisbonenſes, an potiùs Salisburgenſes ſint compellandi? *ib.*
ANNALISTA vel *Chronographus Saxo.* Multùm à Criticis æſtimatur: in Chronotaxi tamen ſubinde labitur. *p.* 77. 78. 185.
ANNALISTA *Saxo Poëta.* Scriptor antiquus, qui ſua ex optimis Auctoribus hauſit. *p.* 78.
ANNAL. *Tiliani.* Sub initium Seculi IX. fuêre conſcripti. *p.* 78. 79. De illorum Auctore conjectura Eckarti. *p.* 79.
ANNIUS *Viterbienſis.* Auctorum commentitiorum propola aut plaſtes. *p.* 79. 80. 81.
S. ANNO Colon. Archiep. Fictitia Henrici IV. ad eundem Epiſtola à *p.* 382. ad *p.* 403.
ANONYMUS Ludovici Pii biographus, in rebus geſtis, quàm geſtarum Epochis exactior. *p.* 81. 82.
ANONYMUS Biographus S. Remberti. *p.* 82.
S. ANTONINUS. De hiſtoricis ejusdem Scriptis judicium Melchioris Cani, Natalis Alexandri, & Guilielmi Cuperi. *p.* 82. 83.

ARDO,

ARDO, S. Benedicti Anianenſis diſcipulus & biographus ſincerus. *p.* 83.
ARNOLDUS *Lubecenſis*. *p.* 83. Ejus Chronicon Slavicum Scholiis heterodoxorum contaminatum. *p.* 84. num & in ipſo textu alicubi interpolatum? *ib.*
ARNULPHUS Mediolanenſis, Schiſmaticus, & in variis ſuſpectæ aut malæ fidei ſcriptor. *p.* 85.
AVENTINUS. Ejus Auctoritas plerumque modica, incerta, aut nulla; unde perperam à quibusdam laudatus. *p.* 85. 86. 87.
S. AUGUSTINUS. Operum illius recentior Editio Batava, ſanè corruptiſſima, & per palmares impudentiſſimi Joannis Clerici ſycophantias adulterata. *p.* 87. 88.

B.

S. BABYLÆ Acta. *p.* 481. n. 4.
BAILLETUS Adrianus, Scriptor pſeudo-criticus, audax, irreverens, ſibi contrarius. *p.* 88. 89. 90. 91.
BALÆUS Joannes, rabula verius, quàm Scriptor. *p.* 92.
BALDUINUS Orientis Imp. quo mortis genere ſublatus? *p.* 289. 290. 191. refellitur Nicetas. *ib.*
BALSAMON Thedodorus. Ejus Opera. *p.* 92. calamus mendax atque ſchiſmaticus. *p.* 93. 94.
BALUZIUS Stephanus, non ubique ſat cautus atque ſincerus. *p.* 95.
BARONIUS Cæſar. *p.* 95. 96. aliorum contra Baronium latratus. *p.* 96. de XI. Tomo Baroniano & ejus fatis. *p.* 96. 97.
BASNAGIUS Samuel, mali furfuris Scriptor. *p.* 97. 98.
BEDA. *p.* 98. Ejus Martyrologium genuinum: ſpurium aliud ſub illius nomine vulgatum. *p.* 99. 100.
BELLARMINUS Robertus. *p.* 100. num in ſcriptionibus ſuis plagii poſſit redargui? *p.* 100. 101.
BENNO Pſeudo-Cardinalis, inſignis impoſtor. *p.* 101. 102. qui tamen veroſimiliùs nuſpiam extiterit, nec unquam vixerit. *p.* 102. 103.
BERTHOLDUS Conſtantienſis. Vid. *Chronicon.*
BIVARIUS Franciſcus, fabuloſi Chronici inutilis vindex. *p.* 104.
BOEHMERUS Juſtus Henningius, primæ claſſis calumniator & nugivenduſinus mendaciſſimus. *p.* 104. 105. 106. 107. 108.
BONFINIUS Antonius, rerum Hungaricarum Scriptor laudatiſſimus. *p.* 108.
BREVIARIUM. Hujus in hiſtoricis rebus auctoritas. *p.* 108. 109. 110.
BRUSCHIUS Caſparus, fabulis liberaliter indulgens. *p.* 110. accuſatus de plagio ob Tractatum de Laureaco veteri. *ib.*
BUCELINUS Gabriel, feſtinantior ſubinde quàm veracior Scriptor. *p.* 111. 112.
BUCHELIUS Arnoldus, Becani Scholiaſtes inverecundus & impudens. *p.* 112. 113.
BURGUNDUS Nicolaus, Ludovici Bavari Apologeta minùs fortunatus. *p.* 113.
BZOVIUS Abrahamus, Scriptor haud ſatis criticus nec accuratus: Eruditorum de illo Cenſuræ. *p.* 113. 114. 115.

C.

CÆLESTINUS. Vide *Celeſtinus.*
CÆSARIUS Heiſterbacenſis. Non eadem omnium illius lucubrationum conditio; quædam in iis probantur, quædam improbantur. *p.* 115. 116.
CALIXTUS II. peſſimè ab Oudino dicitur Auctor tam Opuſculi de Miraculis S. Jacobi Majoris, quàm Hiſtoriæ Caroli M. quæ ab aliis Turpino tribuitur. *p.* 316. 317.
CALVINUS, Hiſtoriæ corruptor. *p.* 117.
DU CANGIUS, optimè de republica literaria meritus. *p.* 117.
CANTACUZENUS, ſuis in Scriptionibus privato ſubin affectui litans. *p.* 117. 118.
CAROLI M. peccatum, præ pudore in confeſſione reticitum, divinitus tamen remiſſum, pinguem fabulam ſapit. *p.* 250.
CATALOGUS PONTIFICUM. Ejus collectio unde? qui nævi, quæ auctoritas? *p.* 118. 119.
CATALOGUS *Archiep. Salisburg.* valde corruptus atque confuſus. *p.* 119. 120.
CAVEUS Guilielmus, craſſis ſallitatibus atque conviciis minimè caret. *p.* 120. 121.

CEDRENUS Georgius. p. 121. 171, num plagiarius jure dici poſſit? p. 122. 123. Xylandri interpretis impoſtura. p. 123.
CELESTINUS III. num pedibus ſuis Imperialem coronam Henrico VI. Imperatori de vertice rurſum decuſſerit? p. 233. 234. 235.
CERROS in Epiphaniæ feſto accendendi ritus, apud Latinos vetuſtus. p. 93.
du CHESNE Andreas, de Hiſtoricis antiquitatibus atque Scriptoribus ſingulariter meritus. p. 123. 124. erga ſuos tamen benefactores Bollandianos minùs gratus ac reverens, p. 124. 125.
CHRONICON *Alexandrinum*. Variæ illius nomenclationes. p. 125. quis Auctor? *ib.* & p. 126. diverſæ de illius Auctoritate Criticorum ſententiæ. *ib.*
CHRON. *Beneventanum*, maximi habitum ab eruditis. p. 127.
CHRON. *Bertholdi Conſtantienſis*, optimæ fidei, in Chronologia tamen minùs limatum. p. 127. 128.
CHRON. *Caſaurienſe*. p. 128.
CHRON. *Caſinenſe*. p. 128. 372. 373. à quibusdam ejus Auctoritas impugnata, ab aliis propugnata. p. 129. illius Editio per Lauretum Abbatem peſſimè deturpata. p. 129. 130.
CHRON. *Centulenſe*. Ejus Auctor & Continuator. p. 130. 131.
CHRON. *Conradi Urſpergenſis*. Plures in eo laborârunt, & continuârunt, diverſiſſimis inter ſe ſtudiis acti. p. 131. ab heterodoxis Editoribus non parùm eſt depravatum. p. 132. 133.
- - - *CPolitanum*. Vid. *Chron. Alexandr.*
- - - *S. Datii*, perperam huic Sancto ſuppoſtum. p. 133. 134. verus illius Auctor. p. 134. & p. 252, verbô: *Landulphus Senior.*
- - - *Euſebii* & ejus continuatorum. à p. 134. ad p. 137.
- - - *Farfenſe*. p. 138.
- - - *Fontanellenſe*. p. 139.
- - - *Fredegarii*. p. 139. de illius Continuatoribus. p. 139. 140.
- - - Breve *S. Galli*. p. 141.
- - - *Hermanni Contracti*. p. 141. 144. diverſa hujus Chronici exemplaria. p. 141. num unus idémque eorum ſit auctor Hermannus? p. 142, 143.
- - - *Hildeshem*. Vid. *Annales Hildesh.*
CHRONICA *Hiſpanica*, fabulis inſigniter farta. p. 144. 145.
- - - *Hugonis Flaviniacenſis*. Vid. infrà *Chron. Virdun.*
- - - *Luitprandi*, Vid. *Chron. Hiſp*, & p. 266. verbô: *Luitprandus.*
- - - *Magnum Belgicum*. p. 145. 146.
- - - *Mariani Scoti*. p. 146. diverſus hic Marianus à Mariano Ratisbonenſi. p. 147. de Mariani continuatore *Dodechino*. p. 147.
- - - *Martini Poloni*. p. 147. Ejus Editio interpolata. p, 148. de Martini continuatore. *ib.*
- - - *Moiſſiac*. Vid. *Annal. Moiſſiac.*
- - - *Orientale*. p. 148. parùm illud ad veritatem hiſtoricam confert. p. 149. 150.
- - - *Paſchale*., Vid. *Chron. Alexandr.*
- - - *Reginonis* p. 150. 154. unde ſua deprompſerit Regino. p. 151. num Annales Metenſes ipſe exſcripſerit. p. 151. 152. 153. hodiernæ Reginonis Editiones in notis Chronicis mendoſæ. p. 153. Adalberoni Auguſtano ſuum Opus inſcripſit Regino. p. 153. 154.
- - - *Sigeberti* p. 154. ejus Continuatores. p. 154. Editiones variæ, ſed interpolatæ. p. 155. quid de Sigeberto Critici ſinceriores pronuntient? à p. 155. ad p. 158.
- - - *Victoris Tunnunenſis* Vide *Victor.*
- - - *S. Vincentii*. verior in eo deſideratur Chronologia. p. 158.
- - - *Virdunenſe*. p. 159. ejus de B. Victore III. figmentum. *ib.* alia hujus Chronici menda. p. 159. 160. 534.
CICARELLUS *Alphonſus*, notus deceptor. p. 160.
CIGALA *Matthæus*, exigui nominis & meriti Scriptor. p. 160. 161.
CINNAMUS *Joannes*, ſubinde græcæ fidei hiſtoricus, nunc decipiens, nunc deceptus. p. 161. 162.

Clericus *Joannes*, Scriptor mille ſpongiis ac ferulis dignus. *p.* 162. 163.
Cointius *Carolus*, etſi in multis laudandus, omnium tamen, præter ſuam, nationum ſugillator: aliorum quoque labores exſcribens, quorum tamen nomina tacet. *p.* 163.
Columbæ in Latinorum Eccleſiis feſto Pentecoſtes emittendæ ritus antiquus. *p.* 93.
Comnena *Anna*: elegans, ſi ſtylum: ſchiſmatica, ſi animum & calamum ſpectes; nam latinis infenſiſſima fabulas interdum obtrudit atque calumnias. *p.* 164. 165.
Conradus *Urſperg.* Vide *Chron. Conradi*,
Conringius *Hermannus*. Ejus in ſcribendo character. *p.* 166. ferociſſima illius ſcommata, & nodoſa mendacia. *p.* 166. 167. 168. perperam traducit Rodulphum Glabrum. *p.* 198. 199. 200.
Conſtantinus M. an ex illegitimo Conſtantii cum Helena concubitu natales acceperit. *p.* 288. 289.
Coppenstein. Vide *Alamus*.
Cranzius. Vide *Kranzius*.
Crusius *Martinus*, Scriptor erraticus & fraudulentus. *p.* 168. 169. 170.
Curopalates *Joannes*. *p.* 170. commenta ſubinde recenſet. *p.* 171.
Cuspinianus *Joannes*. Poſthuma Hiſtoriæ Cæſarum Editio meritò vapulat. *p.* 171. num figmenta ibidem inſperſa Cuſpiniano, an potiùs Editori ſint tribuenda? *p.* 171. 172.

D.

Dacherius *Lucas*. *p.* 172.
B. Damiani *Petrus*. *p.* 172. quænam illius Scriptis quibuspiam fides ſit debita? *p.* 173, 174.
Datius. Vide *Chron. Datii*.
Dempsterus *Thomas*, minùs ſapiens ad ſobrietatem, & Criticis parùm æſtimatus. *p.* 174. 175.
Deus, ſive divina eſſentia utrum in hac vita à mortali homine poſſit videri? *p.* 62.
Ditmarus. *p.* 175. 176. Reinecciana Ditmari Editio atque in Gregorium V. calumnia perſtringitur. *ib.* quid de Editione Leibnitiana ſit ſtatuendum? à *p.* 176. ad *p.* 179.
Dodechinus. Vide *Chron. Mariani Scoti*.
Dorothei, vel potiùs pſeudo-Dorothei Scripta. *p.* 126.
Du-Chesne. Vide lit. C, du *Cheſne*.
Du-Fresne. Vide lit. C. *Cangius*.
Dupinus *Ludov. Elias*, hypercriticus & mendacius audaciſſimus. *p.* 179. 180.

E.

Ecclesia *Romana*. Ejus Auctoritas & prima in Conciliis ſedes debita. *p.* 490. Quantum in illam, tanquam meretricem Babyloniçam, bacchetur Schardius petulantiſſimus. *p.* 413. 414. 415. Ejusdem Eccleſiæ auctoritas in Cenſuris librorum. *p.* 204. Utrum extra illius communionem dari poſſit vera Sanctitas verúmque Martyrium? *p.* 58. 59. 500. 501. 502. 503. Utrum Eccleſia *Romana*, & *Catholica* inter ſe diſtinguantur, ac proinde extra *ſolius Romanæ* Eccleſiæ communionem dari Sanctitas poſſit? à *p.* 499. ad *p.* 508.
Echardus *Jacobus*. *p.* 180. circa corporalia hæreticorum ſupplicia ſingularis ejusdem opinio. *ib.* S. Franciſci Borgiæ nobilitatem imperitiſſimè negat. *p.* 181.
ab Eckart *Georgius*. Ejus laudes, & quidam in hiſtoria lapſus. *p.* 181. 182. 183.
Eckehardus *Uragienſis*. *p.* 183. & *p.* 77.
Eginhareus, Caroli M. biographus celebratiſſimus. *p.* 184. & *p.* 78.
Egolismensis Monachus, Caroli M. biographus. *p.* 184. 185.
Ephesini Conciliabuli Acta per Dioſcori notarios infideliter ſcripta. *p.* 480.
Ekkehardus San-Gallenſis. Varii ejusdem nominis cœnobitæ San-Gallenſes diſtinguendi. *p.* 185. 186.
Episcopi Episcoporum titulus, jam ab antiquiſſimis temporibus Pontifici Romano peculiaris. *p.* 498. 499.
Erchambertus, vetuſtiſſimus Scriptor. *p.* 186.

ERCHEMPERTUS, *Erempertus*, & *Heremberus*. *p.* 186.
ERMOLDUS *Nigellus*. *p.* 186. confundi non debet cum Ermenoldo Elwangenſi aut Nantuacenſi. *p.* 187. 188.
EVANGELIUM *æternum*. *p.* 333.
EUGENII II. de Pontificia Electione Decretum prætenſum, probabiliùs ſpurium ac commentitium. à *p.* 360. ad *p.* 371.
S. EUPHEMIÆ. Acta. *p.* 483.
EUSEBIUS *Cæſarienſis*: de ejus Chronico Vid. *Chron. Euſebii*. de illius Hiſtoria Eccleſ. *p.* 188. 189. 480. 481.
EUTROPIUS, Scriptor Romanus. *p.* 189.
EUTROPIUS *Longobardus*, ſcriptor novitius, fictitius, atque rudiſſimus. *p.* 189. 190. 191.

F.

FALCO. Vide *Chron. Benevent.*
FASTI SICULI. Vid. *Chron. Alexandr.*
S. FAUSTUS Rejenſis. Ejus honor & Sanctitas malè laceſſitur à Tillemontio. *p.* 494. n. 10.
FLEURY *Claudius*. Ejus Hiſtoria Eccleſiaſtica & Inſtitutiones Eccleſiaſticæ non rarò extra orbitam ſaltitant, nec ſine magna cautela criterióque legendæ, *p.* 191. 192. 106. 107. 108. pejus adhuc Fleurianas Inſtitutiones ſcholiis ſuis commaculavit Böhmerus. *p.* 106. &c.
FLODOARDUS. *p.* 192. 193.
FŒMINÆ illuſtres, liberalibus diſciplinis & latini maximè ſermonis uſu antiquitus excultæ. *p.* 405. 406.
S. FRANCISCI SALESII Epiſtola ad Leſſium de Prædeſtinatione ad gloriam, meritis prævisis nixa, ab impacta ſuppoſitionis nota adverſus Graveſonium vindicatur. *p.* 215. 216. 217. 218.
FREDEGARIUS. Vid. *Chron. Fredeg.*
FREHERUS *Marquardus*. Variæ hujus lucubrationes. *p.* 193. 194. Scriptoris hujus malignitas. *p.* 194. 195. 196.
DU FRESNE, Vid. *Cangius*.
FRIDERICUS II. Imp. utrum Ordinis Joannitici Equites eundem prodere voluerint Soldano Babyloniæ? *p.* 330.

G.

GEORGII *Jacobus Fridericus*, infamis blatero, multiplex ſtigma promeritus. *p.* 196. 197. 198.
GESTA FRANCORUM. Eorum figulus non parùm fabuloſus. *p.* 50. 51.
GLABER *Rodulphus*, in quibusdam reprehenditur. *p.* 198. defenditur autem adverſus Conringium. *p.* 198. 199. 200.
GODEFRIDUS *Viterbienſis*. Ejus Chronicon pluris æſtimandum, ſi aut minùs eſſet fabuloſum, aut minùs interpolatum. *p.* 200. 201. 202. 203. 204. Godefridi ſententia de Romanæ Sedis auctoritate in Cenſuris librorum. *p.* 204.
GOLDASTUS *Melchior*, holophanta & latrator inſignis, ac Sanctionum utopicarum fabricator imperterritus. *p.* 204. 205. 206.
GRÆCI Scriptores Schiſmatici. Horum in corrumpendis veterum Scriptis perfidia uſitatiſſima *p.* 206. 207. 208.
GRATIANUS. Ejus Auctoritas in rebus hiſtoricis minimè peremtoria. *p.* 208. 209.
GRAVESON *Hyacinthus*, partium ſtudioſus & in Auſtriacos Cæſares Rhadamantus rigidior. *p.* 209. 210. 211. ſuarum quas ſemel imbibit opinionum adorator immodicus, & aliorum contra ſentientium caſtigator atque contemptor iniquus. *p.* 211. 212. 213. 214. 215. 218. 219. quandam S. Franc. Saleſii Epiſtolam, certè authenticam, ipſe ut ſpuriam & ſubleſtæ fidei mercem ineptiſſimè omnino ac temerè rejicit. à *p.* 215. ad *p.* 218.
S. GREGORIUS *Turonenſis*. *p.* 219. Ejus ſincera fides & Auctoritas hiſtorica adverſus obtrectatores defenditur. *p.* 220. 221. 222.
GREGORIUS V. Reinecciana in eundem calumnia *p.* 175. 176.
S. GREGORIUS VII. Ejus ſcriptores vindices, & ſparſa de illo mendacia. *p.* 101. 102. 156. 157. 164 purgatur à calumniis, per fictitiam Henrici IV. ad Annonem Epiſtolam jactis. à *p.* 383. ad 401.
GUILIELMUS *Bibliothecarius*. Vid. *p.* 64. verbò: *Anaſtaſius*.

GUILIELMUS *Apulus*
Malmesburienſis.
Neubrigenſis.
Tyrius.
} Vide *Willelmus.*

GUNDLINGIUS *Nicolaus*, perfrictiſſimæ frontis ſannio, & Zoilus arroguntiſſimus, qui nec ſummis Eccleſiæ & ſæculi Principibus parcit, & in omnes hominum Ordines canino dente graſſatur. à *p.* 222. ad *p.* 228.

H.

HÆRETICORUM corporalis punitio an improbanda? *p.* 180.

HATTO *Moguntinus.* Vid. *Witikindus.*

HEDERICH *Benjaminus*, dum de Pontificum Romanorum factis & fatis propudioſiſſimum compendium texit, ipſe ſcurrarum alpha atque compendium ſeſe demonſtrat. *p.* 229. 230. 231.

HENRICI III. Imp. natales commentitii refutantur, *p.* 202. 203. Fabula de illius conjuge. *p.* 549. 550. 551.

HENRICI IV. Epiſtola ad S, Annonem, recentioris ævi cerebríque inventum. à *p.* 382. ad *p.* 403. ejusdem mores & vitia. *p.* 543. n. 7. 8.

HELMOLDUS. Vide *Chron. Arnoldi Lubec.*

HEPIDANNUS. *p.* 232. Chronologus parùm accuratus. *ib.*

HERM. CONTR. Vide *Chron. Herm.*

HERODOTUS. Ejus narrationes non ubique reijciendæ. *p.* 233.

HIBERNI Scriptores, in Sanctorum prodigiis plus copióſi, quàm ſinceri. *p.* 233.

S. HIERONYMUS. Vid. *Chron. Euſeb.*

S. HILARIUS Ep. Pictav. Fragmenta quæpiam quæ ſub illius nomine adverſus Liberium Pontificem allegari conſueverant, non Hilario, ſed alteri imperito collectori & conſarcinatori debentur. *p.* 489. 490. num. 7.

S. HILARUS Pont. Rom. præpoſterè ſuggillatur à Tillemontio. *p* 495. 496. ubi ſimul notandum, quòd *p.* 495. in lineam 19. 20. 21. irrepſerit mendum, & locò *Stephani*, qui ibi legitur, *Hilari* nomen ſit ſubſtituendum.

S, HILDEGARDI falsò tribuitur ab Oudino & Pſeudo-Pariſio vaticinium de quatuor Ordinibus mendicantibus & Jeſuitis. *p.* 318. 319. 320. 334.

HILDESHEMIENSIS Annaliſta vel Chronographus. Vid. *Annal. Hildesh.*

HOVEDENUS *Rogerius*, majorem in rebus Anglicis, quàm extra Angliam geſtis fidem meretur. *p.* 233. 234. 235. fabula de Celeſtino III. *ib.*

S. HORMISDAS Pont. Rom. minùs reverenter habetur à Tillemontio. *p.* 496. 497. n. 11.

HUGO *Flaviniacenſis.* Vid. *Chron. Virdun.*

I.

S. JACOBI *Majoris* corpus utrum in Hiſpanias fuerit translatum? *p* 484. n. 5.

S. JACOBUS *minor* utrum idem ſit cum *Jacobo fratre Domini*? *p.* 479.

IDATIUS. Quousque Chronicon ſuum produxerit? *p.* 235. 236. Ejus Editiones non ſatis ſinceræ. *p.* 236. 237.

S. INNOCENTIUS I. De Zoſimi in eundem calumnia. Vid. *Zoſimus.*

INNOCENTIUS II. non reſtituit Lothario II. jus inveſtituræ per annulum &c. *p.* 375.

JOANNES *Metenſis*, biographus S. Glodeſindis V. *p.* 237.

JOANNES *ſine Terra*, R. Angliæ, fabulosè traducitur à Pariſio vel pſeudo-Pariſio. *p.* 230. 231. 232. 233.

JOSEPHUS *Flavius*, à vero ſæpe alieniſſima narrat. *p.* 237. 238.

IPERIUS *Joannes.* Ejus Chronicon plus juſto à Martenio laudatum. *p.* 238. 239. 240.

ISIDORUS *Mercator.* Complures Pontificum Decretales Epiſtolæ, ex ejus officina productæ, cenſentur ſuppoſititiæ, & ex aliis poſteriorum Epiſtolis conſarcinatæ. *p.* 240. 241.

IVO *Carnotenſis.* Ejus Scripta partim genuina, partim ſpuria. *p.* 241. 242.

JUSTINIANUS *Imp.* Quæ cauſa illum ad expeditionem in Africam impulerit? num Procopius & Victor Tunn. ſibi repugnent? *p.* 512. 513. 514.

K.

KALENDARIA. Antiquiorum varietas & utilitas. *p.* 242. 243.
KHAM *Corbinianus*. *p.* 243.
KÖHLERUS *David*. Si fabulas, convitia, atque mendacia expunxiſſet, Scriptor non penitus contemnendus. à *p.* 243. ad 249.
KRANZIUS *Albertus*. *p.* 250.

L.

LAMBERTUS *Schaffnaburgenſis*, meritò commendandus. *p.* 251. ejus Continuator. *ib.*
LANDULPHUS *Senior*, Scriptor Schiſmaticus. *p.* 85. & 252. Chronici etiam pſeudo-Datiani compilator is creditur. *p.* 252.
LANDULPHUS *junior*, pariter Schiſmaticus: in multis tamen ad Hiſtoriam ſervit. *p.* 252.
LANGLET *du Fresnoy*, magis dilaudandus, ſi Auctorum, quos ſecutus eſt, aut ſequi debuerat, delectum magis habuiſſet perſpectum. *p.* 252. 253.
LAUNOYUS *Joannes*, exorbitator fanaticus, & Ariſtarchus ſupercilioſus. *p.* 253. 254. 255.
LAZIUS *Wolffgangus*. *p.* 255. 256.
LEHMANNUS *Chriſtophorus* in Chronico ſuo paleas cum tritico miſcuit. *p.* 256.
LIBERIANA *Baſilica*, ex prodigioſæ nivis occaſione Romæ condita, immeritò à Tillomontio in dubium tracta. *p.* 483.
LIBERIUS Pont. Rom. Quatuor Epiſtolæ, quibus adverſus ſe ipſum Liberius teſtimonium dixiſſe creditur, fictitiæ ſunt; unde adverſus Liberium perinde nil probant, atque fragmenta Hilarii (de quibus ſuprà lit. H.) & interpolata Arianorum Hiſtoria Athanaſiana. *p.* 489. 490. 491, n. 7. 8. 9. *p.* 494. n. 11. neque Latini nitoris tam rudis & expers fuit Liberius, ùt eum depinxit Tillemontius. *p.* 491. 492. 493. n. 9.
S. LINUS an Martyr? *p.* 485. 486.
S. LUCIFER *Calaritanus* utrum in ſchiſma fuerit prolapſus? *p.* 479. 493. 494. n. 10.
S. LUDOVICI IX., Galliarum Regis, Sanctio Pragmatica, utrum authentica? *p.* 59. 60. 329.
LUITPRANDUS *Ticinenſis*. Ejus Scripta. *p.* 256. 257. illius Hiſtoria Regum ac Impp. ubi deſinat? *p.* 257. 258. 259. hujus Hiſtoriæ vitia. *p.* 259. Quid de *Pontificum Vitis*, quæ Luitprandum Auctorem præferunt, ſit ſtatuendum? à *p.* 259. ad *p.* 266. de *Chronico*, quod recentiores architecti eidem Luitprando ſuppoſuêre. *p.* 266.
LUPUS *Protoſpatha*. *p.* 266.

M.

MABILLONIUS *Joannes*. Ejus Opera. *p.* 266. 267. ùtùt eruditiſſimus, erratis tamen haud quaquam immunis. à *p.* 267. ad *p.* 270.
MALMESBURIENSIS. Vide *Wilhelmus*.
MARIANUS *Scotus*. Vid. *Chron. Mariani*.
MARTENIUS *Edmundus*. *p.* 270. nimiùm extulit Iperii Chronicon. *p.* 238. 239. 240.
MARTINUS *Polonus*. Vid. *Chron. Martini*.
MARTYROLOGIA. Horum Auctoritas etſi magna, non tamen ubique indubitata. *p.* 270. 271. 272.
MARTYROLOGIUM *Hiſpanicum Tamaii*. Vid. *Tamaius p.* 447. 448.
MARTYROLOGIUM *Adonis*. Vid. *Ado*.
MARTYROLOGIUM *Bedæ*. Vid. *Beda*.
MARTYRUM *Acta*, num ob inſertas longiores aut duriuſculas ſermocinationes & allocutiones mox interpolationis aut fraudis poſſint redargui? *p.* 476.
MATTHÆUS PARISIUS. Vid. *Pariſius*.
MAYMBURGIUS *Ludov.* Scriptor mercenarius, inſincerus, ac temerarius. à *p.* 273. ad *p.* 276.
METAPHRASTES *Simeon*. *p.* 276. num *omnes* SS. Vitæ, quibus Metaphraſtis nomen præfigitur, eidem tribui poſſint? *p.* 277. 278.
MISCELLA *Hiſtoria*. De ejus compilatione & compilatoribus. à *p.* 279. ad *p.* 283.
MONACHUS SAN-GALLENSIS. Vid. *Notkerus Balbulus*.
DE MONTE *Robertus*. *p.* 283. 284. de *pſeudo-Roberto* de Monte. *ib.*

N.

NAUCLERUS *Joannes*. Ejus Chronici poſthumi malefidus editor & amplificator Melanchton. *p.* 285. 286.

S. Nicephorus. De illius Chronico. *p.* 286. 287.

Nicephorus *Callisthus*, Historiam Ecclesiasticam partim fermento schismatico, partim fabulis hinc inde infecit. *p.* 287. 288. 289.

Nicetas *Acominatus*, Latinis perquam infestus. *p.* 289. 290. 291.

Niem *Theodoricus*. Quorumnam Operum Auctor vulgò dicatur? *p.* 291. 292. Diversæ Scriptorum de Niemo opiniones. *p.* 292, 293. Quis fuerit Niemus? *p.* 293. 294. an Episcopus Verdensis, aut Cameracensis? *p.* 294. 295. 296. An historiæ *de Schismate* auctor sit Italus, an verò Germanus, sive Niemus? *p.* 297. 298. 299. An ejusdem historiæ & *Nemoris Unionis* unus idémque sit Auctor? à *p.* 299. ad *p.* 303. Verosimilior de pseudo-Niemi Opere conjectura: & quid in ea editione præstiterint heterodoxi, ac præcipuè Sehardius? à *p.* 304. ad *p.* 307. De *Joannis XXIII. vita*, quæ sub ejusdem Niemi nomine circumfertur. *p.* 307. 308.

Nithardus, Auctor gravissimus atque coævus. *p.* 308. 309.

B. Notkerus *Balbulus*. Non spernenda ejusdem auctoritas. *p.* 310. 311.

O.

Ordericus *Vitalis*. *p.* 311. 312.

Otho *de S. Blasio*. *p.* 312.

Otho *Frising*. Ejus Scripta, & lapsus quidam historici. *p.* 312. 313.

Otho II. Imp. Ejus ferale convivium, Romanis instructum, videtur commentitium. *p.* 201. 202.

Otho III. Imp. Quæ de illius lasciva conjuge, flammis postmodum tradita, narrantur, ad aniles narratiunculas pertinent. *p.* 201.

Oudinus *Casimirus*. Ejus errores, falsitates, ac criminationes. à *p.* 313. ad *p.* 320.

P.

Pagius *Antonius*, Criticus sanè præstantissimus. *p.* 320. 321. familiari tamen Scriptoribus fato fuit obnoxius, & in multis etiam ipse cespitavit. *p.* 321. 322. 323. 324.

Panegyrista *Berengarii Imp.* Videtur huic fuisse coævus. *p.* 324. 325.

S. Paphnutii Historia circa clericalis continentiæ legem, jamjam à Nicæno Concilio imponendam & postea suspensam, quam fidem mereatur? *p.* 423. 424. 425. 426. 479. 480. n. 3.

Parisius *Matthæus*. Quænam Opera lucubrâsse dicatur? *p.* 325. malè apud Criticos audit Historia *Major*. *p.* 326. 328. 329. 337. 338. n. 14. *p.* 339 n. 15. verosimilius est interpolata. *p.* 326. 327. 328. 329. 330. 334. 335. 336. Ejus fictitiæ adversus Joannem sine Terra, Angliæ Regem, calumniæ. à *p.* 330. ad *p.* 333. item adversus FF. Minores & Prædicatores. *p.* 333. 334. è quibusnam laciniis, & an per Germanos potiùs quàm Anglos, amplificatus & depravatus fuerit Parisius? à *p.* 334. ad *p.* 338. Unde non nisi pessimè & fraudulenter *unius* Parisii nomen toti huic historiæ Anglicanæ præfigitur. *p.* 338. *An* ullam, & *qualem* scriptionis partem in hac Historia Parisius reipsa habuerit? à *p.* 339. ad *p.* 342. quousque se extendat, aut ubi terminetur ipsius vulgò dicti Parisii historia? & an idem quoque *continuationis* sit auctor? *p.* 342. 343. 344. 345. n. 18. 19. 20. Undenam *Parisii* cognomentum *Matthæo* inhæserit? *p.* 340. n. 17. *p.* 345. n. 21. Utrum *Matthæus Westmonasterienſis* idem sit cum Matthæo Parisio? *p.* 345. 346. n. 21. num Matthæus Parisius tam Historiæ Anglicanæ, *minoris*, quàm *Additamentorum*, prout passim compellantur, sit similiter parens & conditor? *p.* 346. 347. 348. n. 22. 23. de *Supplemento* Parisii. *p.* 348. 349. n. 24. Parisius aut Pseudo-Parisius liberaliter exscripsit Vitriacum. *p.* 535.

S. Paschasius *Ratbertus*. *p.* 349. 350.

Paulus *Warnefridus*, sive *Paulus Diaconus*. Ejus Scripta. *p.* 350. 351. de continuatione *Eutropii* per hunc Paulum Diaconum facta. à *p.* 279. ad *p.* 283. num *Freheriani* ad Historiam Longobardicam *Supplementi* idem Paulus sit Auctor? *p.* 351. 352. De *incognito Continuatore*, quem Freherus dicto Pauli Supplemento illico subjunxit, quid existimandum? & an unius Freheri fide atque

judicio hìc ſtandum ? *p.* 352. 353. de recentiori hujus Continuatoris ſeu compilatoris ætate. à *p.* 353. ad *p.* 356. de imperitiæ & falſitatis notis. à *p.* 356. ad *p.* 360. de ſuſpectiſſimo, imò erroneo Compilatoris Epilogo, ſeu ſuppoſititio Eugenii II. Decreto. à *p.* 360. ad *p.* 371.

S. Petrus *Apoſt.* an fuerit Epiſcopus Antiochenus? *p.* 484. n. 5.

B. Petrus *Damiani p.* 371. item lit. D. à *p.* 172.

Petrus *Diaconus* Caſinenſis, Leonis Oſtienſis continuator, penitus veritatis ſtudium quandoque neglexit: neque parùm idcirco notatur à criticis. à *p.* 371. ad *p.* 376.

Pfeffingerus *Joannes Fridericus*. Pfeffingerianæ proterviæ aliquot paradigmata. *p.* 376. 377. 378. 379. 380.

Philippus *Cyprius*. *p.* 160. 161.

Pœnitentia *publica & privata* primis Eccleſiæ Seculis. *p.* 424. 425. 426. 427.

Pontifex *Romanus*, Epiſcopus Epiſcoporum *p.* 498. 499. n. 12. eum ùt *Anti-Chriſtum* calumniatur Schardius, ipſemet Antichriſto & mendaciorum patre Lucifero diſcipulus longè digniſſimus. *p.* 413. 414. 415. propriis ſuis armîs contunditur & confunditur Schardius. *ib.* Pontificum Romanorum electiones Sec. IX. & X.: & quænam Romanorum hac ſuper re erga Cæſares juramenta, ſonantibus toties buccis & calamis à recentioribus quibusdam Scriptoribus jactitata? à *p.* 360. ad *p.* 371.

Præſepium, in Natali Dominico excitandorum, ritus apud Latinos antiquus. *p.* 93.

Prosperi *Chronicon*. *p.* 124. 134. 135. 137.

Q.

Quadratus Apologiſta utrum à Quadrato Ep. Athen. diſtinguatur? *p.* 479.

Quercetanus. Vid. lit. C. du *Chesne*.

R.

Radevicus, Othonis Friſing. Continuator, *p.* 380.

Radulphus de *Diceto*. *p.* 380. 381.

Regino. *p.* 381. & à *p.* 250. ſeq.

Reineccius *Reinerus*. Variorum Scriptorum Veterum Editiones minùs rite minúsque fideliter ab eo ſuſceptæ. *p.* 53. 84. 175. 176. 381. 382. ejus ſive nequitia, ſive imperitia Critica in recudendis Henrici IV. ad Annonem literis adulterinis ac ſtramentitiis. à *p.* 382. ad *p.* 403. luculentum illius mendacium adverſus Gregorium V. *p.* 175. 176.

Robertus de *Monte*. Vid. lit. M. à *p.* 283.

Rodulphus *Glaber*. Vid. *Glaber*.

Romana Ecclesia. Vid. *Eccleſia*.

Romanus Pontifex. Vid. *Pontifex*.

Rosierius Franciscus, Scriptor & genealogus fabuloſus. *p.* 403. 404.

roswita, Poëtria. *p.* 404. eius Poëmata. *p.* 405.

de Rupe *Alanus*. *p.* 406. 407. item lit. A. *p.* 51. 52.

Rüxner *Georgius*. Ejus liber de *Torneamentis equeſtribus* à ſimpliciuls plauſum, ab intelligentibus ferulam cenſoriam tulit, potiùs in privatæ quorundam ambitionis, quàm unius veritatis gratiam conſcriptus. *p.* 407.

S.

Sagittarius *Caſparus*, in re critica admodum rudis & cavillator ineptus, rectéque omnino ejus Hiſtoria Norbertina contemnitur. *p.* 408.

Sarpi *Paulus*, Hiſtoriæ Concilii Tridentini non tam ſcriptor, quàm adulterator maledicus. *p.* 408. 409.

Saxo Grammaticus, excellentis ſtyli hiſtoricus: ùtùt in rebus vetuſtioribus & Chronologia non parùm aberret. *p.* 409. 410. 411.

Schardius *Simon*. Ejus Scripta. *p.* 412. homo petulantiſſimus, & conviciator ex aſſe Calvinianus. *p.* 412. 413. 414. 415.

Schottus *Andreas*, recentior Scriptor Proteſtanticus. *p.* 415. argutator vaniſſimus. *p.* 415.

Schwarz *Godofredus*, Criticus futilis, ridiculus, immodeſtus, & mendax. *p.* 416. 417.

Sguropulus *Sylveſter*. Ejus Hiſtoria Concilii Florentini non niſi maleſani capitis abor-

abortus; neque melioris notæ eſt Creighthoniana Sguropuli verſio. *p.* 417. 418.
Sicula *Monarchia ſacra* rejecta. *p.* 97.
Sigebertus. Vid. *Chron. Sigeb.* à *p.* 154.
Sigonius *Carolus. p.* 419.
Sleidanus *Joannes.* Æthiopem lavat, & mendacia laudat, Sleidanum qui laudat. *p.* 419. 420. 421.
Socrates. Variæ Socratis Editiones. *p.* 421. 422. 423. quæpiam illius errata & falſitates. *p.* 423. 424. adverſus S. Chryſoſtomum malignus & mendax. *p.* 426. 427. 428. 429. Utrum fuerit Novatianus? *p.* 428. 429. An etiam Origeniſta? *p.* 429. in multis tamen aut plerisque ùt legitimus Scriptor & idoneus teſtis laudatur. *p.* 429. ſub fin. & *p.* 430.
Sozomenus. *p.* 430. 431. Utrum Gregorius Magnus ſit memoriâ lapſus, cùm Theodori Mopsveſteni laudes velut ex Sozomeni hiſtoria commemoràſſet? *p.* 431. 432. 433. Sozomeni aberrationes hiſtoricæ. *p.* 433. 434. num fuerit Novatianus? *p.* 434. An à Socrate non pauca mutuârit Sozomenus? *p.* 434. 435.
Speculum Exemplorum. Quid de illo Critica ſanior pronuntiet? *p.* 435. 436. 437.
Speculum Saxonicum. Cujusnam iſtud antiquitatis vel auctoritatis? à *p.* 437. ad *p.* 440.
Speculum Suevicum Quo tempore fuerit compilatum: & num uſui eſſe poſſit in negotiis publicis? *p.* 440. 441. 442.
S. Stephani. I. Pont. Acta. *p.* 482. injuſtè carpitur à Tillemontio ſuper quæſtione de baptiſmo. *p.* 494. 495. n. 11.
Struvius *Burckhardus Gothelfius*, magis commendandus, niſi modeſtiæ & veritatis limites ſubinde dicaciùs atque procaciùs perfregiſſet. *p.* 442. 443. 444.
Surius *Laurentius. p.* 444. & *p.* 276. verbò: *Metaphraſtes.* Commentarium ſuum hiſtoricum ipſemet contra obtrectatores tuetur. *p.* 445. 446.
Symbolum *Apoſtolorum.* Quæ illius antiquitas? *p.* 487. 488. à n. 5. ad. n. 6.
S. Symmachus Pont. Rom. temerè vellicatur à Tillemontio. *p.* 496.

T.

Tamayus *Salazar. p.* 446. fabularum Patronus. *p.* 447. 448. 144. 145.
Theganus chorepiſcopus, Ludovici pii biographus ſincerus & ſynchronus. *p.* 448. 449.
Theodoretus. *p.* 449. Hiſtoria *Religioſa*, quæ & *Philotheus* dicitur, Theodoretum certò habet auctorem. *p.* 449. 450. n. 1. 2. quo *tempore* illam lucubrârit. *p.* 450. 451. n. 3. quidam tamen hujus hiſtoriæ Codices fuêre interpolati. *p.* 451. 452. n. 4. 5. de Hiſtoria *Eccleſiaſtica* Theodoreti. *p.* 452. n. 6. quot libros hæc hiſtoria complectatur? *p.* 453. 454. 455. 456. 457. n. 6. 7. 8. 9. 10. quo *tempore* Hiſtoriam *Eccleſ.* Theodoretus publicârit? *p.* 457. 458. n. 11. de Hiſtoriæ hujus initio & fine. *p.* 459. 460. n. 12. num Theodoretus poſt Socratem & Sozomenum ſcripſerit? *p.* 460. 461. n. 13. an Theodoreti Hiſtoria non niſi Supplementum Socratis & Sozomeni poſſit exiſtimari? *p.* 461. 462. 463. n. 14. Hiſtoriæ Theodoretianæ laudes & nævi. *p.* 463. 464. 465. n. 15. 16. aliqui tamen errores perperam illi tribuuntur. *p.* 465. 466. n. 17.
S. Theophanes. *p.* 466. 467. n. 1. 2. 3. de Tabulis chronicis Theophani inſertis. *p.* 468. n. 3. in ipſa Theophanis Hiſtoria quid laudandum aut reprehendendum? *p.* 469. 470. n. 5. 6. quæ aliàs de eo notanda? *p.* 470. 471. n. 6. Ejus editiones. *p.* 471.
Thomas *Cantipratanus. p.* 471. in narrationibus ſuis non ubique ſcriptor aut teſtis legitimus. *p.* 472. 473. neque tamen pro lubitù aſpernandus. *p.* 473.
Thuanus *Jacobus Auguſtus*, nugatoris potiùs & calumniatoris, quàm Hiſtorici officio functus. *p.* 473. 474.
Tillemontius *Ludovicus Sebaſtianus. p.* 475. Commentatiuncula critica de *Monumentis* illius *Eccleſiaſticis.* à *p.* 475. Tillemontius ſui ſæpe oblitus, & regulis aſſertisque ſuis contrarius. à *p.* 475. §. 1. cum Auctoribus antiquis infideliter agit. à *p.* 477. §. 2. Scriptores etiam graviſſimos & fide dignos teſtes ſæpe temerè carpit, aut contemnit, & præpoſterè refutat. à *p.* 479. §. 3. Acta SS.

SS. fæpe leviſſimis ex cauſis repudiat: imò de rebus & documentis nec viſis nec examinatis confidentiſſimè judicat. à *p.* 481. §. 4. absque ſolida ratione antiquiſſimas traditiones oppugnat atque convellit. à *p.* 484. §. 5. in dignoſcendis Veterum Scriptis non ſatis exercitatus, aut in diſcutiendis negligens atque incurius. à *p.* 489. §. 6. tam in Sanctos & laudatiſſimos Præſules, quàm in Romanos Pontifices injurius. à *p.* 493. § 7. adverſus Romanæ Sedis præcellentiam, auctoritatem, atque Primatum malignus. à *p.* 498. §. 8. adverſus *Romanæ, Catholicæque* Eccleſiæ identitatem erroneorum propoſitionum, diſtinctionum, atque concluſionum Patronus, ac Theologaſter Semi-Catholicus vel Janſenianus. à *p.* 499. ad *p.* 508. §. 9. & §. 10. Sepultus quoque in loco Janſeniano, & inſertus Kalendario Janſeniano. *p.* 508. n. 24.

TORNEAMENTA, Turnier. Vid. *Rüxner.*

TURPINUS, fabulator perſonatus. *p.* 508. 509.

U. V.

UDO *Magdeburgicus.* Tragica, quæ de illo circumfertur, hiſtoria meritò ad fabulas amandatur à Criticis. *p.* 436. 437. inter quos etiam numerandus *Cleus* noſter T. VI. Sept. *p.* 403. n. 250. in Comment. præv. ad Acta SS. Mauritii & Soc.

VICTOR *Tunnunenſis.* *p.* 509. Quænam in ejus Chronico improbent Eruditi? à *p.* 510. ad *p.* 514. n. 2. 3. 4. 5. de Epiſtola *Vigilii*, quæ apud Victorem hunc legitur, vide infrà: *Vigilius.*

S. VICTOR *Vitenſis*, omnium calculò Hiſtoricus eximius; malè dicitur *Uticenſis*: neque duo Victores Vitenſes ſunt diſtinguendi. *p.* 531. 532.

VIGILII, adhuc Pſeudo-Pontificis, Epiſtola Eutychiana eſt ſuppoſititia, non obſtantibus in oppoſitum tum Victoris Tunnunenſis & Liberati Diaconi teſtimoniis, tum Pagii & Natalis Alex. adverſus Baronium reſponſis. à *p.* 514. ad *p.* 530.

VINCENTIUS *Bellovacenſis.* Ejus *Speculum* ſolummodo *triplex*: *p.* 531. 532. magis celebrandum, ſi ſelectum potiùs quàm copiam rerum Vincentius reſpexiſſet. *p.* 533. 534.

VIRDUNENSE Chronicon. *p.* 434. item lit. C. *p.* 159. 160.

DE VITRIACO Jacobus. *p.* 535.

DE VORAGINE *Jacobus*, in hiſtoriolis promiſcuè admittendis facillimus, & fabulis Etymologicis plenus. *p.* 535. 536, 537. 538.

W.

WALAFRIDUS *Strabo.* Ejus Scripta. *p.* 539. interdum labitur. *ib.*

WALTHRAMUS *Naumburgenſis.* Quorum Operum auctor dicatur? *p.* 540. n. 1. & *p.* 545. 546. 547. n. 12. 13. quo animo fuerit, & qua fide ſit dignus? à *p.* 540. n. 1. 2. 3. & *p.* 545. n. 11. 12. quantum exagitatus à Ludovico, Thuringiæ Comite & Stephano Halberſtatenſi Epiſcopo. *p.* 541. à n. 4. ad n. 11. num denique pœnitens? *p.* 545. n. 11.

WILHELMUS *Apulus*, laudatæ fidei Hiſtoricus atque Poëta. *p.* 547.

WILHELMUS *Malmesburienſis*, Scriptor in multis probatus, in quibusdam partim deceptus, partim interpolatus. à *p.* 548. ad *p.* 551.

WILHELMUS *Neubrigenſis*, non exiguum inter Hiſtoricos nomen. *p.* 551.

WILHELMUS *Tyrius.* Multum quidem illi hiſtoria Eccleſiaſtica debet: craſſos tamen errores, neque modicum fellis ſubinde inſperſit. à *p.* 552.

WIPPO, biographus veri ſtudioſiſſimus. p. 554. 555

WITIKINDUS, Auctor plerumque legitimus: minùs tamen fideliter editus, & in rebus ante ſe geſtis rumuſculos magis quàm veritatis trutinam quandoque ſectatus. *p.* 555. 556.

X.

XYLANDRI impoſtura in verſione Cedreni. *p.* 123.

Y.

YVO. Vide lit. I. *p.* 241.

Z.

ZONARAS *Joannes*, Scriptor copioſus, ſolers, gravis: ſua tamen hinc inde ex turbidis & inſinceris fontibus hauſit. *p.* 557. 558.

ZOSIMUS, in iis, quæ Chriſtianam Religionem concernunt, fabulator interdum & mendax: ubi verò Zoſimi Diis nec feritur nec metitur, idoneus utplurimùm teſtis & verax. *p.* 558. 559. 560.